BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
16 — 1
10

~~C. 4. 9. C.~~
C. 44. d.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PANIS EVANGELICI
FRAGMENTA
QVADRAGESIMALIA
TRIPARTITA,

Ex ſanctiſſimo Dei Verbo copioſé & ſedulò collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum ſententiis & conceptibus mirificè aucta;

ET OMNIBUS QUIDEM ANNI Dominicis; præcipuè tamen ſingulis Quadrageſimæ *Dominicis & Feriis per binas ad minus, ſæpius denas aut ſeptenas Conciones fideli Populo diſtribuenda proponit*

R. P. CLAUDIUS de LINGENDES, è Societate IESU, quem ante paucos annos è ſacro Suggeſtu dicentem Lutetia, totaque propemodum Gallia ſuſpexit.

TOMUS TERTIUS

Cum Indice Materiarum in omnes Anni Dominicas locupletiſſimo.

Colligite, quæ ſuperaverunt, Fragmenta. *Ioan. 6. in Dom. 4. Quadrageſ.*

Dell. Scala

COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud WILHELMUM & FRANCISCUM METTERNICH, Bibliopp. An der hohe Schmidt. ANNO M. DC. LXXXVIII

Cum Superiorum Permiſſu & Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPROBATIO

Viſitatoris & Vice-Provincialis Societatis Iesv per Provinciam Rheni Superiorem.

EGo infraſcriptus Societatis Ieſu per Provinciam Rheni ſuperiorem Viſitator & Vice-præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi ad id factâ ab Adm. Reverendo Patre IOANNE PAULO OLIVA, Vicario Generali, concedo *Wilhelmo & Franciſco Metternich*, Bibliopolis colonienſibus facultatem, ut *Panis Evangelici Fragmenta Quadrageſimalia R. P. Claudii de Lingendes*, Societatis noſtræ Theologi, antehac à Patribus noſtris lecta & approbata recudantur. In cujus rei fidem has literas manu propria ſubſcriptas, & conſueto officii ſigillo munitas dedi.

JOANNES BERCTHOLDUS Soc. Jeſu,
Viſitator & Vice Provincialis per provinciam Rheni ſuperioris.

)(2 SY-

Digitized by Google

SYNOPSIS
CONCIONVM
Quæ in hoc III. Tomo continentur.

IN FERIAM QUARTAM ET SEQUENTES
Poſt Dominicam Quartam Quadrageſimæ.

LXXIV. I. DE cæco nato, diſſerit de principio & fine Miraculi in eo homine à Chriſto patrati; oſtenditque ex iis multa eſſe mirabilia in illuminatione & excæcatione ſpirituali. Pag. 1

LXXV. II. De eodem Cæco, agit de progreſſu illuminationis & excæcationis ſpiritualis, ad exemplum Cæci, qui illuminatus eſt, & judæorum qui ſunt excæcati; in quo ſpeciale judicium Dei valde admirandum. 9

IN FERIAM QUINTAM
Poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

LXXVI. I. In Evangelium Filii viduæ Nain; ex occaſione mortis ejus & reſurrectionis, probat mortem vitæ præferendam. 17

LXXVII. II. In idem Evangelium reſpondet argumentis Concionis præcedentis, probatque vitam morti præferendam. 28

IN

Digitized by Google

CONCIONVM.

IN FERIAM SEXTAM
Poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

LXXVIII. I *In Evangelium de Lazaro mortuo & ſuſcitato; ex conſpectu ejuſdem Lazari in ſepulchro, exhibet ſtatum humani corporis poſt mortem.* 41

LXXIX II *In idem Evangelium; ex eodem conſpectu Lazari demortui, proponit ſtatum animæ humanæ in ipſa morte.* 47

LXXX. III. *In eundem mortuum; conſiderat ſtatum animæ extra corpus, ſed quoad ſe ſpectata.* 54

LXXXI. IV. *In idem argumentum; repræſentat animam extra corpus quoad potentias & actus ſpectatam.* 68

IN DOMINICAM PASS IOIS.

LXXXII. I. *In Evangelium hujus diei; propoſitis laboribus, quos prædicationis munus poſtſe inducit; quærit cur tam exignus fructus è Concionibus colligatur, ſive quod in diem recidit, cur adeò veritati reſiſtatur; idque in perverſionem judicii refundit. quâ plerique non intellectu, ſed affectu judicant, quod pluribus modis contigit.* 77

LXXXIII. II. De eodem quæſito; alias ejuſmodi effectus cauſas proſequitur; Multiplicem ſcilicet malitiam voluntatis. 86

LXXXIV. *III. De eodem; novas iterùm cauſas ejus rei aperit, tùm ex Auditoribus, tùm ex Deo petitas; quaſdam apparentes & omnibus obvias, unam occultam & valde formidandam.* 94

IN FERIAM SECUNDAM
Poſt Dominicam Paſſionis.

LXXXV. De Gratia actuali ſeu auxilio modum ediſſerit quò ea detur atque auferatur. – 30

IN FERIAM TERTIAM
Poſt Dominicam Paſſionis.

LXXXVII. De recta diei diſpoſitione; eam in duobus docet conſiſtere : In con

)(3 *ſtitu-*

Digitized by Google

ſtitutione ſtabili actionum, & in firma obſervatione ordinis in illis præſtituti. 115

IN FERIAM QUARTAM poſt Dominicam Paſſionis,

LXXXVII. I. *De Prædeſtinatione; oſtendit dari prædeſtinationem in Deo, & quid ſit.* 124

LXXxVIII. II. *De eadem re; tractat Electionem prædeſtinatorum in communi: cujus providentiæ præter cauſas quæ ſoli Deo ſunt notæ, plurimas aſſignat, alias ex Deo. alias ex hominibus petitas.* 133

LXXXIX III. *De eodem argumento: tractat Electionem prædeſtinatorum in particulari: cauſamque inveſtigat & aperit, cur iſte ſit prædeſtinatus, & iſte præſcitus: ex qua ſecretione pios admodum ſenſus elicit.* 144

IN FERIAM EANDEM QUARTAM VEL IN QUINTAM poſt Dominicam Paſſionis.

XC. IV. *De prædeſtinatione: demonſtrat in exemplo Magdalenæ quid agat Deus extra ſe circa prædeſtinatos, ſupra id quod agit circa Reprobos,* 155

IN FERIAM QUINTAM poſt Dominicam Paſſionis.

X.CI II. *Exhibet judicium Chriſti in cauſa Magdalenæ prolatum, quo* fortis armatus *ab ea ejicitur, &* fortior ſuperveniens *eam occupat.* 165

IN FERIAM SEXTAM Poſt Dominicam Paſſionis.

XCI I. *In Evangelium de Judæorum concilio contra Chriſtum. ex occaſione tam impiæ deliberationi, omnem humanam & carnalem prudentiam accuſat, aperiendo ejus errores in conſultatione.* 173

XCIII. II. *In idem Evangelium agit de bona Electione, tractatque ejus neceſſitatem & naturam.* 187

XC.V. III. *In hunc diem, & continuatio præcedentis Concionis: docet quô modô facienda ſit Electio.* 165

IN

Digitized by Google

CONCIONVM.

IN DOMINICAM PALMARUM

XCV. I. *Ex conſpectu Chriſti ad Crucem cum pompa euntis illam nobis fortiter tolerandam perſuadet: utpote quæ non ſit fomidanda, immò quæ ſit expetenda, immo qua ſit gloriandum.* 202

XCVI. II. *Regiam dignitatem in Chriſto conſiderat, ut ſua munera occultantem, & totam in amore, quamvis in ſpeciem ejus gubernatio ſit ſeveriſſima.* 214

IN FERIAM SECUNDAM HEBDOMADÆ SANCTÆ.

XCVII. I. *De præparatione ad mortem.* 224

XCVIII. II. *Continuatio præcedentis, & de eodem argumento.* 231

IN FERIAM TERTIAM HEBDOMADÆ SANCTÆ.

XCIX. *Docet modum cogitandi de annis ſuis: & primo de elapſis.* 238

C. II. *Continuatio præcedentis, ſeu modus cogitandi de præſenti & de futuro vitæ tempore.* 245

IN FERIAM QUARTAM HEBDOMADÆ SANCTÆ.

CI. *Cur voluntas humana ſit ad Divinam conformanda, & quanta bona acquirat anima ex ea conformatione.* 251

IN DIEM PASSIONIS SEU FERIAM SEXTAM Hebdomadæ Sanctæ.

Paſſio Chriſti, quæ eſt de magnitudine dolorum ipſius, in quinque partes diſtribuitur, quarum unaquæque eſt magna Concio.

CII. I. *Quæ eſt de doloribus Chriſti in genere, eorum magnitudinem ex quinque conjecturis colligit.* 264

CIII. II. *Eſt de ejus doloribus internis, quorum gravitate ex cauſis & effectibus demonſtrat.* 275

CIV. III. *Eſt de pœna pudoris, tùm ea quam ſibi Chriſtus ipſe inflixit, tùm ea quam illi Deus intulit: tùm ea, quā per contumelias ab hominibus vexatus eſt.* 289

CV. IV. *Eſt de multiplici ejus proditione: à Juda: a populo judaico: à Diſcipulis: à Petro.* 299

CVI. V. *Eſt de ejus doloribus externis: in Flagellatione, Coronatione, & Crucifixione.* 310

IN DOMINICAM RESVRRECTIONIS.

CVII. *Chriſti Reſurrectionem tam firmis probationibus confirmatam eſſe oſtendit, ut nemo, niſi qui ratione careat, de ea dubitare poſſit.* 322

IN

Digitized by Google

SYNOPSIS CONCIONVM.

IN FERIAM SECUNDAM POST PASCHA.

CVIII. *Oſtendit è ſanctorum Patrum authoritatibus, quàm multa ſint in mundo quæ ad fidem de Reſurrectione noſtra nos diſponant.* 334

IN FERIAM TERTIAM POST PASCHA.

CIX. *Declarat, cur Providentia Divina fidem de Reſurrectione tàm multis argumentis confirmarit.* 344

ITERUM IN FERIAM SECUNDAM POST PASCHA.
Et in Evangelium de duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus.

CX. *Demonſtrat quibus paſſibus oves aberrent à Paſtore.* 354

ITERUM IN FERIAM TERTIAM POST PASCHA,
& in idem Evangelium ſuperioris Feriæ, De iiſdem Diſcipulis euntibus in Emmaus

CXI. *Exponit quomodo oves aberrantes ad ovile reducantur.* 363

IN DOMINICAM IN ALBIS.

CXII. *Oſtendit Religionem Chriſtianam fundari in fide Reſurrectionis.* 376

FERIA

Digitized by Google

FERIA QVARTA

DOMINICÆ QVARTÆ IN QVADRAGESIMA:

CONCIO PRIMA,

DE PRINCIPIO ET FINE MIRACVLI, QVOD IN Cæco nato Christus fecit: quo in fine oſtenduntur plura admiranda illuminatione & excæcatione ſpirituali.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à Nativitate. Ioan. 9.

IN his verbis occaſionem habes miraculi valde admirabilis, illuminationis hominis cæci à nativitate: nempe quòd *Ieſus vidit hominem cæcum*: 1 Enim quomodo fieri potuit ut miſeriam viderit, & non fuerit commotus: vidit ergo & miſertus eſt: neque enim videt ut nos videre ſolemus 2. Quia vidit hominem non videntem, cùm ſua bona non tam ſibi haberet quàm ſuis, ſolus videre noluit, & propterea illum illuminavit. 3. Cùm ſit *oriens ex alto*, ubi tenebras offendit, non potuit non illuminare. Significanter autem dicitur *præteriens*, ſic enim ſol terras illuminat: & de Chriſto dicitur quod *pertranſierit benefaciendo & ſanando omnes.* Ac de hâc illuminatione nobis eſt ſermo: ſed ut ait Pythagoras in ſymbolis, de lumine nihil ſine lumine dici poteſt, omne autem lumen à cœlo, & dicitur Virgini, Tu porta lucis fulgida. AVE MARIA.

NIHIL rectè cognoſci poteſt, niſi ejus ſcitur & principium & finis. Principium illius eſt menſura, nulla enim res ſuperare cauſam aut originem ſuam poteſt: finis eſt comprehenſio, nam terminus eſt uniuſcujuſque rei. Ita nemo planè cognoſcere poteſt miraculum quod nobis proponitur in cœci nati curatione, niſi ejus originem & finem ſciat. Vtrumque nobis notatur in S. Ioannis Evangelio; origo quidem in hiſce verbis, *Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate:* & in iſtis, *Quandiu ſum in mundo*: finis autem in Evangelii clauſulâ, *in judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vi-*

Digitized by Google

dent cæci fiant: quo totum miraculum tendit.

Quoad principium attinet. Nota Deum, licet ex ſuâ naturâ ſit ſimpliciſſimus, & maximè unus, atque uti loquitur S. Bernardus, uniſſimus; quia tamen infinitus eſt, omnem omninò perfectionem continere, & propter infinitatem, æqualem eſſe multiplicitati: hinc fit ut uno nomine appellari non poſſit, ſed omnibus nominibus, ut ſcias eum omnes perfectiones continere. Cæterùm licet idem ſemper ſit qui operatur, non tamen ſemper ſecundum omnem rationem operatur, alioqui effectus qui ab eo prodiret, omnem rationem entis contineret; itaque cùm punit, id facit juſtitia; cùm alicui bene facit, id præſtat miſericordia; quæ ſunt principia, non realiter ſed formaliter diſtincta: in Deo enim juſtitia idem eſt realiter cum miſericordia, ſed non formaliter: quemadmodum cùm Pater Filium generat, & cùm S. Spiritum producit, illum intellectu, hunc voluntate; licet in Deo intellectus & voluntas ſint unum realiter, ſunt tamen duo formaliter diſtincta principia: quod ita verum eſt, ut falſa ſit hæc propoſitio, Spiritum Sanctum procedere per viam intellectus: ſi enim ita procederet, jam eſſet Verbum, & Filius eſſet amor perſonalis, quod verè dici non poteſt. Eodem modo cùm varia miracula Chriſtus perpetrarit, nullum eſt quod ſub omni ratione patrarit: ſed ſingula ſuas habent peculiares origines: & ideo cum tribus potiſſimum nominibus, ut Dei Filius appelletur in Evangelio S. Ioannis, ut mox dicam tribus illis tria quoque præcipua reſpondent miracula. Appellatur Verbum, Vita, & Lux: *In principio erat Verbum*, eſt enim Filius Sapientia Patris, & Verbum: pergit Evangeliſta, *in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*: quæ omnia nomina ei conveniunt ratione proceſſionis, nempe per viam intellectus: Nam Verbum ſignificat terminum cognitionis, qua ratione procedit à Patre: Vnde S. Auguſtinus: Quo Verbum, eſt Filius, & quo Filius, eſt Verbum: ſecundùm illud Eccl. 1. *fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis.* Vita autem peculiari ratione dicitur de Filio, quoniam vita conſtat operationibus immanentibus, quarum prima, & ex ſuo genere præſtantiſſima eſt, intelligere, naturaliſſima verò generare: Itaque S. Ioannes initio ſuæ Epiſt. 1. *Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis* Denique dicitur lux ob puritatem generationis & incorruptionem: Ad hæc ejus generatio in luce eſt, ſecundùm illud: *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te*: Itaque in creaturis rationalibus lumen, & cognitionem operatur, juxta illud: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: & factus homo hoc habuit Chriſtus, ut perpetuò illuminaret Iſaia 9. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbra mortis lux orta eſt eis*: itaque officium habuit, & appellationem Magiſtri, idque ſemper in Eccleſiâ facit. Hæc ergò tria ſunt ejus nomina, quibus ut pergo dicere tria potiſſima reſpondent miracula. Nam quatenus dicitur Verbum, *Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*: Marc. 7. Quatenus vita dicitur, & morbos ſanavit, & mortuos ſuſcitavit, juxta illud Ioan. 5. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*: Et poſteà. *Venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei.* Quoniam verò etiam fuit Lux, ideò multos cœcos illuminavit, ſecundùm illud Lucæ 7. *Cæci vident*: & cap. 18. *Quid tibi vis faciam? at ille dixit, Domine ut videam, & Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit*: quod cùm ſæpius factum fuiſſet, nullum tamen in eo genere fuit illuſtrius miraculum, quàm quod narratur in hodierno Evangelio, 1. quia ille

ille homo cæcus natus erat, & is etiam notiſſimus. 2. Quia ex odio Iudæorum in Chriſtum factum eſt ut miraculum ita ſit diſcuſſum, ut de eo nullus relictus ſit locus dubitandi. Hujus itaque miraculi origo fuit Chriſtus Dominus ſub ratione Lucis, ſecundùm illud quod dicit in noſtro Evangelio. *Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi*: Cyrillus in Catena. Quod me decet id operor, & cùm venerim ut lucis expertia illuminarem, oportet quoque me oculos corporeos luminis participes efficere. Et hæc de origine miraculi ſufficiant.

Nunc agendum de hujus miraculi fine, qui in his verbis continetur: *In Iudicium ego in hunc mundi veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant*: in quibus verbis hæc mihi prorſus admiranda videntur.

1. Quod idem ſit qui illuminet & excæcet, cùm inter ſe videantur eſſe contraria, & hæc operatio dicitur Iudicium, ſecundùm illud: *In judicium ego in hunc mundum veni, &c.* circa quod.

Nota 1. Nihil mirum videri debere quòd Deus ſit cauſa illuminationis, hoc enim habet ex ſua natura, & ex proprietate perſonali, ita ut etiam in tenebris luceat, ſecundùm illud, *Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet*: Item, *erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, unde ait Nazianz. quod Sol eſt oculis, hoc Deus eſt mentibus, Sol autem non tantum eſt primum viſibile, ſed oculos etiam facit videre: & idem Deus præſtat mentibus.

Nota 2. Hinc eſſe admirabile quod tamen Deus ſit cauſa excæcationis, quod nihilominus nullo modo negari debet, cùm tam multa in Scripturis loca id dicant: Ioan. 12. *Propterea, non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos*; & eundem locum referens Paulus, ait Deum dediſſe illis *Spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures, ut non audiant, uſque in hodiernum diem*: Item Iſaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*: Rationem affert S. Thomas ex diſcrimine illuminandi in Deo & in Sole: nam Sol illuminat ex neceſſitate; Chriſtus autem ex voluntate: & Sol quidem non illuminat, cum adeſt impedimentum, quia non poteſt illuminare, ut qui tum agere prohibetur: ſed propriè loquendo non eſt Sol in causâ cur tale corpus non illuſtretur: Deus autem cum agat voluntariè, atque liberè; quando eſt obex, dicitur eſſe cauſa excæcationis quia liberè agit, poſſet enim ſi vellet obicem vincere, non tamen facit, quia non vult ipſe, nec ille meretur qui ponit obicem, præterquàm quod poſſet poſitivè excæcare ſi vellet: unde Iobus cap. 12. *Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet: Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat.*

Nota 3. Excæcationem eſſe duplicem, unam quæ verè eſt, peccatum, eſtque, ait S. Bonaventura, actualis rebellio adverſus lucem, eſtque eorum de quibus Iobus cap. 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Et cap. 21. *Qui dixerunt Deo recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus*: alteram quæ eſt pœna peccati, & illa eſt aut illuminationis incapacitas, aut luminis privatio: primam quæ eſt peccatum non poteſt Deus efficere, alioqui author eſſet peccati; alteram poteſt efficere, nam quidquid præcedit peccatum, aut ſequitur, & non eſt peccatum illud omne Deus poteſt præſertim in pœnam.

Nota 4. Cauſam propter quam Deus eſt cauſa effectuum contrariorum, hoc eſt illuminationis, & excæcationis, provenire ex admirabili, & eminenti efficacitate ipſius, uti optimè explicat S. Chryſoſt. Homil. 5. In 2. Corinth. Hinc enim accidit, ut infirmis oculis Sol tenebras offundat, & ſanos recreet: eodem modo ſues unguento ſuffocari dicun-

Digitized by Google

tur, quo homines recreantur: atque eiuſmodi bonorum natura eſt ut non ea tantum ſanent quæ familiaria ſunt, ſed etiam contraria perdant; hincque vel maximè eorum vis declaratur; ſiquidem & ignis, non ſolùm cùm illuminat, cum aurum purgat, ſed etiam cùm ſpinam abſumit, vim ſuam maximè indicat, atque hac ratione ignem ſe eſſe demonſtrat. Sic igitur Chriſtus, cùm illuminat, & cùm excæcat, id efficit, quatenus lux, & lumen, nimirum propter eminentem excellentiam. Et ratio horum omnium eſt, quia quæ ſunt efficaciſſima, impediri non poſſunt quin aliquem habeat effectum: itaque ſi non habent alium qui ſequitur per accidens: Idcircò lumen diuinum aut illuminat aut excæcat; gratia Dei aut emollit, aut indurat: Illud tamen ſemper eſt mirabile in noſtro caſu, quod idē ſit qui illuminet, & idem qui excæcet: Vt eadem columna filios Iſraëi prodegebat de die, ut nubes; de nocte verò ut ignis illuminabat: itaque & nocte & die aliquid agebat, nam ut ignis illuminabat; ut nubes, ſolis radios retardabat: Eodem modo ignis Babylonicus pueros in eum conjectos refigerabat, & idem Chaldæos comburebat: Idem mare rubrum, ſiccum & tutum veſtigium dabat Iſraëlitis; Ægyptiis autem naufragium: Eodem ſenſu dictum de Chriſto, *Hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël*: Et idem miraculum in oculis cæci peractum, in Ipſo quidem fidei lumen accendit in Iudæis autem cauſa fuit excæcationis, & infidelitatis: Quod ſatis patet univerſim in verbo Dei, in Sacramentis, in rerum eventibus, ut proſperitate, & adverſitate, & in rebus ferè omnibus, quod eò uſque verum eſt, ut bonis etiam peccata cooperentur in bonum; reprobis autem gratia, merita, & virtutes ac Dei dona ad perditionem: Vti enim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; ita odio habentibus Deum omnia cedunt in malum.

2. Quod eſt mirabile illud, eſt judicium quod alios illuminet, & alios excæcet: Quod quidem percutiat plaga cæcitatis cauſam dedimus, ſed cur hos vel illos, illud quærimus; hoc eſt enim judicium, ſeu ſeparatio quorundam. Hoc eſt quod quæſivit Auguſtinus tract. 53 in Ioan. & Serm 88. de Temp. ubi ſic reſpondet: Aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur adſcribendum eſt, aut ad inſcrutabilia Dei judicia referendum eſt, quæ plerumque ſunt occulta, nunquam tamen injuſta: Nobis ergo ſufficiat piè, & humiliter credere illud quod Apoſtolus dixit: *Numquid iniquitas eſt apud Deum? abſit.* Et in Tract. in Ioan. ſic reſpondet: Non nobis judicium de Iudicio tanti Iudicis uſurpemus, ſed contremiſcentes exclamemus cum Apoſtolo, *ô altitudo divitiarum Sapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus*: Certè Chriſtus in ipſis verbis reſponſum dedit, cùm dixit illam ſeparationem eſſe judicium: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*: ut ſcias in eo non eſſe iniquitatem, quod judicium efficit. Quare rectè Auguſtinus, quando adjuvat, miſericorditer facit; quando non adiuvat, iuſtè facit: quia omnia non temeritate, ſed iudicio facit Cæterum ſemper id fuit. In eodem carcere erant Piſtor, & Pincerna Pharaonis, unus liber dimittitur, alter ſuſpendio necatur. Duo Apoſtoli turpiter in Paſſione peccarunt, Petrus & Iudas, unus negando etiam cum iuramento, quia non noſſet hominem, alter prodendo magiſtrum: Ex ambobus unus perit, alterum reſpicit: Duo in Cruce latrones: Vnus ſalvatur, alter damnatur. Hoc eſt quod in duobus Regibus Pharaone & Nabuchodonoſore tantopere S. Auguſtinus admiratur, quorum unus induratur, alter emollitur: cauſa cur unus induretur, facilè reddi poteſt: ſed cur uni ignoſcatur, non alteri, hoc verò occul-

Digitized by Google

occultum eſt. Sed tamen Chriſtus eo modo agit: unum relinquit, & alterum aſſumit, unde dicitur Geneſ. ultimo, *Lapis Iſraël.* & in Evangelio: *Duo erunt in lecto: unus aſſumetur, & alter relinquetur:* ut ſcias, ô peccator, tibi non favere alterius exemplum; pepercit Latroni, Magdalenam vocavit, Petrum aſpexit; ſed vide ne te alterum deſerat: Tu fortaſſe reſpectu illius qui vocatus eſt, alter es, ipſe autem in judicium venit in hunc mundum; hoc eſt ad diſcrimen, & ſeparationem faciendam.

3. Quod eſt mirabile illud eſt, quo dicat ſe in hoc judicium veniſſe, *ut qui non videant, & qui vident cæci fiant*: Id enim prodigij ſimile eſt; lux quippe non oritur cæcis, ſed videntibus: veruntamen quod Chriſtus dicit, veriſſimum eſt; ita enim res cecidit. Sic doctiores in lege ut Phariſæi, & Scribæ excæcati ſunt; ſimplex autem populus, & hic homo illiteratus illuminatus eſt, idque prodigioſo eventu. Hoc ipſum dixit Iobus cap. 28. *Vnde ergo Sapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ? abſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet*: Quia nimirum nihil magis gratiæ opponitur, quàm ſuperbia; nihil gratiæ ita favet ut humilitas. Ita Chriſtus exultavit aliquando in ſpiritu, ex hoc laudans Patrem ſuum Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: Ita Pater quoniam ſic fuit placitum ante te*: Et nos quoque id quotidiana experientia videmus inter Chriſtianos: quàm enim illud verum eſt quod ait Apoſtolus Roman. 8. *Prudentia carnis mors eſt.* Age enim, amabo, ô Chriſtiane, ſuppoſitis principiis Chriſtianis, quæ ſunt æternæ veritatis, quis agit prudentius, an hic ſimplex homo illiteratus quem deſpicis, qui humilitatem ubique conſectatur, an ille homo clarus in ſæculo? Hic cogitat quomodo beatè vivat paucos annos; Alter quomodo per æternitatem: Vnus quomodo hominibus placeat; Alter quomodo Deo: Ille quomodo hoſtes ſuos vincat; Ille quomodo Dæmones: Hic quomodo corpus; Ille qua ratione animam & corpus ſalvet in æternum: Quis tibi prudentior videtur? Vnus ſequitur ſenſum; Alter rationem: Vnus innititur humanæ prudentiæ Alter Divinæ: Vnus principiis fallibilibus: Alter infallibilibus. Hæc certè dum cogito, ac video cœlum repleri pauperibus, ſimplicibus, ignobilibus, afflictis, abiectis, extra me feror, ac dico, *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus*, &c. *& revelaſti ea parvulis:* nimirum nulla eſt Scripturæ pagina, quæ non dicat, aut exemplo, aut verbo: *Quòd Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: Item, *fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles*: Vide quo fructu humilitatem ſequaris: Itaque rectè dixit Apoſtolus, 1. Cor. 1. *Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret*: Porro ea agendi ratione ſic uſus eſt Chriſtus.

1. Vt ait ibid. Apoſtolus, *ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus*: Cum enim aliquis ex ſe eſt cæcus, ſatis conſtat, ſi poſtea videat, non id ipſi eſſe tribuendum, ſed alieno beneficio: prudentes vero ſæculi, id ſibi tribuerent: eſt autem Chriſtus miro modo, ac ſupra quàm dici poteſt, æmulator gloriæ ſuæ, itaque non patitur ut quis eam ſibi arroget ſecundum illud Iſaiæ, 42. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec nomen meum ſculptilibus.*

2. Quia ſumma indiſpoſitio ad cognitiones divinas eſt notitia humana: Ratio eſt quia

Digitized by Google

eſt aſſueta ſenſibus; Divina autem eſt aliena à ſenſibus: Itaque ait Deus, 1. Cor. 1. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentiũ reprobabo. Vbi Sapiens? ubi ſcriba ubi conquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultã fecit Deus ſapientiã hujus modi?* Optima vero diſpoſitio eſt ſtatus eorum qui ignorant, nam ſunt faciles ad fidem. Hinc diſcant mundi ſapientes aliâ ratione procedendum in negotijs humanis, aliâ vero in rebus ſuæ ſalutis: Et vt loquamur ipſa de re de qua agimus, quis egit prudentius, an cæſus ille, qui illuminatus eſt; an Scribæ & Phariſæi in ſuo conſilio? ille tantum habuit rationem miraculi; Iſti cum poſt multas cavillationes viderent conſtare de miraculo, circa inutilem temporis circunſtantiam hæſerunt: hinc factum ut ille fuerit illuminatus, iſti autem excæcati.

IV. Quod in Evangelio noſtro occurrit admirabille, illud eſt, quod cæcos illuminat, per vias omninò contrarias illuminationi, & videntes excæcat per vias omninò contrarias excæcationi: Etenim cæcum illuminavit luto adhibito, qua re potius excæcare debuiſſet: Iudæos autem excæcavit illuſtri miraculo, quo tamen omnes illuminari debuiſſent, fuit enim opus luminis.

Quod pertinet ad modum illuminationis per vias contrarias.

1. Quidem eos illuminandos ſuſcepit in quibus in ſpeciem minor videbatur eſſe diſpoſitio ad illuminationem: itaque rudes potiſſimum, & gentiles in tenebris poſitos illũinavit; doctores autẽ & ſapientes reliquit.

2. Ea tantum adhibuit ad illuminationem, quæ videbantur maximè contraria illuminationi: 1. Cor. 1. *Nam quia in Dei ſapientiâ non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*: quæ autem ſit iſta prædicatio, ſubdit. *Nos autem prædicamus Chriſtũ crucifixũ, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiã.*

3. Lumen ipſum quod in illis produxit, excæcatio potius quam illuminatio videtur. Modus enim illuminationis fuit per fidem, quæ excæcatio quædam eſt, & ſenſuum & rationis & prudentiæ & Scientiæ, ſapientiæ, & experientiæ, de quô tamen dixit Apoſtolus. 1. Cor. 1. *Quod ſtultũ eſt Dei ſapientius eſt hominibus:* Ita cæcum noſtrum illuminavit, nam cæcus paſſus eſt ſibi luto oculos inungi. Tum juſſus illos lavare ad natatoriam Siloë, id utile credidit; ivit, lavit, vidit.

Porro ſicut per vias contrarias illuminavit, ita etiam per vias contrarias excæcauit: Vt hoc intelligatur.

Adverte Deum homines excæcare & negatiuè, & poſitivè: Id in noſtro cæco figuratum eſt, nam negativè eſt excæcatus, cum ei ab initio oculos injectum, erat enim vera ratio excæcandi. Negativa itaque excæcatio fit ſubtractione, & derelictione. Sicut enim in corporibus, ſi omne lumen tolleretur, excæcati dicerentur quia videre non poſſent; ita ſi ab hominibus auſferatur divinæ gratiæ illuſtratio, illi excæcati dicentur: idque multò magis; quia in corporibus lux non eſt internum principium viſionis, ſed tantum conditio; in ſpiritualibus verò gratia, & illuſtratio ſe tenent ex parte principii interni: uti igitur Sol & corpora lucida tenebras efficiunt negative, non poſitiuo influxu; ita Deus parit mentis tenebras, & cæcitatem negativè, non aliquid agendo, ſed ceſſatione actionis, atque illuſtrationis. Itaque S. Auguſtinus Tract. 53. in Ioan. ſic ait: Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando, quod occulto iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Et hoc idem Pater ſæpius docet in variis locis, & poſt eum S. Gregorius. Poſitivam autẽ excæcationem probant plurima Scripturæ loca; ut ea quæ ſuprà attuli Ioã. 12. *Proptereà non poterant credere, quia iterùm dixit Iſaias, Excæcavit oculos eorum,* &c. Et ad Roman.

man. 11. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures, ut non audiant uſq; in hodiernum diem.*

Porrò cùm Deus multis modis poſitivè excæcet id præcipuè tamen mirabiliter facit duobus modis qui pertinent ad propoſitum.

1. Fidei noſtræ myſteria obvelando, quod fecit Chriſtus Dominus tegendo Evangelicam doctrinam figuris, parabolis, & integumentis, unde factum eſt, ut paſſim mortales, & maximè Judæi non conceperint Evangelium: Quare rogatus apud Matth. 13. cur loqueretur in Parabolis, reſpondit. *Ideò in Parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt*; itaque addit in fine Parabolarum, *Qui habet aures audiendi audiat.* In quo vides excæcatos per contraria: Nam Parabola inſtituta eſt, ut etiam ignari concipiant: & per Parabolas excæcati etiam ſunt Sapientes: Ita Judæi decepti ſunt, dum hæſerunt literæ, & prophetiis ſecundum literam acceptis, ex quo eventu clamat Apoſtolus 1. Corinth. 3. *Litera enim occidit, ſpiritus autem vivificat*: Vide exemplum in Nicodemo Joan 3. quem cum Chriſtus erudiret de generatione ſpiritali: *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei*: & hoc ille non intellexiſſet, ſed quæreret, *quomodo naſci poteſt homo cùm ſit ſenex?* idque Chriſtus explicaſſet ex duplici nativitate, una ſecundum carnem, altera ſecundum ſpiritum: nec tamen ſic ille poſſet intelligere, unde dixit Chriſto: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* demùm ita reſpondit Chriſtus: *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis? quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis?* Verum ita contigit, ut ignoratio inde proceſſerit quod rem ſpiritalem nominibus rerum corporearum comprehenderit.

2. Deludendo ſapientiam humanam non ſolum altitudine rerum quas docuit, ſed contraria contrariis obvelando: verbi gratia ſummam ſapientiam, ſub ſumma ſtultitia, *quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus*: ſummam potentiam ſub maxima infirmitate: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*: ſub ſumma egeſtate maximas divitias; *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*, Item *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*: Sed nimirum uti jam diximus ſcriptum eſſe apud Iſaiam, & Paulum 1. Corinth. 1. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, &c.* Quia ſcilicet contraria omnia accepit, ut regnum ſuum ſtabiliret, contra quam feciſſent ſapientes huius mundi: unde factum ut qui erant ſapientes, cum omnia ſuo ſenſu metirentur, neque id capere poſſent, fidem reiecerint. Propterea dicit Apoſtolus Rom. 1. *Obſcuratum eſſe inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* E contrario ſimplices cum fidem ex authoritate dicentis conceptam ſequerentur, facilè paſſi ſunt ſibi perſuaderi etiam difficillima, incredibilia, & admiranda: ut diſcas ô homo pravum tuum, & falſum iudicium corrigere; ac credas verum honorem eſſe in ignominia, divitias in paupertate, voluptatem in dolore, libertatem in ſervitute: cuius rei fundamentū attulimus ſupra ex Apoſtolo 1. Corinth 1. *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

V. Mirabile quod continetur in Evangelio eſt conſecutio huius iudicii, nimirum excæcatio Judæorum, & cæci nati illuminatio, *ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.* Cæcitas Judæorum in eò fuit, quod Judæi nihil omiſerint, quo tanto miraculo fidem derogarent: & cum non potuerint ſola illud evertere malitia, & perverſa voluntate; id iniuriis in cæcum ſanatum coniectis, multiſque maledictis, & eiuſdem à Synagoga expulſione, perficere conati ſunt. Illuminatio cæci fuit, quod

ex

Digitized by Google

ex omnibus accaſionem ſumpſerit videndi, ac ſeipſum, alioſque illuminandi: uti enim Iudæi & ſeipſos in hoc facto excæcarunt, & alios voluerunt à fide deducere; ita cæcus, & in ſe eſt illuminatus, & alios illuminare conatus eſt. Quid non conati Iudæi ut eum à fide averterent? Diceres nubem Infidelitatis adverſus unam fidei guttam, *νέφος ἄπιστον πρὸς μίαν σταγόνα πίστεως*. ait Chryſoſt. Sed ipſe fortiter reſtitit, nec unquam, potuit abduci; quin imò quid non ipſe dixit quò Iudæi de miraculi veritate convincerentur: Verùm uti dicitur Iob. 24. *Ipſi fuerunt rebelles luminis neſcierunt vias eius, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus.*

Hoc autem omne originem habuit ex incredibili odio, quo illi Chriſtum proſequebantur: hinc enim fiebat, ut in eius mirabilibus operibus non cernerent quod erat luminoſum, & unde inſtrui poterant, ſed quod carpere poterant, & reprehendere, unde ab illius factis non illuminati ſunt, ſed excæcati.

Ex quibus colligis quò tandem paſſio aliqua, homines perducere poſſit. Vt enim Iudæi odio in Chriſtum, & invidia excæcati ſunt; unde nihil illis profuerunt miracula omnis generis, non beneficia, non ſanationes, non gratia ſermonis, & vis verborum, non doctrina uſque ad admirationem, non vultus decor, non modeſtia, non mores, non virtus, non tot teſtimonia; alia externa, alia propria, hæc omnia una paſſio diſſipavit: Idem in multis efficit quotidie & eadem paſſio, & diverſæ: ita enim ſe res habet, ut quæcunque paſſio, ſi ſit vehementiſſima, totum hominem occupet, & idem omninò efficiat, in quibus do[illegible]inatur; quippe quæ omnia tum lumina intellectus extinguat, voluntatem totam ad ſe rapiat, & quocunque voluerit, impellat.

Hos effectus quotidie in multis mortalibus, & videmus, & flemus; ſed quod dicturus ſum, multos trahet in admirationem: Si quærimus ſcilicet quid communiſſimè homines excæcet, uti ſunt mores noſtri, nihil exiſtimo magis homines vulg[illegible] excæcare quam conſcientiam. Equidem fuerat olim conſcientia incorruptum animæ tribunal, & quod ferè in homine unicum fuerat relictum ſanum: unde præceptum Chriſti, *eſto conſentiens adverſario tuo dum es in viâ cum eo*: Sed nunc nihil eſt quod hominem magis decipiat quam conſcientia, adeò malis moribus, & pejoribus doctrinis eſt depravata: Eò videlicet perducta eſt ut falsò judicet non tantum ſe plurima innoxiè facere poſſe, ſed etiam putet ſe debere; ut non tantum crimen operiat, ſed illud vertat in virtutem; neque etiam hoc ſa[illegible]is, niſi præterea imponat illius obligationem, ita ut crimen ſit eſſe innocentem. Quò enim pertinent prætentata, & quæſita undique conſilia, niſi ad eiuſmodi excæcationem?

Felix quem Chriſtus tetigit, & in cujus oculos lutum impoſuit! Felicior quem laverit, & cujus oculos aperuerit ut videat lucem quæ non extinguitur & æterna eſt; ad quam nos perducat Chriſtus Ieſus, Amen.

* * *

FERIA

FERIA QVARTA

DOMINICA QVARTA IN QVADRAGESIMA.

CONCIO SECUNDA,

AD EXEMPLVM CÆCI QVI ILLVMINATVS EST, ET IVDÆORUM QUI SUNT EXCÆCATI, AGITUR DE PROGRESSU illuminationis & excæcationis ſpiritualis, in quo mirabile judicium Dei.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à Nativitate.
Joan. 9.

Mirabile fuit ſpectaculum atque ingens prodigium in Ægypto, cum lux & tenebræ Ægyptios, & Hebræos diremere, uti ſcribitur Exod. 10. *Extendit Moyſes manum in cælum, & factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus: Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco, in quo erat: ubicunque autem habitabant filii Iſrael, lux erat*: & uti dicitur Sapientiæ 18. *Sanctis autem tuis maxima erat lux.* Sed non minus in hodierno Evangelio prodigium proponitur, ubi affertur mirabile illud judicium, quod Chriſtus exercere ſe dicit in hoc mundo, uti habet Evangelii concluſio: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant & qui vident cæci fiant*: Judicii nomine ſignificatur diſcretio & ſeparatio, quæ conſecuta eſt adventum Chriſti, qua diſcretione ſeparati ſunt videntes & non videntes, iſti ſunt illuminati, priores excæcati: atque iſta eſt huius miraculi concluſio, & ſcopus hiſtoriæ: ad cuius rei intelligentiam.

Adverte proprium Chriſti fuiſſe illuminare, & eo etiam fine in hunc mundum veniſſe, hoc enim fuit proprium Verbi, ratione ſuæ proceſſionis ſecundum illud Joannis 1. *Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet*: Itaque ille ipſe Filius Dei qui vi ſuæ generationis lux erat, huc venit per Incarnationem ut luceret, & de facto luxit etiam in tenebris, quia quo minus luceret, non potuit impediri à tenebris: non tamen tenebræ eam lucem comprehenderunt, unde ſecutum eſt ut maiores tenebras effecerit, & hinc illud iudicium ſe-

cutum eſt, ut quoſdam excæcaret, alios verò illuminaret. Et hoc ipſum in iſtius miraculi effectione expreſſit, dum in cæci nati oculos lutum injecit, ut ſignificaret modum excæcandi, & tamen illuminaret per aquas Siloë, id eſt, Miſſus, unde dicebat cæcus, & lavi, & video. Quod autem hac ceremonia expreſſit, id ipſo facto præſtitit: nam eodem miraculo cæcum natum illuminavit, & Iudæos excæcavit, & ex paucorum exemplo, univerſalem deduxit concluſionem. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant.* Vide itaque iudicium, id eſt, diſcretionem & ſeparationem factam ab eo: etenim cæcus ille illuminatus eſt non tantum corpore, ſed etiam mente, Iudæi autem excæcati ſunt, qui quo miraculo converti omnes debuiſſent, eo pertinacius in ſuo errore ſunt affixi: & illud Ioannis impletum eſt, *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Hic eſt igitur huius miraculi prodigioſus eventus, hæc conſecutio mirabilis, quam Chriſtus vocat Iudicium: Cæci nati illuminatio, & Iudæorum excæcatio: Cæcitas Iudæorum in eo fuit, quod nihil omiſerint, quo tanto miraculo, & tanto lumini fidem omnem derogarent: Illuminatio cæci in eo fuit, quod ex omnibus corporeæ ſuæ illuminationis circumſtantiis occaſionem ſumpſerit credendi, ac ſeipſum, & alios illuminandi. Uti enim Iudæi, & ſeipſos in hoc facto excæcarunt, & alios à fide deducere voluerunt, ita cæcus, & in ſe illuminatus eſt, & alios etiam illuminare conatus eſt: utriuſque autem progreſſum oſtendo.

Incipio verò ab illuminatione cæci, quoniam hoc eſt opus Verbi, & Lucis ex ſeſe, & ab eo primario intentum: nam ſi excæcat, id facit per accidens, & ratione ſubiecti: quæ autem ſunt per ſe, antecedunt ea quæ fiunt per accidens. Porrò illuminatio ferè fit per progreſſum, & per gradus: uti dicitur Proverb. 4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*, unde & huius cæci illuminatio facta eſt per gradus: uti enim viſum externum paulatim recipit, ita etiam internum. Vide progreſſum.

1. Gradus ad cæci nati illuminationem fuit ſingularis quædam Dei circa illum miſericordia, & peculiaris Chriſti de illo cura, quâ factum, ut illum peculiari modo ſit intuitus, ſecundum illud, *Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate*, quod Chryſ. Homil. 55. ſic interpretatur, quod diligentius in eum oculos converterit, ita ut ſingulare quid in eo cogitare viſus eſſet. Ille autem ſingularis modus in tribus conſiſtit:

1. Quod aliter eum eſt intuitus quam alios cæcos, nempe cum peculiari attentione, & cū ſingulari benevolentiâ: Reſpicere enim ſignificat ex peculiari benevolentiâ aſpicere, ubi dicitur. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem non reſpexit:* Itaque plurimos inſanatos reliquit, hunc autem ſanare voluit: Eâdem prærogativâ uti dicitur Lucæ 4. *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cælum annis tribus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi Leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo propheta, & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.*

2. Eum ſub peculiari ratione intuitus eſt, nimirum ut Lux, cuius proprium eſt illuminare, unde ſtatim dixit, *quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi*: nam ſecundum ſingulas ſuas perfectiones, aliter ordinem habet ad creaturas: cum ad quoſdam ordinem habeat ut miſericors, ad alios, ut iudex, ac vindex: Itaque ſic David rogabat. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira corripias me:* Illum itaque miſerum hominem reſpexit ut lux, unde conſilium, & voluntas illuminandi.

3. Rationem habuit prædeſtinationis, & volun-

voluntatis paternæ, unde Apoſtolis quærentibus de cauſa cæcitatis: *Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut cæcus naſceretur?* Reſpondit *Neque hic peccavit, neque parentes eius, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo*: Eodem ſenſu quo reſpondit filiis Zebedæi Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo* Nam licet illa cœcitas reſpicere potuiſſet peccatum parentum, Deus tamen altiori conſilio eam ordinauit ad aliquid longè excellentius, & ita peculiari modo hic homo viſus eſt à Chriſto, & hoc ipſum pertinet ad ſingularem electionem. Fœlix quem ſic Deus reſpexit! Idcircò illa quæ ſupra omnes creaturas exaltata eſt, eò omne ſuum bonum retulit, Lucæ 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: Quam illud optatius quàm ſingulariter diligi ab hominibus, qualeſcunque ſint, ſeu Reges, ſeu alij, quorum favor plus eſt timendus quàm odium, & averſio: Cæterum nemo mereri poteſt hanc peculiarem gratiam; Sed ille inquam fœlix cui illa contigit: nam ut ait David Pſal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, &c.*

2. Gradus ad illuminationem eſt quòd ſuo tempore illum reſpexit, nempe quo Deus illius miſereri decreverat, ſecundum illud quod ibidem dixit Chriſtus; *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt; venit nox quando nemo poteſt operari*: Notanda duo illa verba, *Oportet, & nemo poteſt*: prima vox ſignificat firmam Patris voluntatem, & præceptum datum Filio: altera non dicit impotentiam, ſed negat opportunitatem: Eſt enim quoddam tempus opportunum, ſecundum illud Pſal. 68. *Tempus beneplaciti Deus*: & Pſal. 101. *Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus*: ſignificatur itaque opportunitas gratiæ non præterita, neque omiſſa: unde gratia peculiaris eſſe ſolet: ſecundum illud 2. Cor. 6 *Tempore accepto exaudivi te, & in diebus ſalutis adiuvi te: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*: illud autem tempus utrumque ſpectat, & dantem & accipientem; Neque enim omni tempore dare vult Deus, neque omni tempore ab hominibus gratia acceptatur, ſed certo tempore utrumque fit, id autem in præſenti caſu magna Dei miſericordia factum eſt; quod ſignificatur illa voce, *Præteriens vidit illum*: Nam præteriens non illum prætérivit, ſed ſingulari modo aſpexit, uti Sol ſuum curſum peragens terras illuſtrat, & de Chriſto dictum eſt Actor. 10. *Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo quoniam Deus erat cum illo.* Vide ne prætereas occaſionem: *Venit enim nox, in quâ nemo poteſt operari*: utere occaſione, ne tranſeas in impotentiam.

3. Gradus eſt, peculiaris quædam operatio, in illis verbis expreſſa: *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, lava in Natatoriâ Siloë*: In quibus verbis hæc continentur:

1 Præparatio cuiuſdam gratiæ, ne putares obviam quamque datam ei eſſe, ac ſine propoſito, eſt enim, ut ait Apoſtolus, quædam vocatio *ſecundum propoſitum*, quam Auguſtinus ait eſſe prædeſtinatorum. Quò enim pertinet illa ceremonia, quòd expuerit in terram, & quod ex ſputo lutum fecerit? quæ quidem non adhibuit cum alium cæcum ſanauit Lucæ 18. idque ſolo verbo perfecit dicens illi, *Reſpice, & confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum*: Sed cum in iſto omne principium deeſſet ad ipſum etiam organum, voluit illud in eô reponere, eodem modo quo in prima hominis creatione factum fuerat, & proinde cum ille homo, ſolam haberet concavitatem in qua oculi eſſet ſolent, ut hunc defectum repararet, materiam præparauit, nempe lutum; utque à principio Deus hominem fecit de limo terræ, ſic illam partem

quæ in illo deerat, voluit de quodam limo terræ ſarcire, & eo quidem prius præparato, deinde appoſito, & in modum organi effecto. Simili ratione ea gratiæ præparatio conſiſtit in quadam ejus contemperatione, ſeu proportione, unde congruitas, & ex illa congruitate magna ex parte oritur efficacitas ejuſdem, ſeu congruitas oriatur ex certa diſpoſitione accipientis, ſeu ex prævisione conſenſus futuri, in ordine ad quem efficax gratia nominatur:

2. Quòd certum lutum poſuit ſuper oculos ejus, hoc eſt in oculorum ejus concavitatem, cùm ſenſorium non eſſet integrum uti diximus: cùm autem hoc lutum ex terra conſtaret, & ex ſputo Chriſti ſeu ſaliva, ſignificatur duplex notitia ſeu conſideratio: Una ſui ipſius, ſuæ miſeriæ, & fragilitatis; nam à ſui cognitione incipit Chriſtiana perfectio: Altera Dei cognitio; ſaliva enim à capite deſcendens, Filium Dei ſignificat à Patre procedentem, hic autem naturæ humanæ unitus, ſeu noſtro pulveri, medicina noſtra factus eſt, ut homo cæcus mortis tenebris, lumen vitæ reciperet: & hæc duplex cognitio, omnis illuminationis principium eſt.

3. Ei aliquid præcepit, nempe *Vade, Lava in Natatoria Siloë*, per quam deſignatur pœnitentia, quæ ut ſit utilis fundari debet in Redemptore, qui deſignatur per aquas Siloë, quod interpretatur Miſſus, quæ vox Chriſtum ſubjicit, de quo dictum eſt Exodi 4. *Mitte, quem miſſurus es:* Et Matth. 11. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*

4. Gradus ad illuminationem fuit quòd ille cæcus credidit, ac ſperavit: Nam uti dicitur ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit:* fides in eo fuit, quòd cùm nondum Chriſtum, Dei filium eſſe, nec Meſſiam crederet, lutum ſibi impoſitum, & aquas communes, ad viſum recipiendum ſibi profutura exiſtimavit, cùm potius hæc viſui noceant, & ſaltem ex ſua natura ſint inutilia. Memento Naaman Syri. 4. Reg. cap. 5 qui ſe contemptum putavit à Propheta, cum juſſus eſt lavari ſepties in Jordane pro ſananda lepra: Sed credere lutum oculos ſanare poſſe, id opus fuit ſummæ fidei. Spes autem fuit eximia viſum à Chriſto expectare, cùm eſſet cæcus natus, quod ſciebat à nemine unquam factum, nec fieri poſſe naturaliter: Unde dixit, *à ſeculo non eſt auditum quia quis aperuit oculos cæci nati.*

5. Gradus ſunt quædam opera inchoata & imperfecta, dum paſſus eſt oculos ſibi luto deliniri, dum per mediam urbem, ita oblitus inceſſit, nec timuit omnium irriſionem, quod ſanè plurimum laudandum eſſet in Propheta, dum longum viæ ſpatium peregit adhuc cæcus, nec ullam conditionem recuſavit, non conqueſtus cur ſic Chriſtus ageret, & cur non ſtatim aut verbo, aut attactu ſanaret: ad hæc non neglexit mandatum ut pergeret ad Natatoriam Siloë, licet diſtantem ab urbe: vide itaque ſimplicem obedientiam & cooperationem gratiæ præſtitam: Hæc enim omnia paulatim deducunt ad perfectam illuminationem.

6. Gradus fuit profeſſio ſuæ fidei, ſecundum illud Romanor. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem:* & David. Pſalm. 115. *Credidi, propter quod locutus ſum:* Nam omnibus teſtatus eſt miraculum; & cum aliqui dicerent, *quia hic eſt*, *alii nequaquam, ſed ſimilis ejus eſt*; conſtanter dixit, *quia ego ſum:* Nec occultavit à quo eſſet ſanatus, nam rogantibus, *quomodo aperti ſunt tibi oculi, reſpondit, ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi. Vade ad natatoriam Siloë, & lava. Et abii, & lavi, & vidi:* Nec modum diſſimulavit, licet ridiculus videretur, *fecit lutum, & unxit oculos meos:* Demum ſuam fidei profeſſionem ad ſummum perduxit, qui non ſolum apud privatos. & vicinos,

Digitized by Google

cinos, ſed etiam in ipſa Synagoga rem conſtantiſſimè ſuſtinuit; licet à parentibus eſſet deſertus: *Adducunt eum ad Phariſæos qui cæcus fuerat*, &c. *Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo vidiſſet. Ille autem dixit eis: Lutum poſuit mihi ſuper oculos, & lavi, & video*: Et interrogati parentes, cũ filium agnoviſſent, & faſſi eſſent cæcum eſſe natum, de modo ſanationis reſponderunt ſe neſcire: *Ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur*: quod & fecit, nam contra annitentes mira libertate coarguit: Et cum ipſi dicerent ſe neſcire, unde eſſet Chriſtus; item non eſſe à Deo qui ſabbatum non cuſtodiret: *Reſpondit*, &c. *In hoc mirabile eſt, quia vos neſcitis unde ſit, & aperuit meos oculos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit: A ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Niſi hic eſſet à Deo, non poterat facere quidquam*: Immo eos ad fidem invitavit: *Nunquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?* Ad hæc patienter tulit injurias & convitia, & maledictiones: *Maledixerunt ergo ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* denique maluit à Synagoga ejici, quam abjicere Ieſum, nec veritatem profiteri: *Et ejecerunt eum foras*:

7. Gradus cum fidem haberet imperfectam nondum ſatis edoctus, ſtatim ubi ſufficienter edoctus, ſtatim ubi ſufficienter edoctus eſt quòd Chriſtus eſſet Filius Dei. *Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille & dixit. Quis eſt Domine, ut credam in eum? Dixit ei Ieſus. Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt*; interius etiam illuminatus, ſtatim credidit & aſſenſus eſt.

8. Gradus fidem ſuam integram, & confeſſione, & actione profeſſus eſt: *At ille ait, Credo Domine, & procidens adoravit eum*: Itaque non verbo ſolum, ſed ipſo facto & cultu, uti Deum veneratus eſt: Auguſtinus. Vis videre, qualem credat, *& procidens adoravit eum*: Huc perducta eſt hominis cæci illuminatio, in quo corporis illuminatio, mentis illuminationem peperit: Et utrumque opus fuit Redemptoris ſub ratione Lucis. Etenim ad hoc ipſe venit ut homines illuminaret: Itaque homiliam in hunc Evangelii locum, ſic inchoat S. Chryſoſt. homil. de diverſis utriuſque Teſtamenti. Fons eſt luminis Verbum Dei: cum enim plenum ſit luminis, & lumen effundat, fidelium mentes illuminat, & ſplendore circumdat: Hinc fit, ut fideles, filii fiant lucis, & dicantur illuminati: Itaque ſeipſum vocat lucem mundi, *Ego ſum lux mundi*.

Sed quoniam uti dicit in fine Evangelii, *in judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant*: uti hactenus vidimus progreſſum illuminationis cæci; videamus nunc quomodo videntes excæcati ſunt. Uti enim ille cæcus natus illuminatione ſua corporali, interius illuminatus eſt, ita Iudæi eodem facto, cæci facti ſunt; quod ſignificavit illa luti appoſitio in oculos quæ ſuapte natura aptior eſt ad aliquẽ excæcandũ, quàm ad eum illuminandum. At vide progreſſum.

1. Itaque cum Iudæi accepiſſent factum, hominem ad ſe adductum in concilio interrogant: In quo vide malitiam:

1. Enim mala intentione interrogant, non ſtudio inquirendæ veritatis: Id indicat Evangeliſta his verbis: *Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos ejus*: unde conſequenter ait, *Iterùm ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo vidiſſet*: Non enim magnitudo miraculi induxit ad interrogandum, ſed malitia, ut prætextu violati Sabbati, occaſionem haberent culpandi miraculi.

2. Facta reſponſione vera & ſimplici: *Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & lavi, & video*: Vide malam conſequentiam: *Non eſt hic homo à Deo qui ſabbatum non cuſtodit*: cum enim duæ illationes fieri poſſent, una hoc modo: Tantum fecit miraculum, igitur eſt à Deo: altera, Lutum fecit ſabbato, non eſt igitur à Deo: quis dubitet fortiorem eſſe conſecutionem

Digitized by Google

primam, quàm poſteriorem: nam ex tanto facto multò verius concludebatur eſſe à Deo, quàm quia parum luti confecit, non eſſe à Deo, cum eſſet res minimæ conſiderationis; præterquam quod licuiſſet id facere ad medicamentum: ſed maluerunt relicta via certiori, ac veriori, ad vanas & pueriles rationes ſe convertere. Atque ut hoc videas, ſubdit Evangeliſta aliorum dubium: *alii autem dicebant: quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* quod mirantes & dubitantes dicebant: cum indubitanter affirmare debuiſſent.

3. Cum inter ſe non conſentirent, rem totam commiſerunt cæci judicio, ut viderent quid ipſe ſentiret: *Dicunt ergo cæco iterum: tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos?* blandius locuti ſunt, ut illi maiorem fiduciam darent dicendi ſuum ſenſum, ac ſæpius de eadem re interrogarunt, ut explorarent, num variaret: Ita ſolent Iudices verſare reos in iudiciis ad expiſcandam veritatem. *Ille autem dixit, Quia Propheta eſt*: Nihil ille maius norat quàm Prophetæ dignitatem, quo nomine paſſim Iudæi intelligebant hominem ſanctum, & miſſum à Deo; ut refutaret quòd ipſi ante dixerant eſſe hominem peccatorem, neque eſſe à Deo: Hæc reſponſio non placuit.

4. Itaque vide artificium: nam cum miraculi magnitudinem negare non poſſent, nec illum eſſe à Deo qui illud perpetraſſet, ad factum negandum ſe converterunt hoc artificio: *Non crediderunt ergo Iudæi, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet donec vocaverunt parentes eius qui viderat.* Sed vide eorum vanitatem: 1. enim ſi facti veritas conſtat, cur vocant parentes, qui rem aliunde noſſe non poterant quàm à filio, à quo ipſi jam factum didicerant? ſi incerta eſt, cur condemnarunt factum, & ſententiam tulerunt non eſſe à Deo, qui ſabbatum non cuſtodiſſet? 2. Si accuſarunt ſabbati tranſgreſſorem, quia lutum fecit, cur non crediderunt illum hominem fuiſſe cæcum? quod ſupponendum fuerat, ut eſſet cauſa luti faciendi unde cauſam accuſandi haberent; ſed viderunt plus poſſe miraculi confeſſionem ad probandum illum hominem eſſe à Deo, quàm violati ſabbati accuſationem, ad convincendum illum hominem non eſſe à Deo. 3. Vide quomodo eorum aſtutia fuerit deluſa, nam ut annotavit Sanctus Chryſoſt. Quo plus veritas oppugnatur, eo plus elucet ſiquidem facti ipſius agitatione plus res eluxit, uti patet ex ſucceſſu.

5. Itaque de tribus parentes interrogant, 1. ſi eorum eſſet filius: 2 ſi cæcus natus fuiſſet: 3. de modo quo viſum recuperaſſet: Putabant ſcilicet parentes timore perculſos, aliquid contra veritatem dicturos, quo miraculum obſcuraretur: ſed deluſa eſt ſapientia humana, ita enim divinæ veritati ſervierunt etiam nolentes, nam teſtes veritatis concurrunt: Vide itaque reſponſionem: 1. enim fatentur ſuum eſſe filium: 2. natum eſſe cæcum: ut jam nemo dubitari poſſit de miraculo, neque enim dubitari jam poteſt de ſubiecto, cùm parentes ſuum agnoſcant filium, nec de miraculo, cum fateantur cæcum natum: de tertio autem reſpondent ſe neſcire, quo reſponſo oſtendunt ſe non ad gratiam cuiuſquam locutos fuiſſe: ſed addunt ea ætate eſſe filium ſuum, cui in iudicio credi poſſit, quo verbo eius reſponſionem legitimam eſſe oſtendunt, cum nulla ſit cauſa cur ei fides denegetur, quippe qui ſolus id dicere poſſint, & cum nulla ſit ratio fidem ei negandi, cum ea ſit ætate, cui credi debeat: qua reſponſione valde eos confundunt. Porro Evangeliſta rationem reddit, cur parentes non dixerint Chriſtum fuiſſe autorem miraculi, quod timerent à Synagoga expelli: In quo vides qua ratione Iudæi omnem viam ſibi obſtruxiſſent aliquid de Chriſto cognoſcendi: *Iam enim conſpirauerant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum extra Synago-*

Digitized by Google

ſinagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt; quia ætatem habet, ipſum interrogate.

6. Cum non ſuccederet ut factum negarent, convicti parentum reſponſione, qui teſtati ſunt natura eſſe cæcum, jam aliud moliuntur, nimirum avertere cæcum à Criſti fide, & confeſſione: *Vocaverunt igitur iterum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, da gloriam Deo: Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt*: Fingunt ſe à Parentibus reliqua didiciſſe, ac noſſe hominem illum eſſe peccatorem, ſive improbum, ac ſceleſtum, itaque obligant ad iuramentum, ut vereatur de re, quam neſcit, pronuntiare, ac iurare. Sed cum ille prudenter reſpondiſſet ſibi de vita, & probitate non eſſe iudicium, ſed tantum ſe reſpondere quod ſciret, nimirum ſe cæcum ab ortu, ab illo eſſe ſanatum;

7. Aliud tentarunt ſcilicet facti rationem, & modum improbare, hoc enim ſolum ſibi ſupereſſe viderunt: Itaque iterum rogant modum, *quid fecit tibi? quomodo apperuit tibi oculos?* ut occaſionem ſumant ex reſponſione, quod lutum fecerit, itaque Sabbatum violarit: Incredibilis malitia: tantum opus Dei levi calumnia obſcurare velle. Non poterant amplius factum negare; ſed teſtibus convicti modum arguunt, cum tamen ille modus multo illuſtrius faceret miraculum, quod luto illuminaſſet, unde colligendum erat non virtute naturali, ſed ſupernaturali fuiſſe perpetratum.

Pertæſus homo crebræ interrogationis, & reſponſionis, ſit que tædio audacior factus. *Dixi vobis jam, & audiſtis: quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis diſcipuli eius fieri?* Eos admonet, quod præſtare deberent, odium deponere, & eius magiſterio ſe addicere. ſeipſum tanto beneficio permotum id feciſſe proponit, & alios multos tanti miraculi admiratione permotos eſſe, ut eos tot exemplis commoveret.

8. *Maledixerunt ergò ei, & dixerunt. Tu diſcipulus illius ſis, Nos autem Moyſis diſcipuli ſumus*: Vide creſcentem cæcitatē: Nam cum Chriſtum ſine cauſa miro modo averſarentur, eius magiſterium proponenti male dixerunt, hoc eſt convitiati ſunt, & malè præcati ſunt, ſecundum illud Tullij; Ille alteri maledicit, qui non poteſt verum audire: ſed cum ſoleamus mala imprecari, iſti bonum imprecantur: *Tu diſcipulus illius ſis*: quod enim erat maximi honoris tanquam convitium inferunt: Vnde recte Greorg. lib. 23. Moral. cap. 1. annotans ſæpe bonum dici male, hoc utitur exemplo: Bonum iſti protulerunt, nempe diſcipulum eſſe Chriſti ſed male, quia non ſtudio benefaciendi, & honorandi, ſed convitiandi dixerunt, quod fuit malitiæ ſimul, & ignorantiæ: ſed ut recte ait S. Auguſtinus tract. 40. in Ioan. Tale ſit ſemper ſuper nos maledictum.

9. Mala ratione ſe defendunt, nam obtendunt magiſterium Moyſis, ſub quo ſint ſecuri: *Nos Moyſis diſcipuli ſumus*, ſecuritas autem in eo: *Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus unde ſit*: Hoc eſt, ſciunt Moyſem eſſe à Deo; an autem hic ſit à Deo, neſciunt: Sed 1. maiora & efficatiora ſigna habebant, ut intelligerent Deum Chriſto eſſe locutum, quam Moyſi, & tamen dicunt, hoc ſe ſcire, illud autem ſe neſcire. 2. Si neſciunt unde ſit, hoc eſt an à Deo ſit, an non; cur tam aſſevetanter pronunciant, non eſſe ipſum à Deo, & hominem eſſe peccatorem, ac ſceleſtum? Sed rectè à cœco convincuntur ignorantiæ affectatæ: *In hoc enim mirabile eſt quia vos neſcitis unde ſit, & aperuit oculos meos*; quaſi diceret, vix credi poteſt vos ignorare unde ſit ille, qui rem tantam patrarit, nam ex hoc facto ſufficienter intelligere poteſtis: id oſtendit in ſequentibus: *Scimus autem quia peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit: A ſæculo non*

Digitized by Google

non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati: quaſi dicat, negari non poteſt hoc factum, eſſe miraculum: Et enim nemo hactenus id fecit: ſed miracula fiunt tantùm à Deo, igitur à Deo iſtud factum eſt, igitur illud obtinuit à Deo, ergo eſt juſtus, & non peccator, quia Deus peccatores non audit ad facienda miracula: Nam ut notat Auguſtinus impij aliqua miracula patrarunt, ſed nnn opere proprio, ſed adhibito ſigno aliquo juſtitiæ, aut in alterius nomine, vnde rectè concludit. *Niſi eſſet hic à Deo non poterat facere quidquam:* Vnde eorum judicinm ſiniſtrum refellitur.

10. Sed vide ultimum cæcitatis opus: cùm enim vim reſponſionis à cæco factæ ferre non poſſent, nec tantam in homine mēdico libertatem, ad convitia & injurias redacti ſunt, nimirum ex magnâ ſuoerbiâ, & rabie. *In peccatis natus eſt totus, & doces nos?* cæcitatem præteriam, & paupertatem, & impudentiam exprobrant, hæc enim putabant effectus peccati: Totum accuſant, in animo, & in corpore: Totum in tote vita, & ab ipſo ortu: quod nihil eſſet in ipſo boni: quapropter ab ipſo doceri dedignantur: vnde illa vox, *tu*, quaſi ſignanter dicerent: Tu, talis, tot nominibus deſpiciendus audes nos docere?

11. Conviciis & iniuriis vim addiderunt, *Et ejecerunt eum foras*, hoc eſt excommunicarunt, & à fidelibus removerunt; cum jam deſperarent ſe poſſe eum in ſuam ſententiam pertrahere: Felix cæcus qui primus meruit pro Chriſto contumeliam pati, & abſque ſynagogis fieri quod Chriſtus Dominus futurum Apoſtolis prædixit Ioan. 15.

Ex his omnibus vide, quò cæcitas homines perducat, & cæcitatis progreſſum, quæ ferè originem habet ab aliqua ingenti paſſione, quæcunque tandem illa ſit, modo ſit ſumma, ut diximus præcedenti concione: adeò intereſt quod monet Apoſtolus Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs eius*: Ita Iudæi odio in Chriſtum, & invidia excæcati ſunt: Nihil enim illis profecere miracula, omnis generis, &c. Hos effectus quotidie in multis mortalibus videmus, & ſemus, qui cupiditatibus reguntur, non lumine rationis: quod inde accidit quia cum ex obiectis alia ſint evidentia, & per ſe nota, in quibus error non contingit, quod illis neceſſario aſſenſum præbeat intellectus, alia ſunt obſcura, quæ per ſe non faciunt aſſenſum, atque in ijs multum poteſt voluntas, ut intellectum incliuet ad aſſenſum; & inſuper cum res fidei ſint tales, & res morales, ſi non in genere, ſaltem in particulati, hinc fit ut in aſſenſu qui illis præbendus eſt plurimum poſſit voluntas, quæ ſi ſit perverſa, intellectus judicium ad ſe trahit: Et hæc cauſa fuit maxima ex parte excæcatione plurimi mortales quotidie excæcantur.

Demùm ex his apparet Chriſtum in illud judicium veniſſe ut quoſdam illuminaret & alios excæcaret, non quod venerit hoc fine ut id præſtaret, nam præcisè venerat ut illuminaret, ſed ſignificatur eventus, ita enim accidit, & in propoſito nobis Evangelio id contigit, nam cæcum illuminavit uti vidimus non tantum in corpore, ſed etiam in animo, dùm eum ad veram fidem perduxit; ſed eodem miraculo Iudæos excæcauit, uti jam oſtendimus, & in utroque exemplum habemus & figuram, nam res ipſa illis contigit, & quod illis contigit in figura noſtri contigit, in qua quæ ſequuntur advertte.

1. Omnes homines reduci ad alterum ex his ſtatibus: Vnuſquiſq; enim aut eſt illuminatus aut excæcatus: Interrogē unumquemque; ſed potius unuſquiſque ſe ipſum interroget, atque dignoſcat: id planè eſſe reperiemus.

2. Id ita contingere, ut non videntes videant, & qui vident cæci fiant: Vti enim contigit tunc, ut idiotæ & ſimplices fuerint illuminati;

Digitized by Google

minati; literati vero & qui ſapientes ſe putabant fuerunt excæcati; ita nunc accidit, ut qui ſe plus cæteris videre putant excæcentur, alii vero qui de ſe nihil præſumunt, illuminentur: prodigioſo planè judicio.

3. In ambobus id fieri contrario planè modo, ſi effectus & cauſa inter ſe comparentur; nam cæcus illuminatus eſt luto, quo potius excæcari debuerat; Iudæi excæcati ſunt ipſo miraculo, quo tamen illuminari debuerant. Ita quotidie inter homines contingit, ut prædeſtinatis, Deum diligentibus, omnia cooperentur in bonum, etiam peccata, ait Auguſtinus; Reprobis autem, omnia cooperentur in malum, etiam gratiæ, virtutes, bona, doctrina, & lux ipſa atque veritas, Ita ait Apoſtolus, *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt:* 2. Cor. 2. *Aliis quidem odor mortis, in mortem; Aliis autem odor vitæ in vitam:* Tu elige quod malis. Ego quidem ex iis eſſe cupio quibus omnia cooperentur in bonū, ut illuminatus & verè converſus beneficiis Chriſti, eum ad exemplum illuminati cæci confitear, illi ſemper ſerviam, pro illo patiar, & in eius amore poſſim mori, quæ ad eius viſionem via eſt, quò nos ipſe perducat per ſuam gratiam, Amen.

FERIA QVINTA

DOMINICÆ QVARTÆ IN QVADRAGESIMA:

CONCIO PRIMA.

Ex occaſione mortis & reſurrectionis filii viduæ Nain, Mortem Vitæ præferendam eſſe.

Ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris ſuæ. Luc. 7.

QUandoquidem Filius Dei ſuſceperat cum natura humana omnes affectiones & ſenſus qui eam comitatur, ſecundum S. Pauli verba Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem:* non miror, ſi acriter affectus fuit commiſeratione ad occurſum mulieris ſpectatæ conditionis, propè urbem Naim in Provincia Galilææ; quæ univerſa urbe ſtipata proſequebatur corpus filii qui efferebatur in tumulum. Lamentatio magna eſt ipſa relatio,

Digitized by Google

latio, ait S. Gregor. Nyſſ. lib. 2. de orat. cap. 26. ſola commemoratio circumſtantiarum omnium quas nobis notat Evangeliſta, magni luctus ſunt argumentum. *Ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris ua,* 1. Filius erat, non filia; ſolent autem filii chariores eſſe quàm fœminæ: unde eorum mors parentibus eſt acerbior. 2. vnicus erat, non ſolum quia alios non habebat mater, ſed quia hunc ſolum genuerat, ut vox Græca μονογενὴς indicat; quod ſicut dilectionem auget, ita amiſſionem efficit miſerabilem: Et enim ut ait Gregor. Nyſſen. partus ei extiterat ſingularis; ſolum hunc in doloribus noverat; ſolum ſuis lactaverat uberibus; ſolus illuſtrabat eius convivium; ſolus erat cauſa lætitiæ, cum luderet, aut aliquid ageret, aut cum inſtitueretur, aut ornaretur; cum coævis, in proceſſionibus, in palæſtris, in conventibus iungeretur; omne quidquid Matris oculis dulce pretioſumque ſuberat, ſolus unicus efferebat. 3. quod mulier erat quæ eum amiſerat, maiori enim ac vehementiori dolore afficiuntur matres, quam Patres, filiorum amiſſione. 4. quod iā grandior eſſet, atque adoleſcens. Iam (inquit idem Gregor.) nuptiale tempus advenerat ſtirps videbatur generis & ramuſculus ſucceſſionis, baculus ſenectutis, & ætatis incrementum. Erat & altera lamentationis occaſio. Qui enim iuvenem retulit, florem ſimul qui marcuerat, indicavit, cuius adhuc vultus lanugie veſtiretur, & genarum fulgor grato nitore miteſceret. Sed audiamus Evangeliſtam. *Et hæc erat vidua, & turba civitatis multa cum illa.* Augentur profectò cauſæ commiſerationis. *Vidua* (inquit) *erat.* Hoc eſt primo nulla erat ei ſpes filios iterum procreandi, tantæque levamen orbitatis aſſumendi, itaque ut ait Gregorius, in uno filio omnes quos habere potuiſſet ſepeliebat. 2. Vnigenito mortuo, nomen utero non ſupererat ſuper terram. 3. eius hæreditas ab ſtirpe eius tranſibat ad alienos unico hærede defuncto, & ea pinguis; nam quod eum copioſa turba civitatis comitaretur, divitem ac nobilem oſtendit. 4. reliquiæ carnis eius peribant, uti alia vidua decebat Davidi 2. Reg cap. 14. ut eum ad commiſerandum moveret. *Quærunt ſcintillam meam quæ reliqua eſt, ut non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram*: Qua ſcilicet nemine haberet in quô ſuo functa ſuperſtes eſſet. Quid igitur (ait Gregor.) ſuper eius obitu mater pertulit? quanto viſcera eius igne perusta ſunt? quàm copioſiſſimas, & amariſſimas ſuper eum lachrymas fudit? tabeſcens quodammodò, & cadaver eius amplectens, ne properetur ſepultura eius, tantoque caſu ſatiari deſiderans, diu longas in fletu voces emittere cupiebat, ita ut omnes audientes moveret ad luctum; quin & ipſum Chriſtum: *Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam,* &c. Et quidem iuſtè: nam licitum eſt in eiuſmodi occaſione lachrymari, & acerbè; nec ulla eſt conſtantia, quæ ſimilibus caſibus non affligetur: atque id debetur miſerationi ac naturæ, quæ nos eſſe inſenſibiles non permittit, Deuſque ipſe nobis id concedit, Eccli. 22. *Super mortuum plora: defecit enim lux ei u.* Si caſus ille Filium Dei permovit, quis iniquo ferat animo eam quam ictus invaſit, illo dolere? Attamen luctum eſſe diuturum, lachrymaſque æternas minime oportet: multò minus nos deſperationi dedere debemus, & reſpuere conſolationem, cuius generis accommodatiſſima, ſolidiſſimaque eſt ſpes reſurrectionis, quæ ſola iacturam noſtram poteſt ſarcire. Quamobrem ex univerſo illo comitatu funebri nemo potuit afflictam matrem ſolari præter Chriſtus, qui ſolus poterat in illam efficaci miſericordia affici, eique ferendæ opis voluntatem ſuſcipere, ac ipſi optimè dicere, *noli flere*; non ut condemnaret eius lacrymas, ſed

ut

ut earum cauſam ipſi adimeret. Et ait, *Adoleſcens tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Vera eſt conſolatio quam ei adhibuit Filius Dei, mutans dolorem ipſius in lætitiam. Eadem eſt quam Apoſtolus S. Paulus præbet Theſſalonicenſibus fidelibusque omnibus. *Vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent*, & quam cæteris præſtari iubet; *Itaque conſolamini invicem, in verbis iſtis.* Mandatum hoc eſt, quod S. Cyprianus accepit revelante Angelo, ſicut ipſe narrat libro de mortalitate: Fratres noſtros non eſſe lugendos accerſitione Dominica de ſæculo liberatos, cũ ſciam non eos amitti ſed præmitti; recedentes præcedere; ut proficiſcentes & navigantes deſiderari eos debere, non plangi; nec accipiendas hic eſſe atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba iam ſumpſerint. Verum, ommiſſo nunc huiuſmodi Sermone, aggredior ad diſſerendum vobis ſuper illa reſurrectione, de alio argumento: Sed ſalutemus anteà B. Virginem, utque eius opem imploremus, abiicia mus nos ad ipſius pedes dicamuſq; AVE MARIA.

NIhil eſt dubii, Auditores, quin vidua Naim, mater demortui ſingulare beneficium acceperit, cum filium recepit vivum & valentem, omnipotente verbo Filii Dei: Illud autem admodum difficile eſt, ac neſcio anquiſquam rectè definire poſſit, utrum ut Matri, ita & filio datum ſit beneficium; An iniuria facta filio, ut matri fieret gratia. Qua ex occaſione in univerſum inquiro, melior ne ſit mors approperata, an vita diutius conſervata. Certe ſi primum verum eſt, melius erat, adoleſcenti ſemper iacere in ſepulcro, quam vitæ reſtitui: Quod ſi alterum, itaque non tantum Matri, ſed etiam filio beneficium conceſſum eſt Quo in diſcurſu cogitate, unum aliquem cauſam pro Morte dicere, alterum autem pro Vita; ſed unum tantum hac vice audiemus, ne veſtra abutar patientia: Itaque à vobis poſtulo, ut pro Morte cauſã agenti aures præbeatis & mentẽ; ſic enim incipit.

Si loquendum tantummodo mihi eſſet coram iis qui ſciunt & norunt ærumnas Vitæ præſentis, vitæ moleſtæ, miſerabilis, & infauſtæ; non mihi neceſſarium eſſet in hoc initio dicendi, excauſare me, quod defenſionẽ Mortis ſuſcipio, ut vitam accuſem. Sed quoniam plerique ſunt, qui delectationibus & voluptatibus vitæ præſentis deliniti tenentur cogor obſecrare vos Auditores, ut ad huc ſermonem non afferatis animum inclinatum iam, ac præoccupatum aliunde mortis, & vitæ blandimento: vobis aſſeverans, primam nihil habere amarum ac moleſtum, niſi nomen & dedecoris notam, quam plerique mortalium ipſi affingunt ignorantia cauſæ & immerito; contra autem alteram nihil commodum & ſpecioſum habere nomen, quod etiam ipſi non convenit.

I. Enim an vivere eſt, ſemper mori, deſinereque eſſe, prout eſſe pergimus? Nihil magis deperditum eſt, quam quod fuit. quod enim nõ fuit adhuc, integrum reſtat, ſed quod incepit eſſe, ſimul cœpit poſſe non eſſe amplius, ea in parte qua fuit. Quamobrem, Gregorius Homil 37. in Euang. vitam diuturnã nominat prolixitatem mortis, quia diu vivere, eſt diu mori, quod fit uſque ad mortem, quæ finis eſt mortis illius faſtidioſæ ob diuturnitatem ſuam: quod induxit Iobum ut diceret, *Qui cœpit, ipſe me conterat: ſoluat manum ſuam & ſuccidat me, & hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Sed quid dicam de ærumnis & calamitatibus vitæ adeo magnis, ut quemadmodum dixit Seneca; Nemo vitam acciperet, ſi daretur ſcientibus, neque etiam natura nobis hoc donum largitur, niſi cum minime poſſumus iudicare de eo, quamvis inſtinctu naturali nonniſi moleſtè ac invito illud accipiamus, cuius rei luculentũ ſatis teſtimonium nobis præbent lachrymæ

Digitized by Google

& querimoniæ eorum qui naſcuntur, quod movit Salomonem ad dicendum Sap 7. *Imam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.* Nonnulli ulterius progreſſi ſunt, credideruntque vitam eſſe ſupplicium, ad quod damnatæ fuerant animæ, ob gravia quædam enormiaque peccata, quæ admiſerant Id tantummodo verum eſt, affl. ctariones vitæ, pœnas eſſe originalis peccati, quod in nobis non inchoatur niſi cum vita.

Cæterum cum de vitæ miſeriis loquor, de communibus dico & de ſingularibus cujuſque, de neceſſariis & quæſitis, de iis quibus communis conditio nos addicit, & de iis quo affectiones noſtræ nos abripiunt, quæ omnes creſcunt cum vita, & obitu finiuntur. Quæ abjectio, ut nihil dicam pejus, in conceptu? Quæ infirmitas & imbecillitas in nativitate? At quæ inopia, quæ debilitas, & quæ ſtupiditas in infantia? Quæ ignorantia in ætate quæ illam ſequitur? Temeritas comitatur juventutem; ſollicitudo ambitioque virilitatem; contemptus, morbi, doloreſque, frigus ſenectutis. Quot ægrotationes, quot cruciatus, quot vitia corporis, quæ afflictationes, quot jacturæ, quot dedecora, quot perfidiæ, quod proditiones, quot caſus, quibus univerſis finem mors affert ſubducens hominem fortunæ, morbis, injuricorum violentiæ, tyrannorum inſolentiæ & crudelitati, naturæ, omnibus. Apocal. 14. *Amodo jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis*, & cap. 12. *Et abſt. rget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abjerunt.*

Itaque ſi vita carcer eſt & cuſtodia, mors eſt libertas, unde Ambroſ. lib. de bono Mortis cap. 3. colligit ex definitione mortis, quæ eſt ſolutio animæ & corporis nos in hac vita teneri vinculis alligatos, quæ cùm ſoluta fuerint, tunc perfecta laus ſacrificabitur, ſecundùm illud Pſal. *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Ita Gregor. 4. Moral. cap. 41. Diſſolvi Paulus non quæreret, niſi ſe vinctum videret: Certè ut minimum ligatur anima corpori, ut lutea domui, vel veſti: unde Nazian. ita orabat, Domine ſolve hanc tunicam ita mihi gravem, & ponderoſam, & da mihi leviorem: Immo ligatur anima corpori, ſicut cadaveri, uti dicebat Hortenſius, quo pacto homines vexabat Mezentius: Hinc uti advertit Themiſtius, Græci corpus appellarunt δέμας quod in eo ſit anima δεδεμένη colligata. Si vita vera eſt tempeſtas, & jactatio, Mors eſt portus: Nam ut ait Seneca, In hoc tam procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari navigantibus nullus portus niſi mortis eſt. Si vita morbus eſt quidam perpetuus; Equidem, uti dixi Sophocles λοίσθιος ἰατρὸς τῶν νόσων ὁ θάνατος Ultimus morborum medicus eſt mors: Nam quod alii medici curare non potuerunt, mòrs ſanat, & finit. Si vita pugna eſt, atque certamen, ut ajebat Jobus cap. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, unde veteres natalem hominis dixerunt. Genethlion ὡς ἀρχὴν ἄθλων, quaſi principium certaminum, certè in morte pax ſecura, & certa victoria. Denique ſi vita curſus, & labor eſt, mors eſt finis laboris, atque curſus, itaque gratia laboranti, uti nox mercenario. Jobi 7. *Et ſicut dies mercenarii dies eius*: Quia labor vivere eſt indefeſſus, & nocturnæ quietis, hoc eſt mortis, expectatio.

Quid dicam de errore vitæ, ac deceptione, in qua omnia ſunt fucata & vitrea? Quid quod incertum eſt cui te conditioni addicas, cui vitæ te dedas? Spolitaria, periculoſa eſt: Communis, agitata: Privata, eſt ſine honore: Publica, in ſtrepitu, ac ſine quiete: Opes animam curis diſtendunt, Paupertas affligit, ac miſera eſt: uno verbo, ubi Sapiens omnes conditiones aſpexit ita in univerſum pronuntiavit Eccl. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Quid

Quid habet amplius homo de univerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole? Quid quod ipſum ſæculum nos odit atque urget in interitum? Vnde cum Cypriano lib. de Mortal. ita placet concludere: Eius eſt in mundo diu velle manere, quem mundus oblectat, quem ſæculum blandiens, atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porrò cum mundus oderit Chriſtianum, quid amas eum qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum qui te redemit, & diligit? Hæc ille. At fortaſſe aliquis ſperet aut optet nec cito mori, nec tamē diu vivendo pati. Verum ut rectè dixit Seneca, omnis vita ſupplicium eſt. Illuſtre eſt quod refert Cyprianus in exhort. ad Mart. & lib. de Mortal. & S. Auguſtinus poſt ipſum: Cuidam Africano Epiſcopo animam agenti, atque commeatum poſcenti, inſignem vultu ac procetitate iuvenem apparuiſſe, eique voce terribili, atque minaci dixiſſe: Pati timetis exire non vultis, quid faciam vobis: ac rectè ſubiicit Cyprian. lib. de Mortalit. Audivit moriturus quod cæteris diceret. Nam qui moriturus audivit, ad hoc audivit, ut diceret: audivit non ſibi ille, ſed nobis. Nā quid diſceret iam receſſurus: didicit imo nobis remanentibus, ut dum Sacerdotem Dei qui commeatum petebat, increpitum eſſe comperimus, quid cunctis expediat agnoſceremus. Hæc ipſe: Sed quid præcipuè agnoſceremus: Illud ſanè; vivi non poſſe, & non pati.

II. Sed quod non minus eſt iis quæ dicta ſunt; Quis neſcit graves vitæ tentationes ac continua certamina, ſeu potius eam hanc omnem, eſſe plenam inſidiis, laqueis, pediciſque, noſtramque in terra manſionem, eſſe perpetuum certamen. Creaturæ enim omnes nobis laquei ſunt, divitiæ, commoda honores, pulchritudo, ſanitas. Quoties inimicus, ait, S. Ambroſ. lib. de bono mortis c. 6 cordi noſtro conatur inſerere, quo nos reflectat à ſanctitatis propoſito, & piis votis; quoties corporeos inflammat ardores: quoties occurſare facit oculos meretricios, quibus caſtum iuſti tentet affectum, ut improviſo amoris ſpiculo feriat imparatum; quoties inſerit animo tuo verbū iniquum, & cogitationes cordis abſconditas: ut dicat tibi Dominus, quid cogitas mala in corde tuo: & poſt pauca. Voluptates ſæculi eſcæ quædam ſunt, & quod peius eſt, eſcæ malorum, eſcæ tentationum. Dum voluptatem quæris, laqueos incurris. Oculus enim meretricis laqueus amatoris eſt. Oculus ergo meretricis eſt laqueus. Laqueus eſt etiam ſermo meretricis, qui obdulcat ad tēpus fauces tuas, & poſtea exaſperat eas amaritudine conſciētiæ peccatricis. Laqueus eſt aliena poſſeſſio plena amœnitatis. Omne iter iſtius vitæ plenum laqueorum eſt. unde iuſtus dicit. *In via hac qua ambulabam abſconderunt laqueos mihi.* Hæc ille eo loco Deinde in c. 7. ita habet. Et quid de extraneis laqueis loquor: Noſtri nobis laquei ſunt cavendi. In ipſo hoc corpore noſtro laquei circumfuſi nobis ſunt, quos debemus vitare. Non credamus nos huic corpori, non miſceamus cum eo animam noſtrā. Eccl. 6 *Cum amico*, inquit, *miſce animam tuam, non cum inimico.* Inimicum tibi eſt corpus tuū, quod repugnat menti tuæ, cuius opera inimicitiæ, lites, diſſenſiones perturbationeſque ſunt, &c. Jam quid de continuis certaminibus loquar: ita ut Job dixerit c. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terrā*, & ſic nulla pax ſperari poſſit, niſi in morte: unde Cyprianus in lib. de mortal. interpretans dictū Simeonis *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace*: Probans, inquit, ſcilicet, & conteſtans, tunc eſſe ſervis Dei pacē, & tranquillam quietem, quando de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis, & ſecuritatis æternæ portū petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa enim eſt noſtra pax, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis, & firma, & perpetua ſecuritas. Cæterū quid aliud in mundo, quàm pugna adverſus Diabolum quotidie geritur?

Digitized by Google

quàm adverſus iacula eius, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur: Cum avaritia nobis cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt: cum carnalibus vitiis, cũ illecebris ſæcularibus aſſidua, & iugis, & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & undique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Cogeris maledicere, quod lex divina prohibet: compelleris iurare, quod non licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur. Et delectat hic inter diaboli gladios diu ſtare, cum magis concupiſcendum ſit, & optandum ad Chriſtum ſubveniente velocius morte properare: Ita ille.

III. Is fuit hominum ſapientum, & ſanctorum virorum ſenſus; & eorum igitur, qui eo pluris æſtimare vitam poterant, quod ipſorũ vita erat pura, & à criminatione immunis: & omnes tamen prætulerunt mortem vitæ.

Ac primò, nonnulli tædio affecti ſunt vivendi, mortemque optarunt, arbitrati vitam ſibi eſſe diuturniorem. David Pſal. 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* S. Paulus ad Philip. 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* Et 2. Cor. 1. *Ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus.* 2. Contra quàm homines ſolent paſſim mortem appellare neceſſitatem, ipſi in vita remanſerunt propter ſolam neceſſitatem atque imperium Dei. Ita Apoſtolus ad Philipp. 1. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum:* quod explicans Ambroſ. de bono mortal. c. 2. Primum refert ad vitæ neceſſitatem, alterum ad mortis utilitatem: Denique, inquit, & Simeon qui ait, *Nunc dimitte ſervum tuũ*, propter Chriſtum expectabat. Chriſtus enim Rex noſter eſt, & ideò quod Rex iubet, deſerere non poſſumus, & contemnere. Quantos Imperator terræ hujus in peregrinis locis, aut honoris ſpecie, aut muneris alicujus cauſa jubet degere? Numquid hi inconſulto Imperatore diſcedunt? Et quanto ampliùs eſt divinis parere, quam humanis? Vivere ergo ſervo Dei Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quaſi ſervus enim non refugit vitæ obſequium, & quaſi ſapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum eſt evaſiſſe incrementa peccati, lucrum fugiſſe deteriora, & ad meliora tranſiſſe. Et addidit: *Diſſolvi enim & cum Chriſto eſſe, multo melius: permanere autem in carne magis neceſſarium propter vos.* Aliud melius, aliud neceſſarium. Neceſſarium propter fructũ operis: melius, propter gratiam, & copulam Chriſti. Hæc Ambroſius. Ex qua doctrina Colligo. Nulli licere è vita egredi iniuſſu Dei itaque eos qui ſe interemerunt furioſos fuiſſe, atque barbaros, idque ignavia præſtitiſſe vel errore deceptos: Item licet coacti in vita maneamus, mortem tamen debere eſſe in votis, ita ut mors ſit in deſiderio, vita verò in neceſſitate; contra quam homines vulgò facere ſolent.

3. Alii diem Natalis ſui exhorruerunt, & deteſtati ſunt, ac maledixerunt, hoc facto illud tantum ſignificantes, mortem longè eſſe meliorem vita, eſſeque optabilius non eſſe, quàm ſupereſſe. Job cap. 3. *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo: Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eũ Deus deſuper, & non illuſtretur lumine,* &c. Jeremias etiam acerbiora dixit c. 20. *Maledicta dies in qua natus ſum; dies in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens. Natus eſt tibi puer maſculus,* &c. Nonne diceres utrumq; Thraces imitari, qui in die ſuorum natali lugebant; quem etiam morem obſervarunt Brachmanes, & Gymnoſophiſtæ. Eodem pertinet quod dixit Tragœdus Euripides; optimum eſſe hominibus omninò non naſci, proximum verò ad mortẽ ire.

4. Alii

4. Alii mortuos præ viventibus beatiores exiſtimarunt, unde dolent ſe ab initio nō fuiſſe interfectos: feliciſſimos autem qui nunquā fuerunt. Iobus c. 3. *Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſus ex utero non ſtatim perii? quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem, cum Regibus, & Conſulibus terræ.* & Ierem. c. 20. *Audiat clamorem mane, & ululatum in tempore meridiano, qui me non interfecit à vulva, ut fieret mihi mater mea ſepulchrum, & vulva eius conceptus æternus* Et Salomon Eccl. 4. *Et laudavi magis mortuos quàm viventes, & feliciorem utroque judicavi qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt.* Et Apoſtolus Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis huius?*

5. Deus ipſe præmii loco nonnullis mortem largitus eſt. Quim multi referunt Trophonium, & Agamedem cum Delphicum templū conſtruxiſſent, mercedem ab Apolline petiiſſe, quam ſe illis daturū cum promiſiſſet ſeptimo poſt die, eodem mortui ſunt. Ita Cleobis & Biton, cum Cydippem matrem iugati ad currum traxiſſent ad Iunonis templū, & mater rem optimam illis à Deâ eſſet precata, vitam poſtridie finierunt, uti ſcripſere Herodotus & Plutarchus. Unde Mænander ὃν οἱ θεοὶ φιλᾶσιν, ἀποθνήσκει νέος. Dilectus Diis in iuventute moritur Sed omiſſis fabulis, multa in hiſtoriis huius rei nobis ſuperſunt exempla, & & Scriptura id diſertè aſſerit, Sap. 4. *Placens Deo factus eſt dilectus; & vivens inter peccatores translatus eſt: raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius,* &c. *Conſummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum.*

IV. Quæ hactenus dicta ſunt longè minora videntur iis quæ dicenda ſunt: inter quæ illud non eſt exiguum quod ſemper in vita augentur peccata noſtra, & debita, pœnæque ſolvendæ, quibus ſola mors terminum ponit, iuxta illud Apoſtoli Romanorum 6. *Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.*

Nota 1. vix fieri poſſe ut in ſæculo homines communiter viventes non peccent mortaliter, inter tot occaſiones peccandi, & tentationes, cum anima longa peccandi aſſuetudine, huic ſæculo inoleſcat, uti patet experientia: Ideo advertit Sanctus Ambroſius, miſericordia Dei factum fuiſſe, ut poſt peccatum homo morti eſſet obnoxius, ne (inquit cap. 4. de bono mortis) quo eſſet vita diuturnior, eo fieret culpa numeroſior, paſſus eſt igitur Dominus ſubintrare mortem, ut culpa ceſſaret.

Nota 2. de fide eſſe neminem diu eſſe poſſe ſine peccato veniali, itaque diuturnam vitam occaſionem, eſſe neceſſariam innumerorum peccatorum. Cùm igitur nihil gravius eſſe poſſit quàm Deum offendere, licet in minimis; idque quandiu erit vita ſuperſtes neceſſe ſit committere, quia de mortuo tantum dixit Apoſtolus eum eſſe iuſtificatum à peccato; quæ tandem ſpes boni nos vitam longiorem optare perſuadebit, cùm bona ſint incerta, peccata ſint certa: ac licet certa eſſent bona, ſi tamen hæc fieri non poſſint, niſi Deum meum offendam; ſine præclaris operibus malo mori, quàm cum illis, Deum meum vivendo offendere. Itaque Sanctus Ambroſius cap. 2. de bono Mortis, quid igitur tantopere vitam iſtam deſideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majore oneratur ſarcina peccatorum: Ipſe Dominus ait, *Sufficit diei malitia ſua,* & Iacob dixit: *Dies annorum vita mea quos peregrinor, centum triginta, minimi, & mali:* non quia dies mali, ſed quia nobis acceſſu dierū, malitiæ incrementa cumulantur. Nullus enim dies ſine noſtro peccato præterit: Vnde egregiè Apoſtolus ait, *mihi vivere Chriſtus eſt, & mors lucrum:* Aliud ad vitæ neceſſitatē referens, aliud mortis utilitatē: & poſteà, quod iam ſupra retulimus Lucrū eſt evaſiſſe incrementa peccati, lucrum fugiſſe deteriora, & ad meliora tranſiſſe. Hæc Sanctus ille Pater.

At

Digitized by Google

At inquies, amara mors eſt impio, quia in peccato moritur, vita autem dulcis, quia peccata ſua emendabit. Sed pulchrè idem Ambroſ. cap. 7. Amara quidem mors impio, ſed tamen amarior vita quàm mors. Gravius eſt enim ad peccatum vivere, quàm in peccato mori: quia impius quamdiu vivit, peccatum auget: moriatur, peccare deſinit: Plerique criminum ſuorum abſolutione lætantur; ſi emendaturi ſunt rectè: ſi perſeveraturi in eis, ſtultè; quia longè illis plus damnatio profuiſſet, ne incrementa facerent peccatorum. Hæc ipſe & benè. Sed rem nemo gravius explicat Apoſtolo, qui docet impium, longiorem vitam conceſſam ſibi ad emendationem, convertere in ſuam perniciem, Roman. 2. *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iuſti iudicij Dei.* Idem judicavit Nazianz. orat. in Christi Nativit. Mortem in paradiſo elucratur homo, & peccati præciſionem, ne malum immortale foret: Ita pœna ipſa in miſericordiam ceſſit. Et Boëtius lib. 4. de conſolat. proſa 4. Si nequitia miſeros facit, miſerior ſit neceſſe eſt diuturnior nequam: quos infeliciſſimos judicarem ſi non eorũ malitiam, ſaltem mors extrema finiret. Vnde abſolutè de omnibus pronuntiat Sapiens Eccleſiaſt. 7. *Melior eſt dies mortis, die nativitatis.* Rationem dat Olimpiodorus: Tranſitus dies è ſtadio nos abducit, & ſi quidem peccator eſt qui decedit, peccare ultra iam deſinet: Qui verò fuerit iuſtus, vita perfruetur æterna.

V. Eodem accedit quod ſemper deteriores ſimus vivendo, nec ferè quiſquam emendatur, ſed vitia corroborantur: Paulatim enim aſſuetudine habitus contrahuntur, & audacior fit animus, & pudor abiicitur. Quàm multorum illa vox, ſi in pueritia aut infancia fato conceſſiſſem, longè quàm hoc tempore de mea ſalute certior eſſem. Item quam multi priores annos deſiderio, & voto revocant cum Iobo cap. 29. *Quis mihi tribuat ut ſim iuxta menſes priſtinos,* &c. *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo: quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei: Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei.* Etenim inter viros etiam ſpiritales res benè ſe habere creditur ſi fervorem ſuæ converſionis, & primos ardores retinuerint.

VI. Propter periculum amittendæ innocentiæ. Parum eſt quod vita diuturna non emendemur, aut meliores evadamus; illud longe moleſtiſſimum eſt, quod diu vivendo, innocentiam vix conſervare poſſis, unde, uti ſæpe dicitur, quos Deus diligit, ſtatim eripit è vita iuxta illud Sap. 4 *Conſummatus in brevi expleuit tempora multa,* &c. *Condemnat autem iuſtus mortuus vivos impios, & iuventus celerius conſummata, longam vitam iniuſti,* &c. Hinc permittit aliquando Deus populares morbos, ut multi morte prærepti ſubducantur periculis, uti contingit in lue quæ per quindecim annos Africam fere univerſam devaſtavit, ut advertit Sanctus Cyprianus libro quem ſcripſit de Mortalitate, ubi hæc habet: Improvidi, & ingrati ſumus, Fratres dilectiſſimi, ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur, agnoſcimus: Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria ſua Virgines, venientis Antichriſti minas, & corruptelas, & lupanaria non timentes: pueri periculum lubricæ ætatis evadunt, ad continentiæ, atque innocentiæ præmium feliciter perveniunt; tormenta iam non timet delicata matrona; metum perſecutionis, & manus, cruciatuſque carnificis, moriendi celeritate lucrata, &c. Ex quibus corrigenda ſunt erronea vulgi iudicia.

VII. Ob difficultatẽ perſeverantiæ, propter ſum-

Digitized by Google

ſummam creaturæ inconſtantiam, & mutabilitatem: Quid accidit Salomoni ob vitam diuturnam. 3. Reg. cap. 11. *Cumque iam eſſet ſenex, depravatum eſt cor eius per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo.* Quid Regi Ioas qui ſanctus fuit adoleſcens, cum fuit ſub diſciplina Ioiadæ Pontificis, ſed poſtea Deum oblitus, ſervorum ſuorum ferro concidit:

VIII. Ob incertitudinem ſalutis, & periculum damnationis, in quam multi incurrerunt longitudine vitæ, qui ſi citius ſublati fuiſſent, viverent in cœlis beati & nunc in inferis torquentur. Modico tempore perditur beata æternitas.

IX. Quia per mortem acceleratam acceleratur beatitudo, & conſortium cum Deo: Et quanquam illa omnia pericula deeſſent in vita longiore, quantum illud eſt quod vita prolixiore retardatur beatitudo & cum Deo conſortium, cuius boni vel minima retardatio magnum damnum eſt? Pſalm. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus. Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam* : Hinc omnibus Sanctis vita tædio fuit, dum cogitarent beatitudinem à qua retardabantur: Hoc ſenſu dixit Paulus ad Philipp 1. *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*: eodem Sanctus Ioannes Apocalypſim finivit, *Amen, veni Domine Ieſu*. Hinc mors in deſiderio fuit, quòd ſit initium vitæ ſemper manſuræ, unde Themiſtius ait, θανατὸν dici ἄνω εἰς θεὸν. Quòd ſurſum evehat ad Deum, tantum igitur abeſt ut timeatur. Nam, ut ait Cyprianus libr. de Mortal. Eius eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: eius eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare, *&c.* Et poſtea: Cum ergo Chriſtum videre gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum, niſi cum viderimus Chriſtum; quæ cœcitas animi, quæ ve dementia, eſt, amare preſſuras, & pœnas, & lachrymas mundi, & non feſtinare potius ad gaudium, quod nunquam poſſit auferri? Hoc autem fit, Fratres dilectiſſimi, quia fides deeſt; quia nemo credit futura eſſe, quæ promittit Deus, qui verax eſt, cuius ſermo credentibus æternus, & firmus eſt, *&c.* Quibus ego adiungam, nos ſingulis diebus in Oratione Dominica poſtulare, contractionem vitæ noſtræ, & accelerationem mortis, ut ingrediamur in regnum cœlorum, cùm dicimus, *Adveniat regnum tuũ*, & tamen deinceps deſiderio planè contrario, mortẽ perhorreſcimus. Audi eundem. Quàm præpoſterũ eſt, inquit, quamque perverſum, ut cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos, & accerſit ex hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis eius imperio pareamus? Obnitimur & reluctamur, & pervicacium more ſervorum ad conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore perducimur, exeuntes iſthinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis, & volumus ab eo præmiis cœleſtibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus, & petimus ut adveniat regnum cœlorum, ſi captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poſcimus, ut acceleret dies regni, ſi majora deſideria, & vota potiora ſunt ſervire iſthic Diabolo, quàm regnare cum Chriſto? Hæc ille, & quidem non minus verè quam eloquenter. Quod ad me attinet ſatis mirari non poſſum cur non audeant mortales, amicis, & conſanguineis, ſi in morbo periclitentur, nuntium mortis afferre. Quaſi hæc vox eos terrere debeat, finis adeſt malorum, & tentationum, & criminum: adeſt autem initium bonorum omnium. Eundem ad cœlum; proficiſcendum ad Deum; capeſcendum eſt regnum: Videndus ille quem dilexiſti, quem amaſti, quem tantopere deſideraſti. Sed nimirum nunquam illi Chriſtum dilexerunt, nunquam amaverunt: alioqui enim, ut ait

nit Gregorius homil. 15. in Ezech. Anima Chriſti amore ſaucia, tota eius ardet deſiderio: nulla iam quæ in mundo ſunt concupiſcit: præſentis vitæ longitudinem, pœnam deputat: exire feſtinat, & amoris amplexu in cœleſtis Sponſi viſione requieſcere. Mens itaque quæ jam talis eſt, nullam præſentis ſæculi conſolationem recipit, ſed ad illam, quā diligit medullitus ſuſpirat, fervet, anhelat, anxiatur: vilis ei fit ſalus ſui corporis, quia transfixa eſt vulnere amoris. Hæc Gregorius.

Sed plerique mortem timent, ac reformidant. Fateor, ſed injuriā.

1. Quidem, quia vel in morte nullus eſt ſenſus, vel certè perexiguus, imō ſi eſt aliquis, omnis ſenſus eſt vitæ, mors quippe à ſenſu liberat, eſt enim ſeparatio animæ & corpus, & ut loquitur Ambr. cap. 8. Anima abſolvitur corpus reſolvitur; quæ abſolvitur gaudet; quod reſolvitur nihil ſentit, quod nihil ſentit, nihil agnoſcit. Quid quod, ut aiebat Socrates apud Platonē in Axiocho; Mors, neque circa vivos neque circa defunctos eſt: quoniā circa vivos quidem non eſt defuncti vero non exiſtunt. Præclarum quod aiebat Anaxagoras δύο διδασκαλίας εἶναι θανάτου. duas eſſe mortis doctrinas; τόν τε πρὸ τοῦ γένεσθαι χρόνον, καὶ τὸν ὕπνον. alteram, tempus antequam nati ſumus, alteram, ſomnum: vide quid iu utroque tempore pertuleris: Idē cogita de morte.

2. Si mors gravis eſt, non lenitur retardatione, ſed potius fit gravior; ſemper enim moriendum eſt: cur non potius igitur citò quam tarde, præſertim cū melius ſit ſolviſſe, quam debere? Vnde cum Auguſtinus Epiſcopum animam agentē inviſiſſet eique diceret, illum, ut Eccleſiæ neceſſarium vivere adhuc poſſe; reſpondit alter; ſi nunquam, (ſupple moriendum eſt) bene; ſi aliquando, quare non modo? Nam erit ratio poſt retardationem.

3. Si aliquid graue eſt; Equidem (inquit Ambr. cap. 8.) non mors ipſa terribilis eſt, ſed opinio de morte, quam unuſquiſque pro ſuo interpretatur affectu, aut pro ſua conſcientia perhorreſcit. Suæ igitur unuſquiſque conſcientiæ vulnus accuſet, non mortis acerbitatē. Certe ijs quibus gravis eſt timor mortis, non eſt grave mori, ſed grave & vivere ſub metu mortis. Non ergo mors gravis, ſed metus mortis. Metus autem opinionis eſt, opinio verò noſtræ infirmitatis, contraria veritati. Opinio autē non mortis utique, ſed vitæ eſt. Ergo illud grave, vitæ magis invenitur eſſe. Liquet igitur quia mortis metus, non ad mortem referendus eſt, ſed ad vitam. Hæc ille.

At inquiunt mors eſt gravis, propter ea quæ ſequuntur mortem, nempe judicium & ſupplicia. Sed 1. ex Ambr. ibid. Quid ad mortem, id quod poſt mortem eſt? Si autem quæ poſt mortem ſunt, referantur ad mortem, eadem etiam quæ poſt vitam ſunt, referantur ad vitam. Nulla ergo erunt ſupplicia, quæ referantur ad mortem. Mors enim ut ſupra diximus, abſolutio eſt, & ſeparatio animæ, & corporis. Non eſt autem mala ſolutio, quia diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multo melius. 2 ex eodem ibid. Non habemus quod in morte, (addimus nos, vel poſt mortem) metuamus, ſi nihil quod timendum ſit, vita noſtra commiſit. Et enim prudentibus, delictorum ſupplicia terrori ſunt, delicta autem non mortuorum actus ſunt, ſed viventium. Vita igitur ad nos refertur cuius actus in noſtra poteſtate eſt, mors autem nihil ad nos. 3. Non omnes aliquid timent poſt mortem, ſed multi ſperant. Et ex eodem ibid. Non utique mors peſſima generaliter, ſed peſſima ſpecialiter peccatorum. Denique pretioſa juſtorum. Vnde liquet acerbitatē non mortis eſſe, ſed culpæ, culpa verò ad vitam pertinet. Hæc ipſe: addamus; nam tempore vitæ peccata committuntur.

Sed vita dat ſpatium merendi, ac pœnitendi. Quam vana hæc ſpes, ac pollicitatio?

1. enim

Digitized by Google

1. enim id falſum eſſe ſatis docet quotidiana experientia. Certe qui gravi morbo afflictantur, innumera ſe facturos ſi convaluerint pollicentur: quis tamen ex morbo recreatus, fit melior? 2. ut vita ſpacium eſt pœnitentiæ, ita facultas eſt peccandi, immo & certitudo: ſed maius eſt periculum peccati quod certum eſt, quam ſpes merendi quæ ſemper eſt dubia, incerta, & ut plurimum fallax; quod unuſquiſque in ſe potuit experiri.

Ex quibus omnibus concludo in hodierno miraculo, totum beneficium fuiſſe Matris, non autem filii, unde Evangeliſta innuit Chriſtum ad ſolam matrem reſpexiſſe, eamque unicam ſolatum fuiſſe: *Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam*: non utique ſuper filium, qui ab huius vitæ calamitatibus liberatus erat, atque ereptus. Quanquã ad eius providentiam attinuit, ne Matris conſolatio, filio fraudi eſſet. Proinde qui lugent mortuos, fere ſeipſos tantum deflent, ſuamque conditionem atque orbitatem; ac ſeipſos ſolum amare ſe oſtendunt: Nam ſi ſuis benè eſſe vellent, illis certè gratularentur, quod jam portum teneant, quod liberi ſint ab omomnibus vitæ incommodis, quod felicitatis poſſeſſores iam exiſtant, quod fecerint, quod ſemper facere debuiſſent, ac niſi feciſſent, gravius aliquando facturi eſſent. Hinc plane me tui miſeret, O Adoleſcens, qui cum portum teneres, ex portu in medium mare, & ſævam tempeſtatem rejectus es, &c. Quin & veſtrã ſortem vobis invidemus ô Felices Mortui, qui iam in tuta ſtatione ſecuri quieſcitis, dum nos in huius vitæ turbinibus jactatur, incerti de exitu, & cum ſalutis periculo, &c.

Quid cenſetis, Auditores, de primo hoc ſermone habito in gratiam mortis, adverſus nimium amorem, quo ut plurimum homines affecti ſunt erga vitam? Ego quidem hunc elicio fructum, oportere nos ad omnem eventũ paratos eſſe, ac vitam pariter ut mortem contemnere. Itaque, ut ipſis S. Cypriani verbis libro de Mortal. concludamus: Mente integra, Fratres dilectiſſimi, fide firma, virtute robuſta, parati ad omnem voluntatem Dei ſimus; pavore mortis excluſo, immortalitatem quæ ſequitur, cogitemus. Hoc nos oſtendamus eſſe quod credimus, ut neque charorum lugeamus exceſſum; & cum acceſſitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum, ipſo vocante, veniamus. Quod cum ſemper faciendum fuerit Dei ſervis, nunc fieri multo magis debet, corruente iam mundo, & malorum infeſtantium turbinibus obſeſſo, ut qui cernimus cœpiſſe iam gravia & ſcimus imminere graviora, lucrum maximum computemus ſi iſthinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent, &c. nonne omni celeritate migrares? Si navigante te turbida & procelloſa tempeſtas fluctibus violentius excitatis prænunciaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, &c. tu non tibi gratularis, quod exitu maturiore ſubtractus, ruinis & naufragiis, & plagis imminentibus exuaris? Conſiderandum eſt, fratres dilectiſſimi, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites & peregrinos iſthic interim degere. Amplectamur diem qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſthinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exſolutos paradiſo reſtituit, & regno cœleſti. Quis non peregre conſtitutus properaret in patriam regredi; quis non ad ſuos navigare feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti: Patriam noſtram Paradiſũ computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus; quid nõ properamus, & currimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus: Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum,

 fre-

frequens nos & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, adhuc de noſtra incolumitate ſollicita. Ad horum conſpectû & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt? qualis illic cœleſtium regnorum voluptas, ſine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? quàm ſumma, & perpetua fœlicitas? Illic Apoſtolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus, *&c.* triumphantes illic Virgines, *&c.* remunerati miſericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum, juſtitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta ſervantes, ad cœleſtes theſauros æterna patrimonia tranſtulerunt. Ad hos, fratres dilectiſſimi, avida cupiditate properemus, ut cum his citò eſſe, ut citò ad Chriſtum venire contingat, optemus. Hæc ille. Poſt hæc verba quis tuus eſſe poteſt ſenſus, mi Auditor, quis ardor animi, quantus huius vitæ contemptus, quantum futuræ deſiderium: In his cogitationibus quàm multorum animi ſua corpora deſeruiſſent niſi firmis vinculis fuiſſent detenti: Sed homines carnales, & luto affixi, cùm nil præter hæc præſentia norint, aliud cogitare non poſſunt, ſunt enim quos Chriſtus appellat filios hujus ſæculi, quos opponit filiis lucis. Iſti cum aliud cognoſcant quàm res corporeas, cœleſtes ambiunt, & meliorem vitam deſiderant, ſcilicet immortalem atque beatam quam nobis date dignetur Ieſus Chriſtus, Amen.

FERIA QVINTA

DOMINICÆ QVARTÆ IN QVADRAGESIMA.

CONCIO SECUNDA.

In idem Miraculum reſurrectionis filii viduæ Naim;
Vitam Morti præferendam:
Contra Concionem præcedentem.

Et reſedit, qui erat mortuus. Lucæ 7.

SErmoni de morte, nullus magis eſt affinis neque propior ſermone de vita; ſicut è cunctis rebus nulla minus diſtat à morte quàm vita, ita ut una cum altera eſſe permixta videatur Eccli. 33. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita,* &c. *Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi, duo & duo; & unum contra unum*: Nihil in Dei operibus ſolitarium eſt: *duo & duo*: Societas tamen eſt rerum omninò contrariarum, quæ ſe univerſæ reſpiciunt, aliæque adverſum alias oppoſitæ ſunt, bonum eſt è regione mali; vitaque è regione

regione mortis. Nonne iſtud eſt, quia ſicut differit eruditè S. Greg. Nyſſen. in vita Moſis; contrarium unum ſuo contrario finitur, adeò ut unum in alterum intret, quoniam unum ſe uſque ad alterum extendit: ita dies finitur nocte, ſed per eum deſinendo, ſe uſque in eam inſinuat; ac generaliter loquendo, quicquid terminat aliud, immediatè ipſi conjungitur: omnis diſtantia fit per intervallum, minimũ omnium eſt id quod eſt indiviſibile: quia & inter terminans & terminatum, ne unũ quidem indiviſibile reperitur, omne enim uſque ad terminum ſuum extenditur, unde fit ut nulla ſit diſtantia: ac proinde conſequens eſt ut quemadmodum omne contrarium finitur in eo quod ipſi oppoſitum eſt, cujuſmodi ſunt mors & vita, nihil morti vita, vitæque morte propinquius exiſtat. Vel forſan, hic locum habet Ariſtotelis doctrina, rem quamlibet generi è contrario ſuo. Nihil caleſcit quod non eſſet frigidum; & quod creatione accipit eſſe, antea in non eſſe erat; atque ut nihil de cæteris omnibus contrariis dicatur, peculiare id morti eſt ac vitæ, ut ſe comprehendant includantque mutuo. Primus mortis occurſus qui accidit homini, fit in vita; incipiendo mori ſtatim ac vivere incipit; moriendo eo diutiùs, quo diuturnius vivit; & cauſa cur moriatur ſemel omnino, eſt quod deſinit vivere. Doctrinam hanc debeo Magiſtris pluribus; unum duntaxat nominabo hac vice: Proſper eſt Aquitanicus lib. 2. de vocat. Gent. c. 21. *Vitæ hujus, inquit, principium, mortis exordiũ eſt, nec prius incipit augeri ætas noſtra, quàm minui: cui ſi quid adjicitur ſpatii temporalis, non ad hoc accedit ut maneat, ſed in hoc tranſit ut pereat.* Hæc ille. Inde evenit ut primus hominis tumulus ſit venter matris, quem poſſum appellare ſepulchrum vivens, nam in eo incluſus incipit mori. Sicut contra reperimus vitam in morte, quandoquidem in ea & per eam inchoamus vitam, quæ ſola mortem non habet cùm æterna ſit: ita ut tumulus nobis ſit inſtar matricis, ubi vitam reſumimus. Cùm igitur tam arcta ſit connexio ſucceſſioq; neceſſaria inter vitam & mortem, quandoquidè de hac locuti ſumus ex occaſione obitus filii viduæ Naim, reliquum eſt modò ut diſſeramus de illa quoniam reſurrectione eã recuperavit, *& reſedit qui erat mortuus.* O Sapientia divina, Verbum Incarnatum, Chriſte qui modo admirabili vitam mortemque in te junxiſti, Apoc. 2. *Qui fuit mortuus & vivit*, & cap. 5. *Vidi agnum ſtantem tanquam occiſum*, dirige animum meum & linguam, gubernaque corda eorum qui me audiunt, quandoquidem vivere pro te volumus & mori, ſecundum Apoſtoli tui ſenſum Rom. 14. *Sive enim vivimus, Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur, ſive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Tuque ô Sancta Virgo, vitæ noſtræ moderatrix, Dominatrixque noſtræ mortis, cui utramque conſecramus, ô poſſimus tuo in cultu vivere, morique in protectione tua! id à te nunc depoſcimus in hoc Sermone, tibique cum Angelo dicimus.

NOn difficile eſt, meminiſſe vos, Auditores, quòd heri vobis propoſui de reſurrectione filii viduæ Naim, ſcilicet, An quemadmodum mater incomparabile beneficium acceperat, recuperando filium miraculo reſurrectionis; Ita actio illa fuiſſet magnæ utilitati filio, aut contra, an ei fuiſſet damno & detrimento. Atque ut propoſitionem magis generalem, communioremque facerem, eam hiſce verbis induxi; Utrum ſcilicet anticipata mors melior eſſet vita prorogata: quam permiſi contrariæ utriuſque partis diſputationi, quarum prima propugnavit cauſam Mortis, adverſus Vitam, reſervato Sermone hodierno ad prorogatæ vitæ defenſionem. Opinio quam habeo de Judiciorum veſtrorũ integritate, me in eam ſpem adducit, cùm unã autem præſtiteritis benevolam primæ parti,

Digitized by Google

vos reſervare alteram contrariæ pariter audiendæ. Cur enimvero putatis naturam oculos duos nobis, duaſque aures dediſſe, niſi ut nos commonefaceret partiri æqualiter aſpectum noſtrum, & conſiderationem facilitatemque noſtræ audientiæ, juri, querimoniis, & defenſioni ambarum partium? Ac tametſi duplicavit geminavitque in nobis pleraque alia membra, uti habemus omnes duo brachia, manus duas, duoſque pedes; ut plurimùm nihilominus in membris omnibus cùm dextrū craſſius ſit, robuſtius, aptiuſque actioni, in oculis tamen & auribus eorum qui juſta proportione conſtant, nulla eſt diſtinctio, ſed abſoluta ſimilitudo, ut qui primo loquuntur, videnturque auris dextræ facilitatem & gratiam obtinuiſſe, nihil ſupra cæteros poſtremò locuturis anticipatione aliqua ſperent, quandoquidem auris ſiniſtra, quæ videtur ipſis relicta, nihil minor inferiorque ſit dextra: ſicut etiam oculi duo, ambo ſunt unicę ſimiles, eorumque actio ita communis eſt utrique, ut nonniſi eadem viſio, atque una tantum actio ſit. Non dubito, quin prior ille ſermo permultos commoverit, quemadmodum olim Tractatus de Immortalitate animæ à Platone Philoſopho ſcriptus, voluntariam mortem pleriſque perſuaſit, uti Cleombroto: quanquam factum illud plenum fuit furoris, rabiei & crudelitatis: Sed quid accidiſſet, ſi Philoſophus ille, majoribus quam Ethnici habuerint, luminibus illuſtratus, ſermoni ſuo addidiſſet reliquas rationes quas protulimus? procul dubio, maxima pars ſibi vitam eripuiſſet; ſaltem fuiſſet nemo, quin eam contempſiſſet, & optaviſſet mori, crediidiſſetque vita ſibi prorogata retineri ſe diu in ſupplicio, ſuumque exilium extendi. At quandoquidem qui locuturus eſt in gratiam vitæ adverſus mortē, tantum benevolentiæ gratiæque promittit ſibi apud vos, quantum qui illam impugnavit, oro vos ejus cauſa, renovare attentionem veſtram, eique audientiam eo benigniorē præſtare, quòd à parte ipſi contraria jam ante occupati eſtis. Taceo, ut tribuā illi otiū loquendi: ſilentium Auditores, ecce exordium facit.

Mirari ſatis non poſſum conſilium ei propoſitum qui ante me ſermonem habuit, qui tam acerbè ac injurioſè locutus fuerit de Vita ad commendationem Mortis, cum ſine Vitæ beneficio, nec potuiſſet quidquam dicere; quis enim fuiſſet, non vivendo; neque ullum habuiſſet cui loqueretur? qui enim eſſent Auditores, niſi efficeret vita ut eſſent, cùm eſſe amittant cum vita? Ita ut idem mihi videatur feciſſe ac ij qui utuntur eloquentia, ut eloquētiam vituperent, qui quidem non metuendi admodum eſſent in accuſatione ſua, niſi eadem ipſa quam culpant uterentur. Verum quanquam varias habeo cauſas conquerendi de adverſario, uti quòd criminatus eſt vitam, commendaverit mortem & excuſarit, contra communem naturæ ſenſum, ordinariumque judicium hominum, à quibus nihil invenitur melius, ſuaviuſque vita, nec horribilius quidquam & formidabilius morte: nolim tamen uti exprobratione, ne videar magis accuſationem amaſſe quàm defenſionem, quam volo totam inſumere reſpondendo iis quæ mihi obiecta ſunt.

Principio igitur adverſarius varia vitæ incommoda, atque ærumnas enumeravit, unde vitam execratus eſt, mortem autem optandam eſſe dixit, quæ horum malorum finis eſſet, atque terminus: Sed nimirum ut ait S. Dorotheus Doctrinal. 12. Illud ex puſillanimitate, atque ignorantia procedit. A prima incipiamus; Etenim, ait, eſt animi fracti miſeriis ſuccumbere, atque ad mortem confugere quod adverſa pati non poſſis: Ita abiectiſſimus quiſque dum vitæ ærumnas ferre nequiret, ſibi mortem conſcivit. Quare S. Auguſt. lib. 1 de Civit. Dei c. 26. negat fortes eſſe æſtimandos, qui ſibi violentas manus intulerunt,

ſed

Digitized by Google

ſed abiectos, & fractos, cum malis ferendis impares eſſent: Præſertim cum fortitudo plus inſit in ferẽdo, & patiendo, quàm in agendo. Sicut igitur columna ſi tenuis ſit atque debilis, facilè frangitur ſi nimiũ oneretur; Ita etiã animus fractus ſuccumbit adverſis. Ad hæc nemo ex dolore mortem optet niſi ex deſperatione, quæ ſemper imbecillitatis eſt comes. Sunt qui in hunc ſenſum verba Jobi accipiant c. 7. *Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Deſperavi, nequaquam ultra jam vivam*: quanquam per hoc tantum ſignificare voluit vir Sanctus, de ſe actum eſſe, ſuumque morbum planè eſſe lethalem. Quid quod etiã ipſa mors ab eiuſmodi hominibus timeatur, maximaque eorum pars illi ſeni ſimilis ſit, qui cum ſæpius mortem inclamaſſet, ipſaque veniſſet, ſtatim addidit, non ideo eam vocaſſe, ut ſe interimeret, ſed ut faſce quo premebatur, ſe ſublevaret. Sic dicebat Lycophron Poëta; Quando procul adhuc mors abeſt, orcus deſideratur ab infortunatis; cùm verò obrepit κῦμα λοίσθιον βίου, ultima vitæ unda, cupimus vivere, nulla enim vivendi ſaturitas eſt. In quos omnes gravis illa reprehenſio cadit, de qua locutus eſt adverſarius, facta, uti refert Cyprianus lib. de Mortal. Epiſcopo morituro commeatum petenti, ab Angelo eum graviter obiurgante. Pati timetis, mori non vultis, quid faciam vobis? Quod ſi qui deſperatiores ſunt, profectò ne diu mortem timeant, ſemel obeunt: cum ſi fortes fuiſſent, neque pati fugiſſent, neque mortem timuiſſent. Itaque rectè Dorotheus, non tantum illum ſeipſum perimendi furorem, ſed ſolum mortis deſideriũ ex impatientia, & puſillanimitate proficiſci docet, cum ait: Sunt autem nonnulli, in his quæ ſibi acciderunt adverſa, adeò impatientes, & debiles, ut vitæ ipſi abrenuntient, & mori optent ut his liberentur.

Sed quorſum etiam eiuſmodi deſideriũ appellavit ignorantiam? quoniam, Auditores, è levi febre in ardentem decidunt, deprecanteſque reſtim, ad ignem damnantur. Ignorant enim hi, inquit Doroth. loc. cit. terribilem neceſſitatem quæ animæ incumbit, cũ è corpore egreſſa eſt. Magna, pergit ille, magna Dei clementia eſt fratres, dum in hac vita ſumus; ſed ignorantes quàm graviora ſint, quæ poſt obitum expectamus, ad hæc tantũ pœnitentiæ oculos flectimus, quæ profectò gravia nõ ſunt. An ignoratis ſententiam ſenis illius, cum interroganti fratri, atque dicenti, quod mori optaret, reſpondit, ut tribulationem fugias, iſtud optas: ſed ignoras quod quæ ventura ſunt, graviora ſunt, & acriora multò his. Alius item cum ſenem interrogaſſet, unde fieret quod ſibi moleſtum eſſet in cella ſedere, accepit: Quia nondum proſpexiſti in futuram requiem, vel afflictionẽ. Si enim hæc animo diligenter inſpicias, & mediteris, etiamſi cella tua vermes ſcaturiat, ut ad collum uſque immergaris in illis; ſuſtineres utique abſque moleſtia ulla & difficultate. Hæc ille.

1. Igitur quoniam quæ inexperta ſunt leviora putantur, hinc fit, ut Vitæ mala acerbiſſima putentur, quoniam ea ſumus experti; Mortis autẽ faciliora, ob inexperientiam: Præſertim pauci admodũ animarũ cruciatus, atque tormenta æſtiment, ſed omnia ſenſu metiantur; licet ipſe naturalis de morte metus, in ingentis alicuius mali ſuſpicionem etiam minimè expertos vocare poſſet. Quanquã nec deſit in aliis experientia; quot enim accidunt in morte ſymptomata: quot formæ in vultu diverſæ; quot mutationes: quot membrorum adductiones, & iactationes: quis ſudor, quis ſingultus: quam populatũ corpus exangue: quæ omnia tranſigi non poſſunt ſine ingenti dolore.

2. Quoniam quæ in morte cõtingunt maxima ex parte à nobis ignorantur: Sed verò in primis quid animam paſſuram exiſtimamus, cum è corpore egredietur, ignara illius vitæ quam ducere incipiet, in qua nihil eorum videbit quæ nunc ſibi nota ſunt: nam ut ait David, *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*;

videbit

Digitized by Google

videbit nimirum ſe exutam rebus omnibus; ſpoliatam omnibus diuitiis, communibus, & propriis, derelictam ob omnibus; ſtupentem ad præterita; ignaram præſentium; futuorum incertam.

Deinde quid paſſuram putamus in illa ſolitudine horribili ac tenebroſa, ex paſſionum ſuarum ſocietate, quibus miſera cruciãda relinquentur? Vnde ex Dorotheo loc. cit. aiebat Evagrius, peccatorem hominem qui Deum rogaret, ut cito vitam ſuam finiret, ſimilem eius eſſe qui fabrum lignarium obſecraret, ut lecticam ægroti cito contereret. Ex hoc enim corpore fit, ut anima à ſuis paſſionibus avocetur, & abſtrahatur, comedat, bibat, dormiat, deambulet, gradiatur cum amicis: Cum autem ſoluta fuerit hoc corpore, una erit cum paſſionibus eius, ideoque ſemper ſub ipſis, & in ipſis affligetur, & punietur, ita ut diſturbata; & incenſa ab earum moleſtia, diductaque, & diſperſa per varia, non queat etiam Dei reminiſci. Conſolatur enim animam memoria Dei, ut ait Propheta. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.*

Rem totam duplici exemplo exponit. Primum eſt cuiuſmodi. Includatur quis veſtrum in abditam, & obſcuram cellulam, triduumque tantum ſuſtineat inediam & jejunet, non bibat, non dormiat, non conveniat cum aliquo, non oret, non cantet, neque omninò memoriam Dei ullam habeat, intelliget profectò quid in ſe agant poſſint que paſſiones. Quod ſi hoc, cùm etiam corpore, quantò magis cum anima fuerit egreſſa à corpore, & illis tradita atque omnino coniuncta, atque addicta? Nemini ſane dubium eſſe debet paſſuram eam graviſſima cum illis. Alterum exemplum erit à corporali aduſtione, quæ vel minima, tantum parit dolorem; ac ſubdit: At quem ignem, quam flammam, quod incendium iſthic ea ligna factura ſunt? Vt corpus melancholicum, & diſtemperatum, continuè ab ipſa melancholia, & diſtemperantia uritur, & affligitur, ſic anima vitiis ſubjecta, ſemper à malitia, & iniquitate ſua torquetur, atque in perpetua memoria, dolore, & amaritudine eſt paſſionum quæ ipſã adurunt, & incendunt. Et præter hæc, ut pergit, Quis poſſit, fratres, horrenda illa loca narrare? Tortores terribiles, animas infelices duro cruciatu torquentes; ignem incorruptibilem, ac ſemper ardentem; tenebras inexplicabiles; aſperos & rigidos Iudices, & ultores, atque alia dira, & innumerabilia tormenta; quæ omnia debita proportione, animarum delictis, etiam pravis earum voluntatibus accommodata ſunt. Sed ſatis ex eo. Verum omnem horrorem ſuperat quod Chryſoſt. ait, ſi non eſſent ſcilicet flumina iſthic quæ igne fluerent, non Dæmones horrendi, at ſolũ ex judicatis, hi gloria & triumpho cœli donarentur, illi inglorii, & inhonorati relinquerentur, ne viderent gloriam Domini, hanc pœnam, hanc ignominiam, hanc confuſionem omni tormenti genere, omni gehenna longe maiorem eſſe. Accedit præterea caſus ſui dolor, conſcientiæ morſus, & memoria amariſſima malefactorum, quæ omnia duriora ſunt quibuſcunq; tormentis.

Ille nimirum pleriſque eſt poſt tempeſtatem portus; quẽ tantopere adverſarius prædicavit: Ille malorum terminis, minorum ſcilicet, ſed initium maximorum, & æternorum. Magna igitur ignorantia eſt, ut vitæ hujus moleſtias, atque ærumnas evites, in mortis ſinum convolare, cum in ipſa morte, longe majores exiſtant: Et vera ſane eſt Dorothei doctrina; magnam eſſe Dei clementiam dum in hac vita ſumus.

Potuiſſem hic adverſario reponere, ſi quædam ſunt in hac vita difficultates, multas quoque eſſe honeſtas voluptates, quæ omnes moleſtias deliniant: & ad minimum, ſicut vitæ noſtræ tempus diebus atque noctibus diſtinguitur:

guitur; ita vitam noſtram doloribus, & jucunditatibus diſtingui, nullam verò eſſe in morte voluptatem. Sed tantum objectis ab eo uti volui, atque oſtendere vitæ ærumnas non efficere mortem amabilem, eo uſque ut Mœcenas, vir alioqui voluptatum amantiſſimus diceret, malle ſe vitam æternam cum maximo cruciatu palo transfixum vivere, quàm interire; cum ſummum malorum omnium eſſe diceret non eſſe, quod morte contingere credebat: Idem dixit Euripides in Oreſte. κακῶς ζῆν κρεῖττον ἢ καλῶς θανεῖν. Malè vivere præſtat quàm bene mori

Hinc facilis eſt ad II. accuſationis caput, reſponſio, quo vita culpabatur quod innumeris inſidiis, & laqueis appeteretur, quorum alii eſſent in nobis, alii paſſim extra nos ab inimicis tenderentur, adhæc, quod perpetuum eſſet certamen, nullaque pace frueretur; itaque mortem eſſe optandam, quæ finem inſidiis atque præliis afferret. Quæ quidem omnia, 1 Difficilem vitam oſtendunt; non tamen ſuauem interitum, 2. inſidiis appeti & certamine, non eſſe vinci, ſed cauſam habere victoriæ. Fateor, inſidiæ ſunt in vita, ſed ineſt homini prudentia, adſunt documenta, ut evitet ac non capiatur Frequentia ſunt certamina, ſed nulla ſine certamine, ac vix quidem ſine ſanguine victoria. Mortem optare, ne pugnes, vinci eſt antequam certes. Tu in hanc vitam eo fine veneris, ut decertes; & tu miles deſidioſe inhoneſtam miſſionem petas, nondum peracto militiæ legitimo tempore? Adhæc, vel primis annis victus es, vel viciſti, Si primum, cur mori vis ſine honore? cur acceptam injuriam ulciſci? Quod initio peccaſti, hoc tibi ſit documento ne pecces: Si alterum, cur veteranus deſperas de victoria, ſi novitius ſuperaſti? Præterquam quod in hoc genere militiæ nemo vincitur niſi volens, nemo plagam accipit niſi ſponte. Occurrit meretricis oculus; Tu tuum vel claude, vel demitte: quam facilis victoria. Alienam felicitatem vides? ſi temporalis eſt, aſpernare, nec invidebis: ſi æterna eſt, concupiſce; ambobus ſufficiet, &c. Denique prima ferè tantum certamina difficilia ſunt, non autem poſtrema: ſi in primis victor extitiſti, non deinceps æquo pugnabis, ſed tanquam victor, & aſſuetus victoriæ.

Quod III. ſequitur, maiorem habere videtur difficultatem: Etenim contra nos agitur teſtimoniis, ſed eorum, quorum authoritatē negligere nullo modo poſſumus. 1. Enim aliqui mortem optarunt, uti David, & Apoſtolus Paulus. 2. Alii in vita neceſſitatem potius intellexerunt quàm in morte, cuius non tam neceſſitatem credebant eſſe debere, quam voluntatem & deſiderium. 3 Nonnulli natalē ſuum execrati ſunt, ut Iobus & Ieremias Denique 4. ſe Deus nonnullis mortem dedit in præmium. Quæ omnia licet potentiſſima eſſe videantur, ut tamen illis reſpondeatur nonniſi veſtram attentionem deſiderant. Incipiamus ab ultimo, à quo debito ordine ſeruato perueniemus ad primo propoſitum.

Inprimis itaque nonnullis Deus loco præmii mortē largitus eſt; melior igitur fuit mors quam vita. 1 Ambigi poſſet de ipſa propoſitione, ac dici poſſet, cum in Scripturis dicitur colligendos eſſe aliquos ad patres, antequam ingentes calamitates accidant, ſenſum non eſſe eorum vitam imminui, ſed tantum poſt eorum obitum calamitates differri: Ita 3. Reg. c. 21. dictum eſt de Achab. *Quia humiliatus eſt mei cauſa non inducam malum in diebus filii tui inferam malum domui ejus.* 2. Si Deus aliquibus mortem conceſſit, non ipſa beneficium fuit, ſed liberatio à periculo, & calamitate, quod beneficiū maius fuiſſet, ſi manente vita liberatio fuiſſet. 3. Quod reſpectu aliquorū eſt verū, nō continuò reſpectu omniū eſſe poteſt: Itaq; ut facta factis opponamus; Nihil frequētius in Scriptura reperimus, quàm vitā longiorē concessam,

ceſſam, ut præmiũ. Ita filiis obedientibus promittitur longa vita. Ita oranti Ezechiæ vita producitur. Et Prov. 9. *Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ.* Iobo quoque dum reddit ſunt omnia duplicia, additi ſunt anni vitæ centum & quatraginta; *& vidit* (inquit Scriptura) poſtremam prædicans Iobi felicitatem *filios ſuos, & filios filiorum ſuorum uſque ad quartam generationem, & mortuus eſt ſenex, & plenus dierum*, quod beneficium in multis ſæpe agnoſcit Scriptura: è contrà vero nonne mors in univerſum hominibus irrogata in pœnam? unde tanquam effectus tribuitur peccato: Genel. 2. ubi prohibetur uſus ligni ſcientiæ boni, & mali, additur; *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Malum igitur mors (recte ſibi obiicit Sanctus Ambroſius lib. de bono Mort. cap. 1.) quia precio damnationis infertur: Et Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Et infra, *Vnius delicto mors regnavit per unum.* Et in particulari; Plurimis in pœnam accelerata fuit mors, Pſalm 54. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Et 1. Reg cap. 2. Inter cæteras pœnas quas Samuël refert Heli Sacerdoti, eius domui inferendas hæc fuit, *Vt non ſit ſenex in domo tua.* Item, *Pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit*: Non igitur per ſe loquendo mors deproperata beneficium eſt ne dicamus homines delinquendo meruiſſe beneficia; præclare autem geſtis ſupplicium.

Sed Eccleſiaſtes cap. 4. laudat magis mortuos quam viventes, & feliciorem utroque iudicat, *qui necdum natus eſt nec vidit mala quæ ſub Sole fiunt.* 1. Quidem plurima in eo libro dicuntur ex vulgi ſententia, immo etiam ex impiorum ſermonibus 2 Cum unum ſit in eo libro propoſitum, oſtendere in rebus omnibus vanitatem, huius vitæ incommoda exaggerat Sapiens, exprimendo communem ſenſum vulgi, quod mallet non eſſe omnino, quam illa ſentire. ſed abſolute loquendo, nulla felicitas eſſe poteſt in eo qui non eſt: ubi enim non eſt ſubiectum, nec affectiones eſſe poſſunt ſubiecti, unde nec felicitas eſſe poteſt nec infelicitas. Quare negat Sanctus Auguſtinus malum eſſe non eſſe, quia malum alicuius eſt malum, unde nec comparatio fieri illa poteſt, melius ne ſit non eſſe, quam in doloribus eſſe: quia ut in eo qui non eſt, bonum eſſe nequit, ita neque melius, neque magis bonum: Quia tamen homines cum mala ſentiunt, vellent non eſſe ut nihil ſentirent, propterea ad malorum magnitudinem exprimendam, beatiores eſſe dicuntur qui non ſunt, quam illi qui hæc mala patiuntur: in quo non eſt rerum comparatio, ſed opinionis.

At Iobus, & Ieremias natali ſuo maledicunt, exemplo ſane periculoſo, quanquam huic malo ſuperiori Concione medicina facta eſt. Quia tamen locus difficilis eſt, non nulla ſubiicio. Sanctus Hieronymus ait, hic omnia figurata eſſe: alii tragice omnia fieri ac dici: Sanctus Gregorius lib. 4. cap. 5. expoſitionis moralis, negat in illis verbis maledictiones contineri, ſed omnia explicat in ſenſu myſtico, & ſpiritali. Græci omnes aiunt conjici maledicta in peccatum originale, vel in Dæmonem, in quem ſenſum propendet Sanctus Gregorius. Illud certũ mihi videtur plurima in illis locis dici figuratè & phraſi poëtica, quæ ſignificent magnum doloris ſenſum, Itaque ſignificatur partis ſenſitivæ affectus, ut intelligamus. 1. Et Iobũ, & Ieremiam homines eſſe, & in malis nõ fuiſſe ſtupidos; non tamen patientiam querimoniis amitti; ſed ſicut in equorum agitatione, clamor excitat vincentes, ita plerumque voce & gemitu in dolore, animum excitari: Quod alia ſimilitudine exprimit Seneca in Thyeſte, petita ex venatio-

Digitized by Google

venatione: Vti enim, inquit, canis ſilentio veſtigat, at ubi prædæ eſt propior, cervice tota pugnat, & gemitu vocat dominum morātem ſeque retinenti eripit; ita etiam vix dolor fræ nos capit, 3. Vt intelligamus eos recte mala à bonis ſecernere: ita enim nunc mortem optant, nunc eam deprecantur; nunc amant: ſic itaque ſolum habent rationem commodorū vitæ, atque ita eam deteſtantur, quod certo modo licitum eſt; nam malū qua malum ſeu ſpectatum ut malum, nemo amare poteſt. Quare, ut omittam quod 3. dici poſſet, eos ex perfecta in Deum charitate querolas iactare, quod eiusmodi amori familiare eſt, in hoc tantum hærea, non illis abſolute vitam in deteſtatione eſſe, ſed ſignificari, multa eſſe in ea valde gravia, ac plena doloris, quamvis in morte alia ſint longè graviora. Vnum tantum ſuper eſt quod paſſim ſancti viri mortem optarint, vitamque longiorem eſſe duxerint.

Sed 1. Eadem eſt reſponſio. Illi enim diviſione ac ſeparatione uſi ſunt, itaque non vitā ex integro, ſed ex parte ſpectaverunt, habita nempe ratione eorum quæ in vita ſunt mala, In morte etiam eandem adhibuerunt diſtinctionem, & in ea ſpectarunt quidquid eſſet commodi, ut Dei viſionem, liberationem à malis, ceſſationem à peccatis. Sed & idem Apoſtolus, qui mori optabat, ac diſſolvi, ut eſſet cum Chriſto, magis optaſſet ſuper veſtiri, ut alibi fatetur.

2. Vel ſic amorem ſuum teſtari Deo voluerunt, ut illius poſſidendi cauſa, vita etiam privari vellent: bonum igitur vita, & morte melior, alioqui inane fuiſſet amoris teſtimoniū.

4. Accuſationis caput tantum eſt, ut in eo totius cauſæ cardo verti mihi prorſus videatur: Negat adverſarius vivere ullum poſſe ſine peccato, itaque productam vitam eſſe auctū peccatorum numerum. Nullus enim dies (inquit Ambroſius) ſine peccato noſtro præterit, optanda igitur mors quoniam ex Apoſtolo, *Qui mortuus eſt juſtificatus eſt à peccato.* Equidem fateor nulla re moleſtiorem eſſe vitam, quàm hac miſerabili peccandi neceſſitate, ac ſi ulla re mors eſſet optabilis, vel hoc ſolo nomine ſuaviſſima mihi videretur, quod uti vitæ ita etiam peccatis finem imponit. Nihilominus tamen neque hac etiam de cauſa mortem vitæ poſſum anteponere.

1. Quidem quia peccata vitam noſtram ſequuntur non per ſe, ſed per accidens: unde qui vitam amat diuturnam, non hoc per ſe quærit, ut peccata peccatis addat, præſertim cùm ſperare poſſit, ac velle, ſe non peccaturum. Vera eſt igitur doctrina S. Auguſtini, nullum peccatum, ne veniale quidem committendum eſſe, licet ex eo totius mundi ſalus ſperaretur, quia ex Apoſtolo Rom 3. Non ſunt facienda mala ut eveniant bona: neque recte per mala media in finem bonum tenditur. Licet tamen vitam amare, atque optare; neque enim ipſa eſt peccatum, quamvis peccato ſit obnoxia, nam ſēper homo vivit in ſpe, & voluntate non peccandi. Confirmatur, Quia hæc duo non pugnant, amor vitæ, atq; odiū omnis peccati, cui tamen vita noſtra eſt obnoxia.

2 Sicut Deus peccata permittit ob maius boni, ita nos quoque poſſumus ferre, & pati peccata: neq; enim mediocris eſt virtus noſtra ferre peccata tanquā infirmitatem noſtrā, & rem neceſſariam ratione conditionis humanæ, licet velle debeamus non eſſe peccata, neque illa comittere. Non, in quā minima eſt virtus, reſignatio ratione peccatorum, ſed eſt maxima hūmilitas fundata in admirabili ſapientia, & bonitate Dei; unde iuſſa, etiam in peccatis, animi tranquillitas, & vetita deſperatio: licet enim peccata in maximo odio nobis eſſe debeant quatenus ſunt offenſa Dei, toleranda tamen ſunt ut propria imbecillitas atque infirmitas noſtra, noſtrique defectus. Denique ſubtili diviſione uti poſſumus, ac vitam,

Digitized by Google

tam, nunc conſiderare tanquam peccandi neceſſitatem, atque ſub eo reſpectu, eam odiſſe; nunc ut tempus merendi, atque hoc modo amare, & accipere ut beneficium, qua diſtinctione uſu eſſe Iobum docet Pineda in cap. 3. Sect. 5. Quod ad debita attinet, fateor ea augeri in vita, ſed in eadẽ extingui poſſunt: Sin minus, hoc ſaltem negari nequit, illa tandem expungi in purgatorio, cum è contrario merita quæ colliguntur in vita, æternam habeant mercedem.

Hoc difficili ſcopulo præternavigato, quæ reliqua ſunt lõge mihi faciliora videntur: nã vel iam partim ſoluta ſunt, ob rerum ſimilitudinem, vel non magnopere nos urgent.

V. Enim quod proponitur nihil facit; nos vivendo fieri deteriores, vixque eſſe aliquem qui emẽdetur: Immo quam multi vita longiore corriguntur? Celebris eſt Parabola zizaniorum Matth. 13. qua oſtenditur ſi mali in vita, initio quaſi in herba colligerentur, fore ut ſæpe cum zizaniis triticum auferretur: unde ſervis urgentibus Dominũ ad præproperam meſſẽ: *Vis imus & colligimus ea?* reſpondet. *Non, ne forte coll gentes zizania eradicetis ſimul & triticum.* Celebris etiam altera Lucæ 13. de ficu infructuoſa añis tribus, unde Dominus ad cultorẽ: *Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* quibus verbis mors præpropera ſignificatur: at vide ſpem emẽdationis. *Domine dimitte illam, & hoc anno, uſq; dum fodiam circa illam, & mittã ſtercora, & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides eam.* Id olim exhibitum in Nabuchodonoſore, cuius radicum germen, quoniam in terra relictum erat reflોruit arbor. Quid ſi Paulus furens, & ſæviens in diſcipulos ſucceſſus fuiſſet? Quid ſi Magdalena peccatrix? Quid ſi peccatores in numeri, de quibus dicitur; *Quia recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum?* Quid dicam, primam ætatem opportunam vitijs, paulatim ſedari, priora diſplicere, & reliquos vitæ annos rectè finiri? Magna igitur Dei miſericordia eſt vita prolixior, atq; ut de filio viduę, vitæ reddito loquamur, probabile eſt eum mortuũ fuiſſe ſine Chriſti cognitione quẽ poſtea ex tanto miraculo, Deũ eſſe agnouit, atque hinc magnus fidei præco evaſit.

At VI. Qui cito moritur, periculum evadit amittendę innocentiæ, unde plurimis convenit, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Non inficior adeoq. exiſtimo pleriſque opportunam in adoleſcentia mortem. Sed tamen ſicut qui cito moritur periculum evadit amittendæ juſtitiæ. Nam in primis annis vix ſunt magnarum virtutum exercitia. Ad hæc, vix magna merita colliguntur niſi per vitã diuturnã, quia non augentur maximè niſi quando virtus eſt perfecta, quod vix niſi poſt multos annos contingit, niſi paucis ex privilegio, de quorum uno dixit Sapiens Sapientiæ. 4. c. *Conſummatus in brevi explevit tempora multa.*

At VII. difficilis eſt in diuturno tempore perſeverantia, nam ut ait Ambroſ. Nemo diu fortis eſt. Ita plane eſt: Sed vix eſt aliqua perſeverantia, niſi ſit diuturnum tempus: Itaque ſicut hoc difficilius eſt, ita etiã eſtglorioſius. Nec quoque multum movet.

Quod VIII. dicitur incertam eſſe ſalutem, atque ingens ſalutis periculũ in diuturna vita. Et enim neq; in brevi tempore certa eſt ſalus, & multi in portu periere; non verò tantum in medio mari. Præterea, ſi multis brevis vita ſalutem peperit; & plurimis quoq; diuturnitas vitæ ſalutaris fuit. Imo in univerſum vita datur diuturna ad ſalutem, per pœnitentiã ſtabiliendam: in quo munere ingens Dei beneficium, ac bonitatis divitias agnoſcit Apoſtolus Paulus Rom. 2. *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contẽnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Certe huc adducere poſſẽ exempla innumera, quibus oſtenderetur protractam vitam, fuiſſe occaſionem, ſpatiumq; pœnitentiæ, ut accidit

accidit in Salomone, Davide Manaſſe, Maria Ægyptiaca, & aliis pleriſq;. Quid quod initio aut nihil aut vix aliquid perfectũ eſt, ſed omnia perficiuntur cum tempore, quare neceſſaria eſt vita diuturna. Neque enim unus annus nobis omnia obiicit. Siquidem initium vitæ tranſigitur in pugna cum paſſionibus, & pravis inclinationibus pervincendis, reliquũ vitæ tempus virtutum acquiſitioni impenditur. Quod ſi opera magna tempus requirunt, certe vita ſpiritualis & perfectio, multo magis: neq; enim extemplo aliquid perficitur, neque habitus contrahũtur, niſi diuturna aſſuetudine. Ad hæc, quã multę cognitiones pendent à tempore, uti 1. prudentia: unde Deus jubet à ſenibus prudentiam exquiri, unde laudes ſenum, & vituperatio adoleſcentiæ. 2. cognitio vanitatis rerum, in quibus tam multæ mutationes occurrunt: unde Salomon non niſi in ſumma ſenectute librum Eccleſiaſtis compoſuit, atque omnia expertus ſic tandẽ pronuntiavit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas* nam ex diuturnitate accedit mundi faſtidium, quicum ſolũ eſt prægustatus non ſine ſenſu, atq; dolore relinquitur. 3 cognitio admirabilis Providentiæ Dei, & ordinis rerum; quæ omnia non elucent niſi in tempore: eòque pertinet doctrina S. Auguſtini qui nos cõparat verſui, ſeu carmini decurrenti, cuius unuſquiſq; noſtrum pars eſt; unde ait propter exiguam durationem noſtram nos intueri non poſſe mirabilem rerũ pulchritudinem, in rerum omnium ordine, qui non niſi in longo tempore evolvi, & explicari poteſt. 4. demum cognitio rerum Divinarum, quæ longum ſpatium requirit, ut ait Nazianzenus in Apologetico.

Sed finienda tandem eſt reſponſio, terminandaque defenſio in ultima orationis noſtri adverſarij parte, Beatam ait eſſe Mortem. IX. Quia per eã beatitudo acceleratur, & cõſortium cum Deo, cuius boni vel minima retardatio, maximũ eſt damnum; unde in omnibus fere Sanctis tædium vitæ, quæ beatitudinem retardaret. Sed hanc ingentẽ controverſiam Apoſtoli judicio dirimere placet, cuius hæc eſt ſententia in cap. 1. Epiſt. ad Philippenſes. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori, lucrum.* Hic duo comparat, & vitam, & mortem, & in utraq; id quod eſt optimum componit. Et enim, inquit in vita hoc ſeſe offert, quod multos Chriſto acquirere poſſum: In morte verò illud eſt longe præſtantiſſimum, quod Chriſtum ipſe acquiro, in quo maximum eſt lucrũ, nempe felicitas *Quod ſi vivere in carne, hic mihi fructus operis eſt*: hoc nempe illud eſt quod habet vita eximium, fructum operis, ſeu prædicationis. *Et quid eligam ignoro.* Vide ad ſummum rem perductam; non iam componitur incerta beatitudo, ſed certa, immo etiam in poteſtate poſita neceſſe eſt enim ut Paulo eligendi poteſtas facta fuerit, quando quidem ait, *Et quid eligam, ignoro*: Sed vide hinc inde cauſas trahentes. *Coarctor autẽ è duobus.* Non igitur tam clarum erat meliorem eſſe mortẽ, vitam autem abiiciendam. At vide quomodo utrumq; cõponat: *Deſideriũ habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multo magis meliùs.* Hæc mortis electioni favẽt, Apoſtoli deſiderium mortis, ut à malis liberetur; ad hæc utilitas ex morte, Chriſti præſentia, & fruitio, quæ ei longe erat chariſſima, & ultima. Sed audi quo pondere ad vitã inclinaretur; *Permanere autẽ in carne neceſſariũ propter vos*: egebant quippe Chriſtiani, & opera & laboribus Pauli, ut opus ab ipſo inchoatum perficeretur. Huc uſque rationum pugna: Vide victoriam, *Et hoc confidens ſcio*; Græca vox plus aliquid dicit. [illegible], perſuaſus. *Et hoc perſuaſus ſcio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei.* Hic mihi S. Chriſoſt. opitulabitur Serm. 4. in Epiſtolam ad Philipp. Quid illud eſt ô Paule, cum hinc abiens ad cælum ſis migraturus, & cum Chriſto futurus, ignoraſti quid eligeres?

quid eſt quod dicis? noſti ac pro comperto habes futurum te eſſe cum Chriſto, & ..æſitas, ac dicis; Quid eligam, neſcio; neque hoc tantum, ſed etiam hic manere eligis, manere inquam in carne: Quid ita? nonne acerbam vitam ducebas? in vigiliis, in naufragiis, in fame, in ſiti, in nuditate, in curis, & ſollicitudinibus? cum iis qui infirmabantur, infirmabaris: propter eos qui in ſcandalum incidebant, urebaris: *in multa*, inquit, *patientia*, *in tribulationibus*, *in neceſſitatibus*, *in plagis*, *in carceribus*, *in ſeditionibus*, *in jejuniis*, *in caſtitate*, *&c.* atque adhuc moribundam hanc vitam deſideras: ac tametſi nihil horum tibi accidiſſet, & omnia quæcunque rectè fungebaris, quietè & cum voluptate functus eſſes, nonne tamen oportebat incerta futuri temporis pertimeſcentem, ad portum aliquem contendere: Ecquis mercator navi vectus innumerabilium theſaurorum plena, ſi liceat ſubire portum ac requieſcere mari adhuc jactari malit: Ecquis Athleta cùm liceat corona potiri, adhuc certare poſtulet, *&c.* Quomodo igitur adeò acerbam vitam vivens, adhuc vis in terris manere: An non tua ſunt iſta verba: *Timeo ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Si nihil aliud præterea cauſæ fuiſſet, hæc ſatis erat, quo liberatio deſideraretur: Si innumerabilibus bonis præſens vita abundaſſet, ab hac tamen liberari optandum erat ob Chriſtũ quem deſiderabas. O Pauli animam: nihil illi par aut fuit, aut futurum eſt. Times, ſi in hac vita permaneas, quid futurum ſit: Innumeris malis implicatus es, ac tamen recuſas apud Chriſtum eſſe: Recuſo (inquit) idque propter Chriſtum, ut quos illi paravi ſervos, firmius in illius amore ſtabiliam, ut ex agro quem plantavi, fructus extare faciam. Non audiſti, me non quærere, quod mihi utile eſt, ſed quod proximis: Non audiſti mihi in optatis fuiſſe, *Anathema fieri à Chriſto*, quo multi ad illum venirent: qui illud elegi, non multo magis hoc eligam: ut damnũ ipſe ex hac mora, & dilatione faciam, quo illis aliqua ad ſalutem acceſſio fiat. Hæc ille, & plura alia æque pulchra. Sed uno verbo Auditores, lucro beatitudinis Paulus prætulit proximorum neceſſitatem: hoc eſt Chriſti lucrum, ſuo prætulit. Quàm longè abſumus à Pauli anima. Quis enim fuerit, cui ſi hæc verè proponatur conditio, non ill..m quam primum arripiat: Sed quemadmodum minimè noſtrum eſt, poſſe illud dicere, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*; ita cum id aſſequi liceat, minimè noſtrum eſt, hic manere velle: Sed utrumque Pauli eſt, & beatæ illius animæ. Tanta igitur eſt vis charitatis, ut quoniam in vita liberum nobis eſt eius exercitum, vitam potiorem efficiat beatitudinis acceleratione.

Sed ne Apoſtolica virtute inferiorem te dicas unius fœminæ exemplum proponam, fuit illa Maria Diazia, ruſticana quidem mulier, ſed magnæ virtutis Virgo, quæ vixit eodem tempore quo B. Tereſa quæ cum illi aliquando diceret, anxiè ſe cupere Deo copulari in beatitudine; illa reſpondit, potius ſe optare, hoc ſibi exilium proferri, ut plura pati poſſet: nam in hac vita ſe poſſe aliquid Deo dare, pœnas ferendo atque calamitates pro eius amore; in altera vero hoc ſupereſſe, ut laboris præteriti præmium recipiatur; cumque ſatis temporis ſuperſit ad fruendum Deo per totam æternitatem, æquum eſſe hic diu, ac multum pati propter dilectum, ut plus illi placeamus.

Hoc illud eſt, Auditores, quo hæc vitæ beata eſſe mihi videatur, quod plurimum pro Chriſto pati poſſumus: quod ſanè tantum eſt, ut hac parte vel Angelis ipſis invidiæ mater ſ demus. Hoc igitur ita concludo: Aut pati, aut mori; Sed quia poſt mortem nihil Chriſti cauſa patiendum eſt, felix hæc vita, in qua plurimum pro Chriſto pati poſſumus. Quidni igitur diu vivere velle debemus, ut plus aliquid patiamur, cum hac una re amorem noſtrum

Deo

Digitized by Google

Deo teſtari poſſimus: ille ſuum nobis donando; nos illi noſtrum ferendo teſtamur: cum igitur per totam æternitatem ſuum nobis donando teſtetur, cur longiorem vitam non feremus, ut diutius noſtrum illi probemus: Itaque ſi mihi mori lucrum eſt, certè vivere mihi Chriſtus eſt. Sed verò ita vivere, non exiguum eſt lucrum: Neque enim unquam plus accedit nobis lucri, quàm cum Domini bona augemus. Nec timere debemus periculum, nam non ſinet ſui cauſa periclitantes perire; Unde Apoſtolus. *Et hoc confidens ſcio, quia manebo*, neque enim ulla major fiducia eſſe poteſt, quàm Chriſti cauſa, etiam de ſalute periclitari.

Quid quod poſt mortem, nihil deinceps mereri poſſumus, ſecundum illud Eccleſiaſtis 9. *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec Sapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas*: In hac autem vita, ſemper mereri poſſumus, ſemper aliquid additur charitati, & augetur gratia. Etenim in vita diuturna quot fiunt gratiæ acceſſiones per Sacramenta, per bona opera, per orationes, per bona deſideria: Peccata verò quæ ob infirmitatem, & quandam quaſi naturæ neceſſitatem committuntur, intellige moralem, & conſequentem neceſſitatem, operiuntur à charitate, & tandem omnia ferendo, aut pœnitentia, aut Indulgentiis, aut ſaltem in flammis Purgatoriis eluuntur, præmium verò æternum eſt: dilatio autem beatitudinis ſatis compenſatur æternitate & augmento gloriæ, quæ nullum finem habitura eſt.

Quæ cum ita ſint, veriſſima eſt Dorothei ſententia: Magnam eſſe Dei clementiam, dū in hac vita ſumus, Deoque gratias indeſeſsè nos agere debere, noſque beatos exiſtimare, qui habiti digni eſſemus hic aliquid pati, ut illic poſtmodum requiem omnem inveniremus.

Conticeſcerem hic ultro, finemque facerem ſermoni, ut munere veſtro defungens, evadenſque Auditor, vobis partes meas agendi etiam tribuerem, relinquens vobis curam loquendi, mihi aſſumens audiendi. Scire enim vellem veſtra judicia, ſententiamque veſtram excipere. Hunc audire mihi videor, huic vitæ faventem, propter lucis amorem: alium verò morti faventem propter hujus vitæ miſerias, atque incommoda: Sed ſanè uterque longè fallitur. Tu quidē qui vitæ faves, quòd hanc lucem diligas: cum tamen mors eo ferè nomine ſit optanda, quòd nos ab harum rerum caducarum amore ſevocet, nobiſque uſuram Dei concedat. Tu verò qui mortem præfers, ut portum poſt iactationem, ſimili errore deciperis. Quia ſi ulla de cauſa mortis terminus proferendus eſt, hac certe de cauſa, ut nobis plus pati liceat. Itaque quoniam vos veſtro ſilentio meam ſententiam expectare videmini, quod cenſeo vobis propono.

Cùm Chriſtus habeat claves mortis & vitæ, hoc eſt ſolus habeat poteſtatem occidendi, & vivificandi, nos neutrum optare, ac viciſſim neutrum defugere debere, ſed utrumq; prout Dominus voluerit, aut ferre, aut accipere: ut dicere liceat cum Apoſtolo ad Philipp. 1. *Quia in nullo confundar, ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem*: ad quarum utramvis indifferentes eſſe debemus, & neutram partem vel optare, vel timere.

Hinc ſequitur, 1. Nos ex æquo de manu Dei ſumere debere, & vitam, & mortem; ſive citò, ſive tardè obveniat; quia Chriſtum tantummodò deſideramus, & ſolum voluntatis ipſius rationem habere debemus. Hinc regula ſumi poteſt ferendi iudicii de variis circa hanc materiam Sanctorum reſponſionibus: quos ſemper rationem habuiſſe voluntatis Divinæ ſtatuendum eſt.

Sequitur 2. Si in aliquam partem ſit propendendum, nos in eam propendere debere, ubi maior Chriſti gloria reperietur: itaque ſi

per

Digitized by Google

per vitam, poſtponendam eſſe beatitudinem, & majorem de mea ſalute ſecuritatem: quia nihil Chriſto anteferri debet: ut idem dicamus cum Apoſtolo Rom. 14. *Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus*: quæ verba ſuperiorem doctrinam continent.

Sequitur 3. Id nos plus amare debere quod nobis contingit quàm contrarium, modò illud culpa noſtra non accidat: Quia ubi non intervenit culpa noſtra, certum eſt in nobis fieri Dei voluntatem, & de nobis: quæ enim citra culpam fiunt, ea non tantum Deus permittit, ſed etiam vult: Dei autem voluntas amanda ſuper omnia.

Sequitur 4. Cùm quædam ſint in utraque tam vita quàm morte rationum momenta, quæ in utraque Concione tacta ſunt, nos illis affici debere, & illa ſpectare, ſecundùm id quod nobis accidit, id eſt, ſive vita nobis detur, ſeu Mors: quemadmodum id accidit in Sanctis, qui ſemper in iis quæ illis acciderunt, juſtiſſimas Dei rationes agnoverunt, & amarunt.

Sequitur, 5. Poſſe nos ſub conditione, nunc vitam, nunc mortem deſiderare, prout varia ſenſa nobis Deus communicat, & ſecundum varios ſtatus in quibus nos collocat; Et ita videmus varia fuiſſe Sanctorum ſenſa. Sed in univerſum exiſtimo hominibus in ſæculo degentibus, aut in vita communi verſantibus, optandam eſſe mortem, ut animam avocent à rerum mundanarum, & caducarum amore, & finem inveniant peccandi, & Deo frui velint, quia ſatis aliunde feruntur ad vitæ præſentis amorem, ejus illecebris allecti. Contra vero valde Spiritalibus optandum eſſe multum ac diu pro Chriſto pati, quia ſatis per ſe feruntur ad optandum Dei conſpectum. Sed hæc in genere dicta ſunt. Tu, mi Auditor, quo ſenſu es, quibus votis, quibus deſideriis? Quid tu eligeres ſi tibi optio daretur, ſi tu rerum tuarum Dominus eſſes? Quàm vereor ne in utraque parte pecces, & offendas: Tu vitam amas: Sed qua de cauſa? ut diu voluptatibus perfruaris, ut ambitionem tuam & cupiditatem expleas; quia nihil melius noſti quàm quæ oculis uſurpas, & tactu, & ſenſibus percipis: Si aliquando mortem deſideras, id facis aut vitæ tædio aut animi ignavia, & imbecillitate, aut impatientia; cum omnino contraria facere debuiſſes. Nam ſi vivere velles, deberes ut multum pro Chriſto patereris, aloqui ſi nihil patiendum, tibi potius eſſet moriendum, illius ſenſu quæ dicebat, aut Pati, aut Mori. Quod ſi mori optares, certè ut peccare deſineres: ſed potiſſimum ut illo fruaris, cujus abſentia ſummũ eſt malum, cujus poſſeſſio ſumma felicitas, ad quam nos ipſe perducat Deus Jeſus Chriſtus, quo tempore id ad ſuam gloriam magis expedire judicabit, Amen.

* * *

FERIA VI.

Digitized by Google

FERIA SEXTA

DOMINICÆ QUARTÆ IN QUADRAGESIMA.

CONCIO PRIMA.

Status Corporis poſt mortem, ex conſpectu Lazari fœtentis in ſepulchro.

Veni, & Vide, Joan. 11.

QUemadmodum in homine mors ſopit omnes ſenſus dum moritur, ita in viventibus, ratione mortui, ſenſus omnes percellit: oculos quidem, horrendo ſpectaculo; unde mortuum ab oculis removemus: aures, & ſilentio mortui, & vocibus lugentium (*Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium*, ait Job. cap. 30.) nares tetro odore, juxta illud, *Domine jam fœtet, quatriduanus enim eſt*: guſtum quoque ſecundum illud Thren. 3. *Cibavit me cinere*: quia tunc ceſſant convivia, quæ domui mortui à Sapiente opponuntur, Eccl. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii*: denique tactus, quoniam etiam tactus mortui, & cadaveris inferebat immunditiem: Ita ut num. 5. eodem loco ponantur, leproſus, & pollutus ſuper mortuo, de quibus ita præcipitur, *ejicite de caſtris ne contaminent ea, cùm habitaverim vobiſcum*: unde horror mortuorum: Itaque illos domo efferimus, & ejicimus. Verum quia Chriſtus Dominus pergit ad Lazari monumentum, & quærit, *ubi poſuiſtis eum*; ac jubet aperiri ſepulchrum *Tollite lapidem*, unuſquiſque accedat, ut videat. *Veni, & vide.* Et quia non ſufficit oculis corporeis tantum aſpicere, ſed etiam internis cernendum eſt; cum interni non ſine luce interna id agere queant; illa inſuper ſit à gratia; hæc demum omnis nobis communicetur per Virginem; adeam pie adeamus, ejuſque opem ſalutatione Angelica imploremus. AVE MARIA.

QUod dixit Herodotus de quibuſdam Afrorum populis quos Naſamones appellat, & ait fuiſſe eximiæ virtutis, & ſapientiæ, eos cum de re aliqua magni momenti deliberarent, ad majorum ſuorum ſepulchra veniſſe, & in illis indormiviſſe; tum quidquid per quietem ſomniaſſent illud habuiſſe pro certo, atque indubitato, de quo dubitare nefas: Id in univerſum dicere poſſum de ſepulchris mortuorum, in quorum conſideratione nemo eſt qui non poſſit multa addiſcere, uti ſe feciſſe profeſſus eſt Democritus, qui plus iuxta ſepulchra didicerat quàm in Philoſophorum ſcholis. Quare non mirum ſi ſummus Magiſter omnium, nos hodie ducit ad monu-

monumentum, ac jubet tolli lapidem, hoc eſt aperiri ſepulchrum, ut nos inſtruat: ac licet delicatuli dicant cum Martha; *Domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim*; Reſpondet tamen eis; *Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris videbis glo iam Dei.* Quoniam itaque vos habeo Lazari ſepulchro adſtantes, & juſſu Chriſti apertum eſt ſepulchrum, *Tollite lapidem*; permittite, ut hodie vobis oſtendam quo ſtatu mors hominem ponat. Et quidem cum hominem dico loquor de corpore ſimul, & anima: Verumtamen, quia id quod accidit corpori, magis ſenſibile eſt nobiſque notius, ideò ab eo exordior, alium in locum reſervans magnam mutationem quam mors infert animæ, cum in eius diſceſſu, tum poſt ipſius ſejunctionem.

Ut igitur initium ducam ab iis quæ corpori accidunt; Mitto dicere quæ mortem ipſam præcedere ſolent, quales ſunt morbi varii generis, graves dolores, & remediorum tormenta, & quædam mors ante mortem. Cum enim hæc in corpore præcipua bona credantur, ſanitas, robur, pulchritudo, uſus membrorum, & facultatum ad actiones naturales, animales, civiles, rationales, hæc omnia illo tempore concidunt: Siquidem morbi graviſſimi & dolores acerbiſſimi ſolent mortem præcedere, unde David Pſalm. 17. *Circumdederunt me dolores mortis*, hoc eſt maximi, quales ſolent mortem prævertere; & hinc extinctio ſanitatis, virium pulchritudinis, uſus membrorum, atque ſenſuum, tum externorum. Vide quàm verè tibi ſæpius dictum ſit, quod Iſaias clamare iuſſus eſt, hominem, florem eſſe, fœnum, florem fœni, umbram, ſpectrum, ſomnium, nihilum. Sed omiſſis quæ mortem præcedunt, in corpore mortuo cerne triplicem ſtatum valde miſerum, & lamentandum.

Cum enim accidit illud tempus, (de quo Hippocrates in Aphoriſmo 18. Sect. 8. ſi tamen Hippocratis, cuius ſunt tantùm libri 7. Aphoris.) cum inquam eſt illud tempus quo vitæ terminus eſt, & mors inſtat; videlicet cum animæ calor ſupra umbicilium, ad locum ſepto tranſverſo ſuperiorem aſcendit, & omnis humor exuritur; cum pulmo & cor calore in locis mortiferis coacervato, humorem amiſerint; tum verò caloris ſpiritus conſertim vaporat, & abit, cuius ope totum cum toto compactum erat: præterea partim per carnes, partim per capitis ſpiracula, unde vivere dicimur, exit anima. Et primus inde exiſtit corporis ſtatus, ſtatim ab animæ diſceſſu, quo tempore tanta derepentè fit mutatio, ut quædam videatur ſenſuum illuſio, & quædam ſpecies faſcinationis.

I. Itaque ubi anima corpus deſervit fit in homine privatio, expoliatioque integra: Privatur enim rebus omnibus naturalibus earumque uſu. 1. Elementis, mundo, cœlis, luce, omnibus locis, tempore, exiſtentia & numero in rebus, itaque vocatur is qui non eſt, ſecundum illud Iob. cap. 18. *Habitent in tabernaculo illius, ſocii eius qui non eſt*: Et Ierem. 31. *Et noluit conſolari quia non ſunt*, quia ſcilicet interierunt: Et iterum Iob. 14. *Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus, & conſumptus, ubi quæſo eſt? Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus areſcat: ſic homo cum dormierit non reſurget; donec atteratur cœlum non evigilabit; nec conſurget de ſomno ſuo*, ut nimirum reſtituatur in priſtinum ſtatum. Deinde privatur bonis fortunæ, divitiis, facultatibus, muneribus, titulis, nominibus; quæ omnia hic relinquit: nam expirantis hæreditatem vivus ſucceſſor occupat, utque Regnū duos Reges non capit, ita nec duos Dominos una poſſeſſio. Denique in moralibus, nihil ſupereſt: nam ens morale non eſt in corpore ſed animo, animus autem corpus deſervit; & homo perijt.

Hanc porrò privationem ſacræ Scripturæ multis

Digitized by Google

multis nominibus appellant: 1. Nudationem: uti apud Iobum cap. 14. *Homo verò cum mortuus fuerit & nudatus, & conſumptus, ubi quæſo eſt?* Eccl. 5. *Miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit, ſic revertetur*: quod explicuit Iob. cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*: Idem ſignificavit Apoſtolus 1. ad Timoth 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus.* 2. Ablationem & expilationem à fure factam: Vnde tam ſæpe Chriſtus admonet ſe inſtar furis venturum, non tantum quia inopinato, ſed etiam quia omnia ſublaturus, ac nihil relicturus. 3. Extinctionem: ſecundum illud Iobi 21. *Lucerna impiorum extinguetur*, quia ad tempus eſt quidam vitæ fulgor, ſed poſtea extinguitur cum fœtore lucerna: In hunc ſenſum monet Sapiens Eccli. 22. *Super mortuum plora, defecit enim lux eius*: Sicut enim vita vocatur lumen, ita mors per tenebras deſignatur: ſed ſicut nihil ita perit, ut lumen cum extinguitur; nam nihil omninò ſupereſt lucis ubi lumen extinctum eſt; ita nihil bonorum ſupereſt poſt mortem. Eſt enim mors rerum omnium privatio, & earum uſus, deliciarum, voluptatum, dignitatum, honorum, occupationum, officiorum, & munerum: item omnium perſonarum, Parentum, Vxoris, Mariti, liberorum, Amicorum, Patriæ, domus, & rerum propriarum: ad hæc, rerum communium, ut Cœli, Solis, Aſtrorum, Terræ, Marium, Aëris, Elementorum omnium, & earum rerum quæ in illorum ambitu continentur: Inſuper omnium actionum huius vitæ, quibus peccare, & mereri poſſumus, ac Deo ſervire, ut miniſteriorum, licet utilium Eccleſiæ, etiam in medio curſu, nec abſolutorum: Denique ſeparatio à vita, à corpore, ab anima, ab eſſe ipſo. Quam rectè igitur de hominibus dixit Theophilus ad Autolicum σάρκινοι, οὐδὲν ὄντες carnei, & nihili homines.

2. Quoad corpus attinet, non eſt amplius idem: Vide enim mutationem. Pſalm. 72. *Velut ſomnium ſurgentium Domine, in civitate tua, imaginem ipſorum ad nihilum rediges*: Numera voces, ſomnium, imaginem, nihilum: In ſomnio, illuſio: in imagine, mendacium: in nihilo, quid ſupereſſe poteſt? cogita enim quid ante fuerit, & quid nunc ſit: *Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium*; Iob. 30. Aſpice capillos inconcinne ſparſos, & male digeſtos, inclinatum caput, tempora compreſſa, genas aſſutas, exacutum naſum, depreſſos oculos, diductum os, aridam contractamque linguam, dentes nigros, replicatas aures, faciem luridam, mutatum vultum, diſſoluta membra omnia, deformatumque corporis ſtatum, & vide quo modo, ut ait Hippocrates, in ultimo Aphoriſmo, (ſi tamen ſunt Hippocratis ultimi illi aphoriſmi, qui interjecti dicuntur.) Relinquens anima corporis domicilium, frigidum, & mortale ſimulachrum, una cum bile, ſanguine, & pituita, & carne illud πτ-ἐδωκεν, deditione reddit. Neque enim amplius remanet homo, ſed ſolum hominis ſimulachrum.

Ex ea prima conſideratione, mecum collige quiſquis es, o homo: Quàm parva diſtantia eſt inter utrumque ſtatum vitæ & mortis, ſi tamen dici poteſt diſtantia: etenim omnis diſtantia fit per medium, cum per medium diſtent extrema; nullum autem inter vitam, & mortem medium eſt, unum enim uſque ad aliud porrigitur: nam uti docet S. Gregor. Nyſſ. in vita Moſis, quod & nuper dicebamus, unum contrarium non niſi alio finitur, unde neceſſe eſt, ut unum uſque ad aliud extendatur: ſic dies, nocte finitur, & uſque ad noctem porrigitur, & nox uſque ad diem: eodem modo vita uſque ad mortem ut inde intelligas vitæ vanitatem: Iacobi 4. *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & d* in-

ceps exterminabitur: Hinc monet David ut non præſentia nos admodum percellant, licet florentia & ſplendida videantur, quoniam omnia morte commutantur: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius:* Ecce quæ ſolent oculos mortalium in admirationem rapere: & cur ne timueris? cur ne miraberis? Audi quid ſequatur, *Quoniam cum interierit, non ſumet omnia:* Unde ſubdit Auguſtinus in Pſal. 58. Vides viventem, cogita morientem: faſcinum eſt in viſu: vides viventem, ſed remedium eſt in cogitatione, cogita morientem: Omnis enim illa gloria, ille faſtus, illa felicitas, opes, divitiæ, voluptates, authoritas, poteſtas, favor, ſanitas, pulchritudo, robur, & vita, abeunt, & finiuntur: vides viventem, cogita morientem.

Cæterum poſt mortem quid iam corpori ſupereſt niſi tumulus & ſepulchrum, ſecundum illud Iobi cap. 17. *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum.* Certè nobis non longè abeundum cum ſimus iuxta Lazari ſepulchrum, quod iuſſu Chriſti apertum eſt, *Tollite lapidem.*

II. Itaque corporis mortui ſtatus eſt ille quem inuenit in ſepulchro: de quo ſtatu nemo grauius locutus eſt quam Iſaias Propheta, cap. 14 *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: concidit cadaver tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes:* In quibus verbis tria notantur.

1. Quanta ſit abiectio cadaveris: *Detracta eſt ad inferos, ſuperbia tua:* Vide quo loco collocentur corpora poſt mortem, quæcunque illa ſint Regum, Divitum, nobilium, formoſarum fœminarum; nempe projiciuntur in foſſam, & ſterquilinium: Tu qui olim terram pedibus ſpernere dedignabaris; qui plus faſtu quàm pedibus terram premebas; Tu qui ne terram premeres, quaſi pedibus tuis indignam, marmora, & pretioſa tapetia plantis calcabas; Tu qui etiam ſydera affectabas, cum terram te indignam iudicares; Tu qui ſedebas tam molliter, tam excelsè in throno; Tu qui non tantum curribus & ſellis, ſed hominum brachiis, humeris atque cervicibus ferebaris: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua:* Reiectus es ab hominum non tantum ſocietate, ſed etiam viſu à throno, à lecto, à ſedibus deturbatus es, & in terram proiectus; ac ne hominum oculos offendas, in ima terra poſitus es: à quibus autem? à ſubditis, à ſervis, à famulis, ab amicis, à liberis, & propinquis, ab uxore, à marito. Ubi ille faſtus, ubi illa ſuperbia, ubi illa gloria, ubi illa pompa? *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, &c. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque proſpicient. Nunquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & urbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?* Hic eſt finis etiam feliciſſimorum, & quod unuſquiſque maximè optat, ne careat ſepulturâ: Itaque de iis ſic pronuntiat Iſaias, *deſcenderunt ad fundamenta laci quaſi cadaver putridum:* de infœlici verò: *Tu autem projectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis, pollutus, &c. Non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura:* Vnum hic omittere non placet; ſepulchri anguſtias; quam tamen habitationem appellat Sapiens Eccleſiaſticis 12. *Domum æternitatis:* Certè cui olim in vita tot domus non ſuffecerunt, tot urbes, tot Provinciæ, tot regna, vix poſtea ſex pedum ſpatium habebit, uti olim de Alexandro dictum eſt.

2. At quis erit corporis tui partium ſitus in ſepulchro? *Concidit cadaver tuum:* quibus verbis exprimitur mira cadaveris infirmitas: ut ſcias nihil ſupereſſe virium, nihil firmitatis, nihil virtutis, quoniã nec ſe poſſit defendere, nec tueri, nõ agere, nõ progredi, nõ abire, nõ fugere, nõ ſtare, non ſedere, nihil demũ per ſe agere poſſit; nec in aliquo iuvari, ut poſſit, hoc unum queat & habeat, nempe iacere: ut ſcias ſummam eius ad omnia inutilitatem: *Quaſi*

ſtirps

Digitized by Google

ſtirpe inutilis, pollutus: &c. *concidit cadaver tuum.*

Quid ſupereſt niſi quod tertio loco ſubjecit Iſaias; *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*: quibus verbis exprimitur pudenda corporis putrefactio. Nam ſicut arx, aut urbs deſerta à poſſeſſore, & legitimo Domino tranſit in hoſtis manus, & poſſeſſionem, qui arcem, & urbem demolitur; Ita corpus deſertum ab anima tranſit in poſſeſſionem mortis, ſecundum illud Jobi cap. 18. *Et calcet ſuper eum quaſi rex, interitus,* qui ad libitum ſuum omnia diſperdet. Deinde tranſit in poſſeſſionem ſepulchri, quod miro modo ſævit in corpus, unde pergit Jobus ibid. *Habitent in tabernaculo ipſius, ſocii eius qui non eſt*: qui ſunt autem ſocii eius qui non eſt, hoc eſt mortui, niſi putredo, & vermes? Jobus cap. 17. *Putredini dixi, Pater meus es; Mater mea, & Soror mea vermibus*: Uti enim in eadem domo habitant, Pater, Mater, Fratres & Sorores, ſic ait Iobus ego, & putredo, & vermes in eodem ſepulchro habitabimus, ut in eadem domo. Vide itaque ſepulchri familiam, putredinem, vermes, mortuum. Sed quis poſſet efficere ut intuerentur oculi noſtri, animuſque noſter intelligentia comprehenderet, quod evenit in tumulorum abdito; ab diſſolutione noſtrorum corporum, ab confuſione, ac diſſipatione egregiæ illius harmoniæ membrorum, ac artificioſi omnibuſque numeris completi operis naturæ? Ac primò ſicut in ruinoſo ædificio deficiunt, ac diſſolvuntur partes univerſæ; ita in illo corpore deſtituto ab anima humique defoſſo, membra omnia, parteſque præclaræ illius ſtructuræ, dirimuntur ſenſim ac ſeparantur: elementa divortium faciunt, diſiungitur humidum ab ſicco; molleſcit caro, fitque fluida; univerſi humores liqueſcunt; quaſi fermentum putredinis intumeſcit interius; exteriuſque liveſcens & nigra caro evadit. Unde quemadmodum ineunte vere, videmus arbores floreſcere antequam emittant folia, & fructus progenerent; ſic ex ſuperficie mucorem illa caro educit, & ſe infami obtegit flore putredinem antegreſſo: 2. reſolvitur in ſaniem, puſque, ac in vaporem fœtidum, denſum & glutinoſum, qui fluit nihilominus ac ſe cum terra commiſcet. 3 è fœdis hiſce vaporibus, terræ frigiditate repulſis, iterumque mixtis in glutinoſo iſtiuſmodi humore, excitatur materies, & quædam fermentationis ſpecies, unde, copioſa lumbricorum, ſerpentium, cæterorumque huiuſmodi vermium creatio exiſtit, in quam mutantur delicatulæ carnes, enutritæ tam ſollicitè, tot educatæ ſumptibus, titillatæque tot voluptatibus ac deliciis: *Subter te ſternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Ecce lectus tuus ad ſpeciem luculenter ornatus, & cubile voluptatum: tinea & putredo tibi ſunt pro pluma culcitriſque aliis coacervatis, uſque adeo affluens eſt: ſtragulum ſunt vermes alii aliis impliciti; lintea ſunt fluens ſanies fæxque vomicarum & abſceſſuum; putris cumulus tibi cervicalis inſtar eſt: pulvinaria odoramentis farta ſunt fœtor putridæ carnis tuæ, & corporis tui putor: torus non eſt alius niſi feretrum, & receptus ſepulchrum. *Putredini dixi, Pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus*, quia uti in eadem domo habitantibus familiis, nunc pater occurrit, nunc mater, nunc fratres, nunc ſorores, nunc domeſtici, ita tibi in ſepulchro perpetua erit occurſatio putredinis, & vermium, immò te undique ambient & complectentur, quaſi euiſdem generis, & ſtirpis virum: hinc origo tua, quia & pater & mater: & hinc eadem cognatio quia fratres, & ſorores: hinc tota familia quæ ex hac vita venientem in domum propriam omnibus ulnis excipiet, uti ſolent parentes & cognati hominem peregrè redeuntem excipere: vel ut ait Sanctus Hieronymus, ut nemo ſine patre & matre & parentibus

Digitized by Google

FERIA SEXTA

DOMINICÆ QVARTÆ IN QVADRAGESIMA:

CONCIO SECUNDA.

Status Animæ in ipſa Morte: ex eodem conſpectu Lazari in ſepulchro.

Veni, & vide. Ioan. 11.

QUemadmodum in corpore ſui ſunt oculi, ita etiam animus ſuos habet, & huc valet argumentum ipſius Dei, apud Iſaiam 66. *Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Et apud Dauidem Pſalm. 93. *Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat.* Nam eodem modo dici poteſt, ſi corpus videt per animam an non ipſa anima per ſe etiam videt? Sed ſicut corpus habet oculos corporeos, animus habet ſpirituales; itẽ diverſa ſunt utriuſque ſenſus obiecta, ut ſcias quædam ab animo videri poſſe, quæ à nullo corporeo oculo cerni poſſunt. Hinc fit ut ſicut vos invitavi, ut in ſepulchro corpus inanime videretis, ſecundum illud, *Veni, & vide,* nunc eodem modo hodie vos invitem, ut videatis, quid in anima mors efficiat: quæ conſideratio duplex eſſe poteſt; Una eſt ultimi ſtatus in tempore; altera primi ſtatus in æternitate, hoc eſt, in ultima vitæ præſentis hora, & in prima futuræ; cùm duo hæc tempora mors reſpiciat. Incipiamus hodie à primo, quod eſt ultima vitæ hora, & ultimus animæ ſtatus: *Veni, & vide.* Verùm nemo videre poteſt ſine lumine, nemo uti oportet venire poteſt ad videndum ſine gratia: utrumque igitur è cœlo acceſſendum eſt. AVE MARIA.

Quæ

præcedunt judicium particulare: Et ſicut cum evenient in toto orbe, ſigna erunt brevi perituri orbis; ita cum præcedent in ſingulis hominibus, ſignum erunt hominis jam morituri.

I. Signum eſt hujuſmodi. *Et ecce terræmotus factus eſt magnus*; id eſt ex phraſi Scripturæ magna rerum mutatio: nam ut ait Sanctus Gregorius Nazianz, orat. 37. nulla facta eſt inſignis mutatio ſtatus quam non deſignarit terræ motus. Itaque 1. cum facta eſt mutatio à ſimulacrorum cultu ad Legem, tunc præceſſit terræ motus, uti dicitur in Exodo, unde Apoſtolus Heb. 12. *cujus vox movit terram tunc*: 2. pariter cum facta eſt mutatio à Lege ad Evangelium, quæ facta eſt die Pentecoſtes, domus Apoſtolorum concuſſa eſt; Actorum 2. *Factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes*; immò prius cœlum concuſſum eſt, atque inde motus in terra, ut indicaretur mutatio ſtatus, ſecundum prophetiam Aggæi ante annos quingentos, *Adhuc ſemel, & ego movebo non ſolum terram, ſed & cœlum*: quæ verba ita exponit ibid. S. Paulus, *Quod autem adhuc ſemel dicit, declarat mobilium tranſlationem tanquam factorum, ut maneant ea quæ ſunt immobilia*: Id eſt, motus ille ſignificavit mutationem Legis antiquæ, verè mobilis, quia mutanda erat: & ratio ſubditur, *tanquam factorum*, hoc eſt impletorum, quaſi diceret, ideo Lex vetus eſt abolita, quia impleta; mobilius autem dicitur, quia non fuerat inſtituta, ut ſemper maneret, ſed ut aliam promitteret, unde pollicitus erat Deus, ſe adhuc terram, & cœlum commoturum, & conſequenter ſe Legem mutaturũ: ut autem hæc mutatio intelligeretur expectanda à Lege non terrena, ſed cœleſti, ideo non tantum terra, ut in priori Lege, ſed etiam cœlum motum eſt. 3. Denique ad propoſitum noſtrum, fit magnus terræ motus ex phraſi Scripturæ cum mors inſtat; fit enim migratio ab hac vita ad æternam, quæ magna eſt rerum mutatio ratione animæ; ut eſt ingens perturbatio in homine ratione corporis ipſius, ex diuturnitate, & gravitate morbi, & mortis vicinitate. Vide enim ſtatum hominis in agonia poſiti, hoc eſt in ultimo conflictu, nempe ſtatum medium inter vitam & mortem, quo tempore fermè ceſſant ſenſuum omnium officia, caligant oculi, aures obſurdeſcunt, lingua tacet, nares non olfaciunt, manus omnia quærunt, & non ſentiunt, intumeſcit pectus, vix pulmo trahit ſpiritũ, cor deficit, membra omnia languent, adeoque graves dolores exoriuntur, ſecundum illud Pſalm. 114. *Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me, tribulationem, & dolorem inveni*, ut vix patiantur aliquam de ſalute animæ ſuſcipi cogitationem: quia ex Auguſtino, illuc naturaliter rapitur intentio mentis, ubi eſt vis doloris. Hinc inſenſibilitas in omnibus ſenſibus, defectus in viribus, & ſenſim fatiſcens natura; quoniam paulatim anima ſe totam ad ſe ipſa revocat, corpuſque deſerit: & ſicut ex terræ motu corruunt ædificia; ita totius hominis compoſitio, & ſtructura diſſolvitur: & quemadmodum ejuſmodi motus ingentem hominibus timorem infert; ita tunc ingens oritur animæ timor, ac trepidatio, quòd intelligat ſibi à corpore eſſe diſcedendum, nec in eo tutam eſſe deinceps habitationem. Hinc iudicia, num prudenter agant illi, qui in illud tempus differunt ſuam pœnitentiam, cum ne tunc quidem vivere, aut eſſe liceat, vixque anima poſſit retinere partes corporis dilabentis, immò corruentis. Voco te, mi Auditor, ad tuam experientiam: Si unquam graviſſimè ægrotaſti, quarum tunc rerum capax fuiſti? Sed ſi alicui morienti adfuiſti, num eum tunc in ea perturbatione idoneum iudicaſti, qui negotium aliquod magni momenti tractaret; quantò minus ut de negotio omnium

graviſſimo, quod æternitatem ſpectat ageret? Vide autem quàm ſit parum idoneum tempus agendæ pœnitentiæ, ubi omnia ſolatia quæruntur ratione talis ſtatus, qui ut plurimum omnibus hominibus contingit. Quàm multos iſte aſpectus convertit? Cur tu illud tempus tua prudentia non prævenis? Num tibi ſufficit ut alii tibi ſint in exemplum? Cur aliis eſſe vis? & quidem ad eorum utilitatem, & ad tuum damnum?

II. Signum ſic exprimitur: *Et Sol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus.* Significatur gravis mutatio in intellectu, nam quod Sol eſt in mundo, propter principium illuminationis, illud eſt intellectus in anima. Illa autem mutatio conſiſtit: 1. In ejus obtenebratione, & quaſi extinctione, quoad lumina naturalia, & ſupernaturalia. Primò quidem perturbata imaginatione, à qua intellectus aliquo modo dependet in operando, ob hujus vitæ ſtatum: nam ut ait Ariſtoteles, intelligentem oportet phantaſmata ſpeculari. Secundo abeuntibus ſpeciebus, & paulatim inductis, corrupto earum ſubiectio, ac deficientibus ſpiritibus, qui ſunt inſtrumenta quibus ſaltem remotè fit intellectio, propter dependentiam ab imaginatione, unde Tertullianus vocat membrum ſapientiæ. Sicut enim in nobis prius vivit animale, tum deinde quod eſt rationale, ſecundum illud Apoſtoli 1. Cor. 15. *Non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale*; ita etiam prius deficit rationale, & ultimum eſt animale: ideoque ſi deficit animale, ſanè conſequens eſt jam defeciſſe rationale. Quod ſi deficiunt lumina naturalia, multo magis ſupernaturalia, quæ in multis potiſſimum deficiunt illo tempore juſto Dei judicio, licet per totum vitæ tempus abundarint: qua de re illum Jobi locum intelligo, cum ait c. 18. *Nonne lux impii extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis ejus? lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur*: quaſi dicat, & præteritum lumen amittet, & novum accendere non poterit, quia amittet præteritas cognitiones, & novas non habebit huic tempori opportunas.

2. Mutatio eſt in qualitate cogitationum, quas non niſi horrendas habebit, de ſuo corpore; de vita præterita; de ſtatu præſente; de imminente exitu; de Dæmonibus ſeſe oſtendentibus, tentantibus, ac ſævientibus; de Deo revocante, rationem exigente, condemnante, puniente; in quibus nihil videbit quod nō terreat, etenim intellectus, ſeu animæ Sol, *factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus.* Occurret mors, ſepulchrum, cinis, & omnia alia funeſta; occurret Judicis facies & ira, ratio reddenda, exanimis ſeveritas, accuſatio, convictio, condemnatio, ſupplicia, *&c.* Oſtendet ſe ex propinquo æternitas, & illa ſæculorum inſuperabilis immenſitas; impoſſibilitas remeandi ad priſtinum ſtatum, quia priora abierunt; præſentia rerum intoleranda propter anguſtiam; & rerum incertitudo futurarum quod optimè expreſſum his verbis ab Eccl. cap. 8. *Nec ſinitur quieſcere ingruente bello*, alias oſtendimus.

Quanquam enim iſta fortaſſe non omnibus eveniant, pluribus tamen ita contingunt, licet illud non videatur: unde paſſim omnes Patres horam mortis uti rem maximè formidabilem ab inſidiis, & oppugnationibus Dæmonum, ſicut & à magnis terroribus, & doloribus extremis, nobis repræſentant. Et ea quidem accidunt ex cogitationibus intellectus, quæ cum non menſurentur temporis duratione, poſſunt eſſe variæ, & innumeræ in tempore breviſſimo; uti eſſe poſſunt in minimo loci ſpatio innumeri Angeli & Dæmones, ut in illo Energumeno de quo Lucas cap. 8. in quo fuit legio, hoc eſt plures Dæmones.

III. Signum. *Et Luna tota facta eſt ſicut ſanguis*: Equidem uti Luna omne lumen recipit à Sole, & mutationi maximè obnoxia eſt, & rebus

Digitized by Google

rebus inferioribus dominatur; Ita voluntas ac libertas in homine omne lumen accipit ab intellectu, ut à ſuo Sole. Mutationi verò obnoxia eſt propter libertatem, & indifferentiam, & ferè ſequitur variationem cogitationum, & rerum quæ ipſi proponuntur. Denique potentiis inferioribus dominatur. Fit autem ipſa tota ſicut ſanguis propter pœnitentiam: quia omnia ſua ei diſplicent, & ſe totam ipſa cruciat, & quaſi cruentat variis, atque diverſis affectibus: Nollet fuiſſe quod fuit, quod tamen fieri nequit; quod enim factum eſt, nequit eſſe infectum: & contrario voto, vellet eſſe quod non fuit, quod neque eſſe poteſt; nam quæ fuêre priora tranſierunt: item quod nunc eſt nollet eſſe, ſed inutiliter; & tamen voto contrario, vellet id ſemper eſſe, ne ſit aliquid deterius: Denique futurum appetit, & timet: appetit, quòd præſens putat intolerabile: timet, quia quale ſit, neſcit, & ſemper gravius futurum ſuſpicatur: itaque diſſimili voto, eadem amat, & odit: amplectitur, & fugit: inſequitur, & averſatur: Unde fit, ut ſeipſam diſcindat, diſcerpatve, in quo eſt cruciatio, & velut quædam cruentatio. *Et luna non dabit lumen ſuum*: dicebat Chriſtus loquens de ſignis judicii Matth. 24. ſed in morte, voluntas quæ ex ſua natura lena ſemper eſt voluptatis, & tota in amoribus boni, quaſi ſuæ naturæ eſſet oblita, tota in odiū ſui tranſit. Ubi illa vota, ubi incenſa deſideria? Ubi teneri illi amores, delectationes atque riſus? abierunt omnia, nec illi ex tota vita quidquam eſt reliqui, niſi triſtitia, timor, odium, deſperatio. Tunc quæcunque alias tibi placuerunt, ſummopere tibi diſplicebunt; quæ amaſti erunt in odio; quæ fuerunt jucunda, & grata, erunt ingrata, & odioſa, ſecundum illud Oſee 2. *Et ceſſare faciam omne gaudium eius, ſolemnitatem eius, neomeniam eius, Sabbatum eius, & omnia feſta tempora eius.*

4. Signum. *Et ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram*: hoc eſt ſpoliatur anima ſuis ornamentis, & præſidiis. Fit enim prima denudatio maior in ipſa morte, maxima poſt condemnationem. Incipit itaque ſpoliari cognitionibus, ſcientiis, & virtutibus, ſaltem quoad uſum, quia illis uti iam non valet, unde dicuntur cadere ſuper terram, quaſi ſint inutiles. Ratio duplex eſt: 1. Quia noſtræ cognitiones ferè ſunt de rebus huius vitæ, quæ iam præterit, itaque eo tempore ut inutiles pereunt. 2. Quia virtutes noſtræ, ut tantis malis ſunt impares, ita illis ſuccumbunt. Sic implebitur illud Jobi cap. 21. *Lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris ſui.* Vanæ enim ſcientiæ tunc concidunt, & aliunde tentationes graves, & malæ, quæ animam hinc atque inde adoriuntur, tanquam varii eiuſdem fluminis, aut torrentis rivi, hominem inundant, & demergunt.

5. Signum. *Et cælum receſſit ſicut liber involutus*: Alluditur ad locum Iſaiæ 34. *Et complicabuntur ſicut liber cæli*: Mementote eorum librorum de quibus Daniel, cap 7. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt*: De quibus etiam in eadem Apocal. 20. *Et vidi mortuos, magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni & libri aperti ſunt*, &c. *Et iudicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum*: Significatur itaque per eiuſmodi librum conſcientia, quæ quandiu ſumus in hac vita, in noſtra remanet poteſtate: in ea ſcribimus quæ volumus, vel delemus uti placet: complicatur autem quando à nobis aufertur, nec eſt amplius in noſtra poteſtate, quod fit quando finitur, & completur ſine ulla ſpe mutationis. Complicantur etiam libri; cum finis imponitur meritis, atque demeritis, & omnis ſpes pœnitentiæ intercluditur, quod fit in morte. Inſuper involutus liber ſignificat ignotum eſſe animæ, an maiora ſint eius merita quam demerita; an anima ſit in gratia, an in peccato: id enim ſolum innoteſcit per iudicium,

in quo tantum aperiri dicuntur libri : nos enim in hac vita ſemper eos implemus augemuſque, aut etiam per pœnitentiam minuimus, atque inducimus, in morte verò finimus, atque abſolvimus : & propterea tunc dicuntur complicari, ac recedere, etenim auferuntur à nobis, quia non ſunt amplius in noſtra poteſtate : ſi enim in vita quædam in eis delere potuimus, addere, & minuere ; in morte hæc poteſtas à nobis aufertur: aperiuntur autem in judicio, quia mortui judicari debent ex iis quæ in illis ſcripta reperiuntur. Signum igitur adventantis mortis eſt, cum terminus imponitur noſtris actionibus.

VI. Signum eſt. *Et omnis mons, & inſula de locis ſuis mota ſunt*: Hac phraſi ſignificat Scriptura complanata eſſe omnia, & impedimenta remota, qualia eſſe ſolent montes in itinere pedeſtri, & inſulæ ad navigationem. Ad argumenti noſtri rationem, ſenſus iſte eſt, quod univerſæ formidines ſpeſque evaneſcunt, perinde ac ſi nunquam fuiſſent; morte facilem viam præſtante rebus omnibus, ac efficiente quod ad id uſque temporis, viſum fuerat fieri non poſſe. 1. Ut perdamus rerum omnium creaturarum amorem : ita videmus ſæpius, parentes obliviſci liberorum, maritum uxoris, *&c.* 2. Ut deſeramur ab omnibus quæ in mundo ſunt. 3. Ut ad extremum illum, cujuſmodi præſens eſt, ſtatum redigamur. Tunc ſubducunt ſe ex oculis animoque noſtro omnes illi montes ; ſicut & hæc difficultas, & impoſſibilitatis ratio, quam finxeramus obtinendæ virtutis, afflictandi corporis, aſpernandæ gloriæ, noſque ipſos abdicandi. Similiter Inſulæ illæ omnes eſſe deſinent, hoc eſt, quòd nihil potuerit navigationem, & hujus vitæ curſum retardare, quandoquidem ad finem pervenimus. Sic & univerſæ ſpes, cupiditateſque, quibus tanquam velis ac remis ferebamur quaſi ad fortunatas Inſulas, ſe noſtro è conſpectu abripiunt, & videntur abſorptæ in profundo non maris ſed mortis, ubi deperduntur omnia. Inſulæ illæ magnitudinis, authoritatis, divitiarum, voluptatum, vitæ diuturnæ, integræ valetudinis & perfectæ, non amplius futuræ ſunt. *Omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi* : ait idem Joan. in deſcriptione effuſionis phialarum iræ Dei : Apocal. 16.

VII. Signum. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris : Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare ?* Significatur ingens metus, & trepidatio, à qua nos nulla ſecuritas in morte liberat. Enumerantur autem varii ſtatus hominum, quia hæ differentiæ non ſunt nativitatis & exitus, ſed medii temporis, cujus cum adſit finis, illa omnia tunc non juvant; unde quæ hic proponuntur, omnibus ſunt communia. Oritur autem ingens illa trepidatio.

I. Ex ignoratione odii, vel amoris Dei; hoc eſt ſtatus ſui : *nam neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit*, Eccl. 9. idque omnibus convenit ſed longè major eſt eorum timor ac trepidatio, qui ſciunt ſe eſſe odio dignos.

2. Ex incertitudine veræ contritionis, veræque pœnitentiæ. Quis enim ſcit an ex mera neceſſitate peccatum deſerat ?

3. Ex gravitate peccatorum quæ tunc ſeſe prodit, cum tamen antea levia putarentur, ac negligerentur, tunc autem homini ſeſe offerunt inſtar exercitus, & ingentis multitudinis.

4. Ex gravibus tentationibus, & aſſultibus Dæmonis terrentis per varias viſiones, & per varias tentationes atque pavores exagitantis, & præſertim moventis ad deſperationem, ſecundum illud Iſaiæ 14. *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui: ſuſcitavit tibi gigantes*: cujus rei innumera ſunt exempla in vitis, & hiſtoriis Sanctorum.

5. Ex

Digitized by Google

5. Ex apprehenſione ſeveritatis Judicis adventantis: ſicut enim in vita Deum non cogitaſti, niſi miſericordem, ita tunc non cogitas niſi ut ſeverum, ſecundum illud Jobi cap. 30. *mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi.*

6. Ex animi incredibili perplexitate, atque anxietate, quia neſcit homo an adhuc ſit in hac vita, an in alia: nam ſopitis & ferè extinctis ſenſibus, omnia præſentia diſparent; aliunde æger, inſcius, & expers alterius vitæ, neſcit ubi ſit, & propterea ignorat ſi aliquis ſit adhuc pœnitendi locus: atque hinc exiſtit deſperatio, cum anima inops conſilii quidlibet potius ſubire parata ſit, quàm irati Judicis conſpectum ſubire. Sed quid agat miſera? retrocedere non poteſt: ſe enim totam expelli ſentit è corpore, cum uti non poſſit amplius, nec regere aut animare illud valeat deſtructa temperie; ultra progredi maximè timet, neſciens quo eat, & rerum ulteriorum ignara; ac ſupra omnia Iudicem formidat: hic autem manere, & in eodem ſtatu diu ſiſtere non permittitur; quoniam tranſitus eſt, non autem ſtatus: & expectatio tam arcta, & preſſa non minimum eſt ſupplicium; in qua cogitur ſui triplicis ſtatus pœnas ſubire; dolorem jacturæ prioris ſtatûs amiſſi; metum futuri; præſentis autem ſenſum, & tormentum.

Ecce dilecte mi Auditor, quo mors primo ſui acceſſu animam redigit: Etenim hæc omnia ſingulis cõtingunt, ſeu lenta morte conficiantur, ſeu repentina. Nos certè in iis qui diu laborant in agonia harum rerum quædam videmus argumenta: in iis verò qui ſubito intereunt, non minus illa contingunt, quoniam cum in animo fiant, eodem modo fiunt quo res ſpiritales, quæ uti cum locis comparatæ, nullam ex neceſſitate poſtulant extenſionem, (vides enim animam totam in puero, & in ſingulis corporis partibus; Chriſtum totum in minima parte hoſtiæ; multos in uno corpore Dæmones) ita cùm durationi & tempori comparantur non ex neceſſitate poſtulant extenſionem, ſed in uno inſtanti exiſtunt, uti tota Dei æternitas.

Hoc igitur unum à te peto & ſeriò: Num judicas ad hæc omnia tibi opus eſſe viribus giganteis, & ſupra humanam facultatem? quomodo ergo tu tantis malis unus ſufficies? Minima te occaſio agit præcipitem: minima terret difficultas: minima tentatio proſternit: quid ergo tunc facies? Tu ne ſentis ſatis tibi eſſe virium ad hæc omnia non ferenda ſolum, ſed ſuperanda? Quid cogitas? quid ſperas? quid expectas? ubi tua ſpes, & confidentia? cur tuis rebus non provides? cur te ad iſta non comparas, operibus bonis, continuis precibus, dura exercitatione? Vide quid ſperandum ſit de maxima hominum parte, qui vivunt in tanta ſecuritate, in otio, & falſa pace. Item, num rationem habuerint Sancti, cum de ſua morte ita fuerunt ſolliciti? Nonne te pudet in aliis rebus humanis ac perituris, & hujus ſæculi, adeò eſſe prudentem, & ſollicitum, & illam unam rem quæ tanti eſt momenti, negligere? Quod ſi harum rerum ſola cogitatio nos ita terret, atque afficit, quanto magis præſentia, & experientia.

Quid agimus, Auditores, quid cogitamus? quid in hujus vitæ nugis nos occupari ſinimus? nec ad iſta nos præparamus? Hic aurum colligit; hic honores ſequitur; hic in luxuriis vitam tranſigit, & uſu voluptatum; Nemo ferè de ſua morte cogitat, & ſi aliquis cogitat tantũ de teſtamẽto cogitat; de ſuis negotiis; de ſua ſepultura; de liberis, de iis quos relinquit: ſed nemo qualem mort habebit, & quæ mortem comitari ſolent: Et tamen hæc omnia quæ recenſuimus unumquemque noſtrum manent: Nemo eſt liber, nemo qui eximatur, hoc omnibus continget. Quàm jure merito, cum morti vicinus eſſet Theo-

philus Alexandrinus, exclamabat, Verè beatus es Abba Arſeni, qui ſemper hanc horam ob oculos habuiſti: Hora intolerabliis cum adeſt ex improviſo, & occupat non opinantem; hora utilis cum cogitatur: Hanc horam unicuique vita componit. Lucæ 21. *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt.* Quomodo fugere poterimus, ſi futura ſunt non providentibus: Sed ea fugient qui providerint. Tu provide, & fuge: providebis autem ſi vigilaveris, & oraveris omni tempore: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Quod nobis concedere dignetur Jeſus Christus Dominus noſter. Amen.

FERIA SEXTA
DOMINICÆ QUARTÆ IN QUADRAGESIMA.
CONCIO TERTIA.
Anima extra corpus quoad ſe ſpectata.

Veni, & Vide. Joan. 11.

VIdere incepimus quo ſtatu mors hominem ponat non tantum ratione corporis, ſed etiam animæ, quæ quidem melior eſt eius pars & æterna. Pergimus in eodem argumento, & quod in eo eſt obſcurius, ſed & utilius, indagamus. Si enim homo ſe cognoſcit ratione partis corporeæ, ſupereſt quoque ut ſe norit ratione partis ſpiritalis, utpote præſtantioris, ut ſeipſum eo modo totum agnoſcat: iuxta illud Philoſophiæ veteris pronuntiatum *γνῶθι σεαυτόν*. Noſce teipſum, quòd in veſtibulo templi Appollinis Delphici inſcriptum fuiſſe, teſtatur Plato in Charmide. Certè ſicut in vita nemo benè novit corpus ſuum, ſed poſt corporis diſſolutionem omnia quæ latebant nobis innoteſcunt; ita quid ſit anima pauci norunt in vita, adeò implexa eſt corpori: unde tot Philoſophorum de animæ ſubſtantia opiniones, aliis eam igneæ naturæ, aliis aëriæ, aliis ex æthere, vel ex anima mundi delibatam aſſerentibus: ſed cum erit corpore exuta ſeipſam noſcet qualis eſt. Nos ſaltem qualis futura ſit, hodie coniectura aſſequamur, quantum poſſumus. Sed in re tam obſcura, inſolito lumine indigemus: unde autem melius, quàm à Virgine poſtulandum. Ave Maria.

NEſcio, Auditores, quodnam iudicium facturi eſtis de ſuſceptione rei quam mihi hodierna die propoſui; neque dubito quin me nonnulli accuſent temeritatis, cum audeam ingredi viam quæ nullius mortalium pede trita eſt, ſcilicet ſermonem habendum de ſtatu animæ in altera vita, quæ nobis omnino incognita eſt extraque experientiam noſtrã, Atque aliquis dicet in me non eſſe ea de

re

Digitized by Google

re loqui, de qua nemo ad hunc uſque diem locutus eſt: Alii arguent me novitatis, aut curioſitatis, qui ſermonem aggredior de argumento quod neque in ſcholis Magiſtri, neque eruditi in ſcriptis tractatibusque nos docent: Verùm ſuſtinebo hilariter quicquid vituperationis in me a vobis adhibebitur, dummodo ſaluti animarum veſtrarum ſervire poſſim meaque temeritas vobis fructuoſa ſit; in eo Pauli Apoſtoli exemplum perſequens, qui minimè ſollicitus fuit, quod ipſius adverſarij ut ei ſtomachum moverent, ab invidia in illũ ſuſcepta prædicarent S. Evangelium, modo prædicaretur Ieſus Chriſtus, & hominibus innoteſceret: ad Philipp. 1. *Dum omni modo, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Idem tanti Apoſtoli exemplo audeo dicere, & veſtræ ſalutis cauſa audeo illud aggredi quod vires meas ſuperat, nempe vobis exponere, quo mors animam ponat in ſtatu, in ipſius animæ diſceſſu, quo primum incipit eſſe ſine corpore. In quo ſtatu quatuor poſſumus in anima ſpectare: 1. eius ſubſtantiam, & quæ ratione ſubſtantiæ ei conveniunt: 2. Intellectum ipſius, & modum eius intelligendi: 3. Voluntatem & eius operationes: 4. Paſſiones: nam licet paſſiones propriè dictæ, ſint in ipſo corpore, quoad corporalem immutationem, tamen quoad principia actionum ſunt in anima: propriè quidem in coniuncta; ſed etiam in eadem ſeparata ſunt quædam actus reſpondentes actibus, & mutationibus paſſionum quibus corpora commoventur. Hodie tantum tractabimus de iis quæ conveniunt ſubſtantiæ ipſius animæ, in qua, cum erit ſeparata à corpore, hæc à me ſpectantur.

I. Ipſius poſt hominis mortem permanſio in vita, qua fit ut anima huic vitæ mortali ſit ſuperſtes. Scio fuiſſe aliquos & Philoſophos, & Hæreticos, qui eam eſſe mortalem, & una cum corpore perire cenſuerunt: Ita Epicurus ex Plutarcho lib. de Placitis Philoſophorum, & qui Epicuri fuerunt Diſcipuli, ut Poëta Lucretius & alii: idem docuit Democritus ſi Lactantio credimus lib. 3. de Divin. inſtitut. c. 18. idem, Plin. lib. 1. hiſt. c. 53. & 55. idem exiſtimaverunt Sadducæi, & nonnulli Hæretici relati à Damaſceno lib. de Hæret. Fundamentum huius erroris fuit; quod nulla appareret differentia in ratione vitæ inter hominem, & belluam: uti igitur animæ animantium extinguuntur, ita etiam animæ hominũ pereunt. Et is viſus eſt quibuſdam fuiſſe ſenſus Sapientis Eccleſiaſtis c. 3. cum pronunciavit unum eſſe interitum hominis & jumẽtorũ, aliaque id genus, quæ ſuperiori Concione retulimus, oſtendentes eũ nõ ita cenſuiſſe.

Hæc ſiquidem ſententia fuit tantum hominum impiorũ: Et de fide eſt animam hominis non deſinere eſſe, cũ corpus vivere deſinit, eaque corpus relinquit; ſed ipſi eſſe ſuperſtitem.

Probatur 1. ex Scripturis. Et quidem Sapiens cap. 2. libri Sapientiæ, poſtquam retulit eorũ errorem, qui in morte hominis animam interire putabant: *Cinis erit* (ajebant) *corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër:* (hinc illa Ethnicorum conſuetudo, ut corporum cineres in urnas colligerent, & morientiũ quos amarent, ore ſpiritus legerent;) Sapiens, inquam, ſubdit ſuum ſenſum: *Hæc cogitaverunt, & erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum.* Et propterea idem ſic loquitur de Juſtis c. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*; utique ſecundum animas; nam etiã juſti moriuntur ſicut alii, quoad vitam corporum attinet: & hic eſt verus ſenſus eorum verborum Eccleſiaſtis quibus dicit jumenta & homines in hoc convenire quòd moriantur, ut liquere heri demonſtratum eſt, ex verbis ſequentibus, quæ ſunt de aſcenſu Spiritus Filiorum Adam, & de deſcenſu Spiritus jumentorum: cum iſte aſcenſus ſignificet animam hominis una cum corpore non

Digitized by Google

non diſſolvi, ſicut animantium ſpiritus ſimul cum eorum carne perit. Sed & eundem Sapientem id de anima hominis aſſeveranter dixiſſe in cap. ultimo ejuſdem Eccleſiaſtis inſinuavimus, quod & hic accuratius placet perpendere. Verba ſunt hæc: *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Alludit ſanè ad hominis creationem: nam corpus hominis coagmentatum eſt ex terra, figurato autem homine ex terra, cum anima fuit infundenda, dicitur quòd Deus ſuo flatu animam inſpiravit, ut ſcias à materia non fuiſſe eductam, ſed uti dixit Ariſtoteles lib. 2. de gener. animal. cap. 3. extrinſecus adveniſſe. Equidem quando animalia formata ſunt, una actione eorum corpus & anima producta ſunt; unde dicitur Geneſ. 1. *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas*: Sed quando agitur de hominis formatione, fit mentio duplicis actionis, unius qua factum eſt corpus, alterius qua anima inſpirata eſt: 1. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, Gen. 2.* En habes corporis formationem, & materiam, & de eo dicitur à Sapiente, *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat*: alterius; *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*: hic habes originem animæ, non à terra, ſed à Deo, non eductione à materia, ſed inſpiratione à Deo, & infuſione: & idcircò dicitur à Sapiente, *& ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*: inde apud nos mos ille mortem explicandi, ad Deum abiit; & Chriſtus moriens dixit Lucæ 23. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*: Et cap. 4. Sap. de homine iuſto dicitur, *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: nec mirum, quia uti ſequitur cap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis benè diſponentur*:

Sed quid clarius in hanc rem dici poteſt quàm quod ab ipſa Sapientia æterna incarnata prolatum eſt: Sic enim ipſe Chriſtus ſuos hortatur Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*; quod certè fruſtra diceretur, ſi ſimul cum corpore animus interiret; qui enim corpus perimeret, ſimul etiam animum interimeret, uti fit in animantibus. Et moriens idem Chriſtus dixit Latroni; *Hodie mecum eris in Paradiſo*, & alia plura paſſim è quibus ſelectiora aliqua inferius poterunt ſubjici.

Et hoc eſt fundamentum totius huius diſcurſus quem habemus de anima ſeparata, ut non exiſtimes nos agere de re imaginaria ac ne putes tua omnia concludi intra huius vitæ terminos, cum præter hanc vitam corporalem, alia ſit quæ tota ad animam pertineat: ſciaſque proinde non ſolam rationem tibi habendam corporis, ſed etiam, & multò magis, animæ tuæ; nec tantum huius vitæ, ſed & illius alterius, quam certè ignorare non debes, cum te potius ſpectet quàm hæc præſens.

II. Spectanda eſt Animæ immortalitas, ſive perpetua duratio: Etenim non modo non perit anima cum corpore, ſed etiam in ſuo eſſe ſemper manſura eſt, & conſequenter eſt, & erit immortalis. Eſt contra quoſdam Philoſophos, qui dixerunt, animam quidem eſſe ad aliquod tempus corpori ſuperſtitem, ſed tamen non ſemper manſuram. Ita doctum fuiſſe à Stoicis refert Euſeb. lib. de præpar. Evangel. cap. 19. & Tullius 1. Tuſculan. Idem tribuit Zenoni Iſidorus libr. 1. de Doctrina, & de dogmatibus fidei cap. 15. Cùm enim Stoici crederent animam

eſſe

eſſe flatum quemdam, putabant non ſtatim corrumpi poſt emiſſionem, ſed paulatim diffluere, & extingui. Lutherus in art. 27. ex damnatis à Leone X. inter portenta quæ dixit eſſe in fide Romanæ Eccleſiæ, unum eſſe dixit animam eſſe immortalem. Sed ea veritas, nempe quòd anima hominis ſit immortalis.

Probatur 1. ex Scripturâ. Exod. 2. ait Dominus Moyſi: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*: Ex hoc antecedente vide quid Chriſtus concludat Matth. 22. *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*. Certè Deus non eſt alicujus Deus, pro aliquo tempore, niſi ille alter tunc exiſtat, & Deum colat, atque veneretur ut ſuum numen: igitur oportuit, ut tunc ſuperſtites eſſent Abraham, Iſaac, & Iacob, alioqui, non ſe illorum dixiſſet Deum. Vt autem ſcias ſemper victuros, audi quid dicat, *hoc mihi eſt in æternum*: igitur juxta Chriſti interpretationem iſti vivent in æternum.

Idem colligitur ex promiſſionibus præmij æterni quæ paſſim reponuntur in Scripturis. Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum vivent*. & Ioan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*: Item ex pœnâ æternâ quæ reprobis irrogatur, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*: itaque ſupponitur damnatorum exiſtentia æterna, & vita æterna.

2. Probatur non tantum authoritate divinâ & Scripturarum, ſed & eorum quinque fuerunt ſapientiâ illuſtres qui fere omnes ſtatuerunt animas hominum eſſe immortales: nimirum ſapientes Hebræorum; Chaldæorum; Ægyptiorum cum ſuo Mercurio Triſmegiſto; Indorum; Gallorum quos Druydas appellabant; Pythagoricorum demùm, & Platonicorum cùm ſuis antesignanis. Audi Originem lib. 7. contra Celſum: Perſuaſum habent non ſolum Chriſtiani & Iudæi, ſed etiam multi tam Græci, quàm barbari, quod ſuperſit, & quod vivat poſt diſceſſum à corpore, anima humana. Sic. & Clemens Alexand. lib. 4. Strom. cap. 7. & 8. docet hunc fuiſſe ſenſum plurimorum Philoſophorũ, ut Pythagoræ, Empedoclis, Socratis Platonis, Stoïcorum, & aliorum: de Ariſtotele ſeparatim dicemus. Denique eam ſententiam clarè, & indubitanter tenuerunt omnes qui vitæ ſanctitate, vel inſigni probitate, vel prophetiæ dono, vel miraculorum patratione celebres extiterunt. Qui verò illam negarunt, ferè improbi fuerunt, Epicurei, & Athei: unde eorum allatâ opinione, ſubdit Sapiens. *Hæc cogitaverunt, & erraverunt, excæcavit enim eos malitia eorum*, quia nimirum pravis fuerunt moribus, utque impunitatem aſſequerentur, negarunt animæ immortalitatem.

Quare non mirum ſi hanc fidem definierit Concil. Lateran. ſub Leone X ſeſſ. 8. his verbis. Cùm diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de naturâ animæ rationalis quòd mortalis ſit ſaltem ſecundum Philoſophiam, ſacro approbante Concilio damnamus ac reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe.

3. Probatur ex præclaro Ariſtotelis diſcurſu quem habet 10. de Anima tex. 13. & 3. de Anima cap. 4 Si anima rationalis habet operationem, aut actum ſibi proprium ſeu non communem cum corpore, eſt ſeparabilis, hoc eſt, exiſtere poteſt ſine corpore: nam operatio ſequitur eſſentiam quare ſi habet operationem independentem à corpore, ſeu organo, ipſa etiam erit independens à materiâ, ſeu ſubjecto organico, & conſequenter erit ſeparabilis, quia ejus eſſe non pendebit à corpore, neque materiâ. Atqui anima habet operationem ſibi propriam & non communem corpori. Igitur ab eo ſeparabilis eſt, & poteſt exiſtere ſine

corpore: Probatur minor. Anima intelligit, ſed intelligere eſt actio animæ propria, nec communis corpori; Quia intellectus eſt potentia inorganica, quod probatur 1. ex vniverſalitate intellectus, nam percipit omnia corporea, hoc eſt cœleſtia, terreſtria, ſimplicia, & mixta, quod facere non poſſet, ſi eſſet potentia organica: Nam ex Anaxagorâ intus exiſtens prohibet alienum: cum enim quodlibet organum certam diſpoſitionem requirat, non poteſt eſſe potentia univerſalis ad omnia cognoſcenda: Sicut videmus in ſenſibus, non eſſe aptam eandem organi diſpoſitionem ad omnia ſenſibilia percipienda, unde neceſſarium fuit ut plures eſſent ſenſus, & in diverſis organis, propter differentiam diſpoſitionum; omnis autem determinatio indifferentiam ſeu vniuerſalitatem impedit, quam tamen ſcimus eſſe in intellectu, qui omnia objecta percipit. Et confirmatur ex obiecto adæquato intellectus humani, quod eſt ens, in quantum ens, ſeu in quantum verum: igitur intellectus abſtrahit ab omni organo corporeo. Antecedens probatur. Quia intellectus attingit omnia entia corporalia & ſpiritualia creata, & ipſum Deum increatum, ſubſtantiam, & accidentia, & alia omnia, quæ ut cadunt ſub unam potentiam, accipi debent ſub aliquâ ratione communi, hæc autem ratio non poteſt eſſe alia, niſi entis, vel intelligibilis, ſeu veri: igitur hæc eſt ratio adæquata objecti intellectus. Probatur conſequentia. Nam omnis potentia organica, & materialis valde eſt limitata ratione materiæ: Cum igitur intellectus ſit poſſibilis fieri omnia, nullam debet habere determinationem in ſe, ſicut vas rotundum, vel alterius figuræ, determinat liquorem ad ſui figuram: ad hæc ſi haberet in ſe determinationem, non poſſet ſe extendere ad vniverſalitatem cuiuſcunque obiecti, præſertim eius quod eſt independens ab omni loco, tempore, & figurâ, & re ulla quæ non cadit ſub ſenſus, ſeu in toto, ſeu in parte: unde ait Ariſtoteles 2. de Anima text. 2[?]. Intellectum non tantum percipere ſingularia ſed etiam vniverſalia.

2. Probatur intellectum non eſſe potentiam organicam ex eodem Ariſt. 3. de Anim. c. 4. Quia omnis potentia organica, ratione organi læditur & impeditur à vehementi obiecto, uti patet in ſenſibus. Nam auditus poſt ingentem ſonum, non percipit parvum, ſicut viſus poſt ingentem ſplendorem hebeſcit: Similiter olfactus aut guſtus, poſt vehementis obiecti ſenſationem, minora obiecta non ſentiunt: Intellectio autem non impeditur, nec intellectus læditur ab excellenti intelligibili, ſed ab eo magis perficitur, & qui excellentiora intelligibilia percipit, habilior redditur ad intelligenda inferiora: & inde Ariſtoteles concludit intellectum eſſe ſeparabilem, non autem ſenſum: & l. 1. de Anima tex. 92. Dicit non poſſe aſſignari partem corporis in quâ ſit intellectus, quaſi in organo, vel per quam ipſum intelligere eliciatur. Idem confirmatur experientia, ex eodem 1. de An. im. text. 66. quòd per ſenium corporis non labefactetur intellectus: unde idem Philoſophus l. 2. de gener. animal. c. 3. cum dixiſſet animas cæterorum animalium non poſſe advenire exterius, nec ſine corpore exiſtere, quia omnis earum operatio communis eſt, & cum corpore; ſubdit: Reſtat igitur ut ſola mens extrinſecus accedat, eaque ſola divina ſit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Et lib. 10. Ethic. cap 8. dicit in homine eſſe partem aliquam divinam: & inde concludit, homines non oportere tantum mortalia cogitare, ſed quod fieri poteſt, immortales nos ipſos facere.

4. Eadem veritas probatur à priori. Principium intelligendi in nobis eſt in corpore-

um

tum & ſpiritale, ut patet ex eius operatione, adhucque poſtea probabimus, & nunc ſupponimus, Si eſt ſpiritale profectò in ſuâ ſubſtantiâ eſt ſimplex, & indiviſibile tàm in partes eſſentiales quàm in integrantes; omnis enim diviſio petitur à materiâ & quantitate: Si eſt ſimplex, & indiviſibile, eſt incorruptibile & immortale: quia ex Sancto Gregorio Thaumaturgo lib. de Animâ: omnis corruptio ſeu mors fit per diſſolutionem, & ſeparationem unius ab alio? igitur ſupponit compoſitionem? nam idem à ſeipſo non ſeparatur; quam in ſententiam Gregor. Nyſen. in oratione Catechetica cap. 8. quomodo diſſolui poſſet, quod non eſt compoſitum? nec item corrumpi poteſt ex ſeparatione à comparte, quia cum ſit ſpiritale eſt immateriale & non pendet à ſubiecto: vera itaque ratio & intrinſeca immortalitatis animæ, eſt eius immaterialitas? hæc autem probatur à poſteriori, nempe ab eius operatione: cum itaque mors tantum ſeparet animam à corpore, non ſequitur animæ deſitio? quia anima in ſuo eſſe non pendet à materiâ, & ideò poteſt exiſtere ſine illâ: nam ſine concurſu materiæ habet quidquid ex parte ſua neceſſarium eſt ad exiſtendum, & ab aliis cauſis ſecundis non pendet, & propterea per ordinarium primæ cauſæ influxum conſervari poteſt in ſuo eſſe, licet à materiâ ſeparetur.

5. Probatio licet ſit moralis, habet tamen apud me magnum pondus, & petitur à Dei providentiâ, & eſt eiuſmodi. Si eſt Deus certè eſt aliqua providentia; ſi Deus habet providentiam, & curam huius mundi, & conſequenter, immò præcipuè, rerum humanarum, ad eius iuſtitiam pertinet, ut mali puniantur, & boni afficiantur præmio: Hoc autem non fit in hac vitâ, in quâ homines impij ac ſcelerati maximè florent, optimi verò quique maximè affliguntur, quaſi impietatis merces ſit proſperitas, juſtitiæ verò calamitas. Neceſſe eſt itaque eſſe aliam vitam, in quâ iuſtitia ſit operum retributio; non erit autem altera vita, ſi anima unà cum corpore pereat. Quemadmodum igitur ſi eſſet injuriarum retributio, vel pœna reis conſtituta, ſed omnia omnibus impunè licerent, rectè diceremus illud regnum vel carere rectore, vel ſi eſſet aliquis, illum eſſe iniuſtum, & ſceleratorum fautorem: Ita ſi in hac vita omnia impunè agerentur, neque alio tempore corrigerentur, recte colligeremus nullam eſſe providentiam, nullum ſupremum dominatorem à quo res humanæ regantur, vel ſi ſit aliquis, illum eſſe iniuſtum, & conſequenter nullum eſſe numen. Vnde clemens Rom. lib. 3. Recognit. Si Deus iuſtus eſt, anima immortalis eſt. Et Origines in Cantica; Vbi eſſet iuſtitia Dei, ubi bonorum merces, ſi anima eſſet mortalis? Hæc tota ratiocinatio eſt Sancti Chryſoſt. ſerm. 4. de Provident. Si nihil eſt poſt hanc vitam, id eſt, ſi anima cum corpore extinguitur; ergo neque Deus eſt: nam ſi Deus eſt, iuſtus eſt, & juxta merita unicuique diſtribuit, ſi autem nihil eſt poſt hanc vitam, ubi accipient ſinguli pro ſuis meritis? Multi hìc bene habent, & in honore degunt, licet mali, alii affliguntur, licet juſtè vivant Si ergo poſt hæc nihil eſt, emigrabunt juſti affecti iniuriâ, & iniuſti immeritâ felicitate potiti: Vbi ergo manebit juſtitia? Si enim nemo quæ meritus eſt accipiat, neque Deus ſecundum ſe juſtus eſt: Si autem Deus non eſt iuſtus, neque Deus eſt, &c. Atqui Deum eſſe creaturæ clamitant, igitur & juſtus eſt: Quòd ſi iuſtus eſt, tribuit unicuique quod iuſtum, ſi vnicuique quod iuſtum eſt, tribuit, neceſſe eſt poſt hanc vitam eſſe tempus, in quo ſinguli juxta merita accipiant

Digitized by Google

Hæc Chryſoſtomus. Vnde patet hæc eſſe inter ſe connexa, fidem de exiſtentiâ Dei, & fidem de immortalitate animæ; neque mirum eſt ſi athei, & qui deum negant, iidem etiam negent animas eſſe immortales.

Et hinc confirmatur illa veritas. Etenim illud dogma non poteſt eſſe falſum, & inane, quod eſt fons, & fundamentum omnis juſtitiæ & pietatis & virtutis: nam lux non poteſt oriri ex tenebris & in illis niti: nec ſplendor virtutis oriri ex errorum caligine: Atqui dogma immortalitatis animæ, & quod poſt hanc vitam, ſunt ſupplicia, & præmia, eſt origo & fons omnis juſtitiæ, uti patet: ergo, &c. E contrario verò illud dogma, non poteſt eſſe verum, quòd à vitâ hominum tollit omnem probitatem, & inducit omnem impunitatem ac vitiorum colluviem: Atqui hoc facit opinio de non alterâ vitâ: nam quis vitam aſperam colat, ſi nihil lucri inde ſperet? ergo &c. Hinc enim ipſe Ariſt. lib. 9. Eth. c. 8. colligit imortalitatis animorum argumentum; quòd vir probus corporis bona, & ipſam etiam corporalem vitam, propter honeſtatem contemnit: neceſſe eſt ergo ut inſtinctu naturæ, anima aliquid melius inquirat quàm corpus, & quæ ſunt præſentia; quod non faciunt cætera animalia quæ tantùm paſtum & venerem appetunt, nec timent niſi præſentia: ſed vis appetendi in homine ſe extendit ad omne verum, & ad omne bonum. unde patet ipſam erectam eſſe ſupra materiam, & corpoream conditionem. Et quidem ſolus homo appetit immortalitatem non tantùm appetitu innato, ſed etiam elicito, quia ſolus novit immortalitatem, eamque apprehendit ut bonum ſpeciale, & ſibi proprium & conveniens.

Mitto innumeras alias de animæ immortalitate probationes, ut ſcias hoc dogma non niti in firmis probationibus. Quòd ſi eſſet falſum, ſequeretur falſam eſſe & confictam univerſam ſacram Scripturam, falſa eſſe omnium Prophetarum oracula, falſam Chriſti doctrinam, & prædicationẽ, falſa eius miracula, falſaq; quæ de ſuâ Reſurrectione nos docuit, licet innumeras de eâ nobis probationes dederit. Ad hæc, decepti fuerint quotquot Religionem Chriſtianam ſuſcepêre: Sed inter illos quot homines docti, quàm præclara ingenia? decepti tot Martyres qui eâ de cauſa ſuum ſanguinem fudêre; tot Sanctorum myriades, qui carnem domuere; omnes qui ſanctitate vitæ, prophetiæ dono, miraculorum gloria, cœleſti ſapientiâ omnibus ſæculis celeberrimi extitere: decepti fuerint, inquam, & à veritate aberrarint; ſoliſque improbis, impuris, & Epicureis veritas fuerit patefacta: Scilicet; quàm enim hæc omnia ab omni luce rationis alieniſſima eſſe quis non videt?

Hinc collige quanta ſit hominum cæcitas & imprudentia, qui tantummodò de vitâ præſenti cogitant, nihil autem de futurâ, quaſi verò anima periret cum corpore, cum corpus mortale ſit anima verò immortalis. Itaque cum hominem mori videris, cogita non totum perire, nec quod videris corpori accidiſſe, idem credas animæ accidere. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*: nempe, *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Quomodo enim immortalis mori poſſe? & aliquando non eſſe, quæ ſemper erit;

III. Spectanda eſt animæ ſpiritualitas & materialitas. Etenim licet Tertullianus animam crediderit immortalem, eam tamen putavit eſſe corpoream, eô modô cœli ſunt incorruptibiles, & aſtra licet ſint corporea: quem refutat Sanctus Auguſtinus Epiſt. 157. & lib de Hæreſibus in 86. Eundem errorem ſecutus eſt Vincentius ille quem refellit idem Sanctus Auguſtinus l. 4. de Anima & eius origine, à c. 2. Idem docuit Anaxagoras teſte Plutarcho

Plutarcho lib. de placitis Philoſophorum c. 2. Stoici apud Euſebium; Soranus antiquus Medicus citatus à Tertulliano; & Galenus qui putat animam eſſe harmoniam, & temperamentū humorum; Lucretius & alii Epicurei. Fundamentum huius erroris duplex eſt.

Primum eſt, quòd eiuſmodi opinantes eò ſunt adducti, ut notavit Sanctus Auguſtinus; quòd cùm nimis addicti eſſent ſenſibus, & imaginationi, nihil concipere poſſent reale, quod non eſſet corporeum, unde & Deum putarent eſſe corporeum, ut de Tertulliano notat Sanctus Auguſtinus, qui unum ex alio infert l. 10 de Geneſi ad Liter. cap. 24. Cum enim anima ſit ad imaginem Dei, nihil vicinius, aut fortaſſe nihil tam conſequens, quàm ut credito, quod anima corpus ſit, etiam Deus corpus eſſe credatur: unde concludit: Nemo audeat dicere animam eſſe corpus.

Alterum huius erroris fundamentum eſt, quòd omnes actus hominis pendere videantur à corpore, ac ipſa etiam ratiocinatio, uti patet in pueris, qui nondum diſcurrunt; eademque, per alterationem corporis amittitur, ut patet in inſanis; aut impeditur, ut in dormientibus, deniq; non ſine uſu phantaſiæ intelligimus: quæ tanta in operando dependentia à corpore, probat animā eſſe corporeā.

Verum eam eſſe immaterialem, & incorpoream ac ſpiritualem;

Probatur 1. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in cap. Firmiter. de ſumma Trinitate; ubi definitur Naturam humanam ex ſpirituali & corporali eſſe compoſitam. Quam in ſententiam ita loquitur Auguſtinus in Pſalm. 145. Natura animæ præſtantior eſt quam natura corporis, excellit multum, res ſpiritualis eſt, res incorporea eſt, vicina eſt ſubſtantiæ Dei: Et Epiſtola 157. Tertullianum damnat, quòd animas diceret eſſe corporeas, quô perverſius quid dici poteſt! Ita quoque Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. cap. 12. Animam ſimplicem, & corpore vacantem ſubſtantiam appellat.

2. Probatur, Quia operatio propria animæ, ut eſt principium intelligendi, eſt in ſe ſpiritalis, igitur & principium eius, quod eſt anima, neque enim res immaterialis poteſt oriri ab alio principio quàm à bim materiali, præſertim cum ſit immanens, & conſequenter recipiatur in ſuo principio: igitur ſi ipſa ſit ſpiritalis, requirit ſubjectum ſpiritale, ut ſit proportio inter recipiens, & receptum. Probatur antecedens, ex obiectis ſpiritalibus quæ intelligendo contemplamur, ut ſunt Deus, Intelligentiæ, Vniverſalia, & rationes abſtractæ ab omnibus particularibus circumſtantiis, loco tempore, figura: Nam actus debet eſſe obiecto proportionatus, quia ab illo ſpeciem ſumit; igitur cum obiecta eiuſmodi ſint ſpiritalia, actus debet eſſe ſpiritalis. Scio quidem animam in corpore exiſtentem, non attingere Deum & Angelum ut in ſe ſunt: unde primæ apprehenſiones participant quidem aliquid de ſtatu in corpore, & imitantur phantaſmata, & hoc eſt quod dixit Ariſtoteles, intelligentem phantaſmata ſpeculari, nam intellectus agens producendo ſpecies ſpiritales, imitatur ſpecies materiales phantaſiæ, à quibus determinatur: Tamen quoad actum judicij, intellectus vere cognoſcit illas eſſe ſubſtantias immateriales, & incorporeas, & alterius ordinis à ſubſtantiis quantitati ſubiectis, atque ad hoc judicium ferendum oportet ut mens noſtra ſuper ſenſibilia aſcendat, ut ſcilicet de ſpiritualibus, quatenus talia ſunt, iudicare poſſit: igitur talis actus eſt ſpiritalis. Ad hæc intellectus noſter ita de illis obiectis ſpiritalibus cogitat, ut circa illa diſcurat, & illorum proprias naturas intelligere conetur, ac proprietates corporibus repugnantes illis convenire Sequatur: Itaque illa actio non

poteſt eſſe corporea, alioqui non poſſet ſupra corpus aſſurgere. Cum ergo omnes actus intelligendi ſint ab uno, & eodem principio, ſi unus eſt ſpiritalis, omnes ſunt ſpiritales, etiamſi verſentur circa corpora: quia per ſpiritualem actum poteſt altiori modò corpus cognoſci, uti patet in Deo & Angelis, qui certè cognoſcunt corpora actu ſpiritali.

Confirmatur 1. Quia ſi intellectus eſſet potentia materialis, non poſſet percipere niſi materialia, & determinationem haberet, quod repugnat vniverſalitati intellectus, qui cum uniuerſalia cognoſcat abſtrahit ab omnibus conditionibus individuantibus, & omnibus ſenſibilibus accidentibus, & circumſtantiis, ita ut ſua obiecta ſpiritali modo cognoſcat: quod ſignum eſt potentiam intellectivam hominis eſſe omnino abſtractam in ſuo eſſe ab organo corporeo, & conſequenter etiam à materiâ & quantitate.

Confirmatur 2. Quia animus noſter ſpiritalibus rebus plurimum delectatur & paſcitur, igitur ſignum eſt eſſe ſpiritalem: nam unumquodque vivens ſimilibus & proportionatis cibis paſcitur & nutritur.

Confirmatur 3. Ex capacitate animæ rationalis: nam poteſt accipere dona ſpiritalia. Gratiam ſanctificantem, virtutes ſupernaturales, Fidem, Spem, Charitatem, Viſionem beatificam. Hæc autem dona non poſſunt eſſe niſi ſpiritalia, quia Deum immediatè attingunt qui planè ſpiritalis eſt, & incorporeus.

Confirmatur 4. Ex actione propria intellectus, qui ſolus poteſt ſupra ſe reflecti, intelligendo ſe, & ſuum actum: ut enim corpus non poteſt ſeipſum movere per ſe primò, ſeu ſecundum eandem partem, ita potentia corporea non poteſt ſupra ſe ipſam reflecti, utique cognoſcendo ſeipſam. Si autem aliqua poteſt, ſpiritualis eſt, intellectus verò non tantum ſuper ſeipſum, ſed etiam ſuper actum ſuum reflectitur, cognoſcit enim ſe cognoſcere, & quanta certitudine, vel claritate cognoſcat, & quid ſit ipſa cognitio inquirit: ſimiliter reflectitur circa principia talis actus, ut ſunt ſpecies, lumen. & ſi quid eſt ſimile, quod non poteſt phantaſia circa ſuos actus & ſpecies, quod oritur ex materialitate, quæ impedit tantam ſubſtantiæ ſubtilitatem, quâ in ſeipſam reflecti poſſit.

Quod autem initio obiectum eſt facile ſolvi poteſt ex ſtatu præſenti intellectus, qui cum unitus corpori, & ab illo ſpecies accipiat, ex eo fit, ut ratione primarum apprehenſionum à corpore dependeat. Inde ignorantia infantiæ. Inde inſania, & fatuitas in ſenibus, corruptis, aut diſſipatis ſpeciebus in phantaſmate, ad quas neceſſe eſt intelligentem ſe convertere, cum intellectio ſit earum ſpecierum imitatio. Sed acceptis ſpeciebus ſuper illas animus ſe erigit judicando, & diſcurrendo quod ſignum eſt eſſe aliquid ſupra corpus, & conſequenter eſſe ſpiritale, & incorporeum, & impermixtum, uti in variis locis loquitur Ariſtoteles. Ex quibus omnibus confirmatur, quod de animæ immortalitate dixi. Nam ſi anima eſt immaterialis, & incorporea, profectò eſt ſpiritalis, ſi eſt ſpiritalis eſt immaterialis, ſi eſt immaterialis, eſt immortalis.

Hinc diſce tibi aſſurgendum eſſe ſuper omnia corpora, & ſuper originem terrenam, cum corpus habeas à terrâ, animam autem ab ipſo Deo, cùm ipſam in ſufflavit, & inſpiravit in corpus. Itaque ſive ad originem primam reſpicias, ſeu ad exitum, corpus tibi contemnendum, & præcipua ratio habenda animæ quæ ſpiritualis eſt, & aliquid divinum. Hinc nihil mirare quòd animam egredientem

tem non videas, & quod egreſſā, neque videas, neq; tangas: id enim fit, quod non fit corporalis aut materialis, ſed ſpiritalis & incorporea.

IV. Spectanda eſt ſumma animæ puritas naturalis & impermixtio. Id provenit ex natura ipſius: cum enim uti dixi ſpiritualis ſit, & immaterialis, nullas habet in ſe partes & ſimpliciſſima eſt. Verū licet talis ſit, etiā cum eſt in corpore, tamen cum ipſa ſit pars alicuius totius, etiamſi, quoad ſe non ſit compoſita, & ſit impermixta, nihilominus, ut pars, inquam, alicuius totius, ipſa in compoſitionem ingreditur, itaque ab illa ſumma puritate deficit, quoniam deteriori coniungitur, ſecundum illud Iob. 4. *Qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum*: unde ſequitur, quod dicitur Sapientiæ 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*: ſed poſt ſolutionem à corpore, naturali ſuæ puritati reſtituitur.

Quod ſi tunc aliquid ex præteritæ vitæ contagione in ea remanſerit, hoc illi fit intolerabile, cum neq; ſtatui præſenti ſit cōforme, neque eius naturali puritati conveniens, & propterea incredibiliter ex alieno torqueatur. Id collige ex re parva quæ contingit in vita: quis enim dolor ſi ſpina, aut aliud corpus extraneum diuidat partes corporis, præſertim maximè ſenſibiles, ut in neruo, & ſoluat unionem? Vide quomodo natura nihil alienum pati poteſt, & hinc infer qualis ſit doloris ſenſus in re maxime ſimplici, & indiviſâ. Atque idcirco in eam ignis vim habet, & ipſa ſubiicitur cruciatui ut expurgetur ab alieno, quantumvis minimum ſit. Malachiæ, 3. *Quis poterit cogitare diem adventus eius, & quis ſtabit ad videndum eum. Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans, & emundabit argentum & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Hæc quidem de minoribus impuritatibus quæ remanent ſæpe etiam iniuſtis: at de maioribus, audi Ieremiam cap. 6. *Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum*: vide ſimilitudinem: ſed addit, *Vniverſi corrupti ſunt* certe per mixtionē: audi quid ſequatur, *defecit ſufflatoriū, in igne conſumptū eſt plumbū, fruſtra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.*

V. Spectanda eſt maxima animæ ex magnâ eius puritate libertas, cum à vinculis corporis ſoluta eſt. Fuit olim in corpore ut in ſepulchro, & in foveâ; unde Græci ut aliàs diximus, corpus vocarunt σῶμα quaſi σῆμα ait Plato, hoc eſt ſepulchrum, & Nazianz. vocavit homines δισταφέας bis ſepultos, in vita nempe, & in morte: alii nominarunt corpus δέμας, eo quòd, ut ait Themiſtius, anima ſit in eo, quaſi δεδεμένη, hoc eſt, alligata: Hinc mira animæ ſervitus in corpore, cui ſervit, cum quo graditur, cum quo agit, & cum quo ſemper fuit, quod mirabili viſione imaginariâ oſtenſum legimus apud Patrem à Ponte, in tractatu 3. ductus ſpiritualis cap. 7. Sancta enim quædam anima in oratione conſiſtens, die quodam animadvertit, viſione interiori, formoſam & modeſtam puellā, candidâ veſte luculenter ornatam: ſtabat recta, tantillum ſupra humum ſublimis, ad unum è lateribus prope illam erat Maurus non nihil deformis, humi ſtratus, blando nihilominus illecebroſoque obtutu; uterque erat in compedibus longaq; catena ambos quaſi captivos tenebat: cupiebat vir, & ſtudebat efficere ut ipſū puella reſpiceret; negligebat illa primò, ſed ſolicitata vehementius, in eum tandē bis tertioq; oculos adjecit; aſpiciēdo tamē mœſtè deprimebat ſe in terrā, vir autē ſeſe erigbat ſeſe, donec tandem ipſo diu aſpecto, illa humi conſedit, ac ſtatim vir inſolenter exurgens, currenſq; licentius,

per-

pertraxit miſeram per lutum, & præcipitia, quoad attigit præcellam rupem, è quâ ſe jecit præcipitem, ut puellam ſecum perderet, ſuâque involveret ruinâ. Quo in periculo ea ſe videns, erexit animum, adhæſitque ad ſaxa, paulatim adrepens uſque ad verticem; poſt ſe attrahens illum extremæ catenæ annexum, inclamans cœlum, ac opem implorans. Crudelis ille aſcendebat & deſcendebat ſecundum catenam, uno impetu ſe disijciens, quò puellam poſt ſe pertraheret, quæ reſidebat viriliter, eumque procul ab ſe repellebat accedere volentem, Dei miſericordiam aſſiduè poſtulans. Id loci ceſſauit viſum, videnſque intellexit miſerabilem animæ ſtatum in corpore cui aligata eſt. Eam pertrahit corpus, agitque præcipitem, quando ſe immoderato ſtudio ad illud obvertit, fraudulentis eius conſiliis inflecti ſe ſinens, quæ quidem ſubitò in violentiam vertuntur: Totum ipſius remedium eſt confugere ad Deum adverſus hoſtem ita importunum, à ſe amovens repudianſque, ubi voluerit fallacibus lenociniis appropinquare, cogendo illud dedere ſe, ſuiſque mandatis ſervire, ſicut mancipium, cuius officium eſt heræ ſuæ præceptis obſequi. Sic tamen dominatrix eſt, ut illius colligationis cauſâ, ipſius ſervitutis particeps ſit: Hinc ipſius depreſſio, & diviſio in tam multas cogitationes, & ſtudia; Nam ut jam dictum eſt à Sapiente: Corpus *quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*: Hinc non mirum 1. quod ait Seneca, neminem vitam accepturum ſi daretur ſcientibus: & ſæpe miratus ſum Origenē qui dixerit animas ſeu Angelos amore corporum in ipſa deſcendiſſe; cum nullus meo quidem ſenſu, tam fœdum habitaculum, nullus tam duram ſervitutem & vincula & carcerem amare poſſit. 2. Non mirum in Sanctis mortis deſiderium, ſecundum illud Apoſtoli, Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & ad Philippens. 1. *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multò melius.* Sed nimirum ut qui naſcuntur in ſervitute & in vinculis, non agnoſcunt ſuæ ſortis miſeriam, quia ſic nati ſunt; ita quoniam anima non priùs eſſe incœpit, quàm eſſe in corpore; propterea ſuis vinculis ſuæque ſervituti aſſueta corpus amat, ſervit corpori, & res corporeas ſectatur. Verùm ſicut illi qui tandem ſuam ingenuitatem didicerunt, ſi ſe captivos videant, coactè & inviti ſerviunt; ut ille puer Lacon, qui juſſus vas ſordidum, & contumelioſum afferre, non tulit imperium, ſed ſeipſum adhortans, tàm propè libertas eſt, & patieris ſervitutem; quô dictô, parieti caput illum perrupit: Ita qui ſuorum animorum nobilitatem norunt, ſeſe ſupra corpus ſuum erigunt, & illud contemnunt, immò quotidie ſuum carcerem effringunt, & abrumpunt vincula, & libertatem ad quam nati ſunt, ambiunt & quærunt. Quòd ſi ut ait Apoſtolus, Roman. 8 *Vanitati creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit illam in ſpe, &c. Ingemiſcit & parturit uſque adhuc*, &c. *& ipſi intra nos gemimus adoptionem* Filiorum Dei *expectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus*: Si hoc, inquam eſt, ut eſſe credendum eſt; certè illô tempore ſoluta anima ſe ſe incredibiliter ſuprà corpus eriget. Si tamen naturalibus vinculi, ſoluta ſentiat ſe ſuorum peccatorum vinculis ſoluta ſentiat ſe ſuorum peccatorum vinculis teneri, nec poſſe ſuâ naturali libertate frui, ſed adhuc captivam teneri, ſecundùm illud Proverb. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ipſe morietur quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitia ſua decipietur*: ſanè grauem dolorē ſuſtinebit, quòd cum naturaliter libera eſſe deberet, ſentiat ſe captivam,

VI. Spec-

Digitized by Google

VI. Spectanda eſt maxima animæ independentia præſertim à corpore, & ab omni re corporea. Cum enim duplex ſit animæ ſtatus, unus in corpore, alter extra corpus; quum ipſa eſt in corpore, cùm ſit forma corporis, nihil fere agit ſine corpore: unde Tertull. lib. de Reſurrectione carnis cap. 15. Nunquam anima ſine carne eſt, quandiu in carne eſt, nihil non cum illa agit, ſine qua non eſt: Nam per oculos intuetur, audit per aures, olfacit per nares, tangit per manus, immò per corpus iraſcitur, amat, cupit, odit, lætatur, triſtatur, & alia facit, immò non niſi ratione corporis accipit ſuum eſſe, nam cum non accipiat eſſe niſi per creationem, non tamen creatur niſi infundendo, ſicut non infunditùr, niſi creando, ac licet habeat ſuas proprias operationes non tamen illas habet ſine corpore, nam ut iam ex Philoſopho dictum eſt, oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, ſive ſit tantum concomitantia operationum, quia ambæ potentiæ, ſcilicet intellectus & imaginatio, in eadem anima radicantur, unde ſibi in invicem ſunt adjumento, ſive ſit aliqua dependentia, quia intellectus ſuas ſpecies non producit aut recipit, niſi quandó phantaſia operatur. Sed in alio ſtatu cum anima à corpore ſoluta eſt; neque ſuo corpore indiget, neque ulla alia re corporea; verum purorum ſpirituum ſtatum, & conditionem acquirit, non putares totum eſſe animæ reſpicere corpus, itaque potuiſſe ſe abſtrahere à corpore, & ita corpori fuiſſe inſertam ut corpus regeret, & corpori dominaretur, ſicut dixit Ennodius, Animus corporis Imperator. At ſi eadem ſuæ nobilitatis oblita corpori ſe mancipavit, ſuam independentiam ſic amiſit, ut ſemper eſſe debeat ſubiecta corpori: unde ſit ut licet ratione ſuæ conditionis libera ſit à corpore, fiat tamen ſerva pœnæ, & ratione pœnæ ſerviat corpori, & à corpore patiatur, & ob eam rationem igne torqueatur. Licet igitur independens ſit à corpore omni, quo, nullo pacto indiget quando eſt ſeparata, nec ut ſit, nec ut operetur, nec ut aliquid à corpore accipiat, & per corpus illi bene ſit, aut ut poſſit operari: tamen corporis ſervitutem patitur, ita ut à re corporea torqueatur, vel ut S. Thomas docet, corpori alligetur, & intra aliquod corpus uti in carcere concludatur, extra quem exire non poſſit, in quo eſt maximum ipſius tormentum, cum cogatur non tantum duram, ſed etiam inhoneſtam ſervitutem pati; Nam uti dicitur à Sapiente cap. 5. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, &c.* Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius:* quibus verbis ſignificatur addito animæ igni æterno, quæ pœna erit illi intolerabilis, ſed plena iuſtitiæ, ut quæ corpori ſervire voluerit à corpore ipſo puniatur, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

VII. Spectanda eſt mira animæ ſolitudo & quaſi derelictio. Certe ab initio ſui eſſe, ſocium ſemper habuit corpus, cum quo, & in quo ſemper aliquid operata eſt, itaque nunquam fuit otioſa, conformiter ſuæ naturæ, quæ eſt activiſſimum agendi principium, unde à ſapientibus hominibus dicta eſt ἐντελέχεια, quam vocem Tullius 1. Tuſculanarum interpretatur continuam, & perrennem motionem. Illa autem animæ ſocietas cum corpore fuit gratiſſima, propter mirabilem utriuſque proportionem; cùm vna pars eſſet actus, & altera potentia & utraque rationem haberet ad totum: nec fuit ſine vitâ. Ad hæc, quoniam propter participationem omnium creaturarum & utriuſque extremi, hoc eſt entis corporei & ſpiritalis, factus eſt homo centrum univerſi; convenientiam habuit & familiaritatem cum omnibus creaturis, cum quibus, vel uſu, vel

vel fruitione, vel regimine, vel imperio, vel conſideratione & contemplatione, vel conſuetudine & commercio aliove quocunque modo ſe geſſit: quarum omnium rerum effectio potiſſimum ad animam pertinuit, cum ipſa eſſet vitæ, & ſenſus, & agendi principium, unde ſic ſe corpori coniunxit, ut ab eo ſeparationem omni ſemper conatu effugerit, magis eligens aliquid in eo pati, quam tale domicilium deſerere. Hinc in hominibus tantus mortis horror ac fuga, vitæque amor tantus, adeo ut delicatiſſimus homo, & voluptatis amantiſſimus Mecœnas, perpetuũ in vita cruciatum malle ſe diceret quam mortem, & de ea dixerit Seneca, etiam hoc timent qui nihil timent, & rationẽ ſubiicit huiuſmodi, cæteri timores habent aliquẽ poſt ſe locũ, mors omnia abſcindit. Verũ ubi anima è corpore exiit, incredibile dictu eſt in quanta ſolitudine verſetur, à rebus omnibus deſerta, à cœlo, & aſtris, à terra, ab Elementis, à Mixtis, à ſuo corpore, à creaturis ſenſibilibus, & illarum uſu, ab aliis hominibus, ab Angelis, ab ſpiritibus, ab aliis ſibi ſimilibus, ſibi uni derelicta, ſine comite, ſine ſocio, ſine contubernio, ſine ulla familiaritate, ſine actione, ſine motu, ſine ullâ nouâ accedente. Ita hunc ſtatum deſcribit Iobus cap. 10. *Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Terram miſeria, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*: Quæ verba potius intelligenda ſunt de ſtatu animæ poſt hanc vitam, quam de ſtatu corporis in ſepulchro, ubi nullus eſt ſenſus, & conſequenter nullus horror. Eodem ſenſu dicitur eius ſtatus eſſe oblivionis, pſalmo 46, *Oblivioni datus ſum tanquam mortuus à corde*: Item *qui habitant in ſepulchris quorum non es memor amplius*: Ita Iſaias ad Regem Tyri. *In oblivione eris ô Tyre*: Immò mortui vocantur qui non ſunt à Iobo, vt ſæpe diximus; quorũ nempe reſpectu omnia ita ſunt ac ſi nõ eſſent, ſicut ipſi ita ſunt reſpectu rerũ omnium ac ſi nõ eſſent omnino: quẽ in ſenſũ idem, c. 14. *Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus & conſumptus, ubi quæſo eſt?* Itaque Anima ſe videbit omnium viſibilium poſſeſſione priuatam, carere omni munere, ſine actione circa res omnes huius mundi, nullum facere in illis numerum, ſe ad nullam earum referri, nec ullam ad ipſam, omnia ſua nomina eſſe deperdita, Regis, ſubditi, Domini, ſervi, Patris, & Filij, uxoris, Mariti, affinis, propinqui, ſe nullius eſſe nationis, nullius gentis, nullius gradus, nullius ſtatus huius vitæ, in ſumma omnium quæ hîc ſunt carentia, videbit ſibi omnia noua, & ea quidem prius incognita; ſed nihil eorum prope ſe quæ olim habuit. Vide an ſit ulla ſimilis ſolitudo, an talis nuditas, an egeſtas æqualis.

Quæ cum ita ſint, quid eſt quod ita te rebus creatis addicis, & alligas, quaſi ab illis nunquam eſſes avellendus? Quin potius non aſſueſcis te à rebus omnibus abſtrahere, à corpore, à ſenſibus, à creaturis? Hinc diſce quàm ſapienter nos monuerint Patres ſpirituales, eo tandem animum noſtrum eſſe reducendum, ut in mundo nihil aliud præter Deum, & præter ſe vnuſquiſque cogitet: in eo veram ſolitudinem, ut quis nihil præter ſe & Deum in mente habeat, in eo veram nuditatem, & expropriationem, qualem habebit tunc anima: Lamentat. 3. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius.*

VIII. Spectanda eſt unica, & omnimoda animæ à Deo dependentia. Certè quocunq; in ſtatu fuerit anima, à Deo dependet, neque illo carere poteſt, quia illa dependentia eſt eſſentialis, itaque perpetuo indiget divinitatis influxu: ſed tamen quando eſt inſerta corpori, non ſolum à Deo, ſed etiam ab aliis, iiſque innumeris creaturis depen-

Digitized by Google

dependet, ſecundum diverſas motiones, atque impreſſiones quas recipit. At poſtquam à corpore ſoluta eſt, ab uno Deo ſic dependet, ut ab illo ſolo moveri poſſit. Etenim immediatè non poteſt moveri ab objectis externis: quia cum ſit ſpiritualis non poteſt accipere impreſſiones materiales quarũ ſolæ res materiales capaces ſunt. Nihil etiã Angeli aut alii ſpiritus, aliæ Animæ & quidquã poſſunt in ea efficere, quia illapſus in ipſam ſoli Deo convenit, neque enim ſecundum ſubſtantiam unus ſpiritus eſt altero ſpiritalior, nec conſequenter in illum ingredi poteſt. Ad hæc Angeli nihil extra ſe producere poſſunt præter motum localem, quod facile intelligimus eos facere poſſe in corporibus per applicationem, at ea in ſpiritibus facile intelligi non poteſt. Præterea cum in anima ſeparata non ſit una pars inferior, & altera ſuperior, ſed ſimpliciſſima entitas, non poteſt Angelus per partem inferiorem movere ſuperiorem, uti facit cum anima eſt in corpore. Denique id fieri non poteſt per ſpecies, cum ſpecies acceptæ in corpore rerum præteritarum, uti in ſequenti Concione dicemus, jam deletæ ſint, nec novæ poſſint ab objectis imprimi: non poſſint, inquam, quia vel ſpiritalia ſunt objecta, vel corporea, & ſenſibilia: Si ſunt corporea, poſſunt tantum movere corporalem potentiam, non autem ſpiritalem, itaque nec animam ſeparatam: Et proinde manifeſtè ſequitur, illam moveri non poſſe niſi tantum à Deo, quod quidem pertinet ad naturalem Dei providentiam, ſcilicet ut illi infundat neceſſarias ſpecies ad cognoſcendum naturaliter: Nam ut ait Scotus, alias male eſſet proviſum animæ noſtræ ſi nec ab intrinſeco eſſet in actu primo conſtituta, nec ſecundum naturalem ordinem poſſet ab aliquo agente in actu primo conſtitui ad operandum. Adde naturalem rerum ordinẽ eſſe, ut ſuperiora juvent inferiora, & præcipuè ut unaquæque res juvetur ab authore ſuo, & ab illo accipiat complementum neceſſarium: Porrò cum Deus agat in animam ſecundum eius capacitatem, & diſpoſitionem, & exigentiam, illam movet ſecundum eius meritum, & demeritum: Ex duo quo ſequuntur: 1. eſt, ut cum à ſolo Deo pendeat, velit, nolit, cogatur ſe Deo adjungere, quia illo carere non poteſt: quod quidem graviſſimum eſt animæ illi quæ ſemper in vitâ Deum fugit, & ab eo ſe abduxit vel infidelitate vel inobedientiâ, neque quidquam gravius habuit, quam aut ab eo pendere, & ei ſubijci, aut ei adhærere; Eſt, inquam, illi intolerabile, & tamen tolerandum, ut neceſſitate ſui ſtatus ab illo uno pendeat, eique perpetuo adhæreſcat, ſemperque eum ſentiat in ſe agentem, & operantẽ: ſentiet enim, hoc eſt intelliget operationis huius principium ſeu quaſi ſemen, neque eſſe à ſemetipſa, nec ab alio creato acceptum, igitur à ſuo authore hoc eſt Deo. Alterum eſt, ut cum pendeat à Deo, non ut ab agente neceſſario, ſed libero, Deus agat ſecundum eius diſpoſitionem, non Phyſicam, quia hæc in omnibus animabus æqualis eſt, ſed moralem, itaque producat in eâ, aut pœnam, aut præmium, aut felicitatem, aut miſeriam.

Vide igitur ſtatum infelicem animæ, quæ alicuius culpæ conſcia ſit: hæc enim cum per ſe nil habeat, cum ſit bonis omnibus nudata, cum ſit ab omnibus ſeparata, cum à nullâ re juvari poſſit, & nihil accipere, cum ad ſolum Deum reducta, & redacta ſit, à quô ſolô accipere aliquid poteſt & moveri, & ad actũ reduci, jam ſi illum habeat ut Iudicem, ut vindicem, ut ulciſcentem, ut torquentem, quid tandem ſperare poteſt? Tu verò quod judicium ferre debes de huiusmodi ſtatu, tu qui

Digitized by Google

mortem adeo levem & facilem exiſtimas? Quòd ſi grauem putas, tum ob hæc, tum ob alia quæ illam conſequuntur, cùr hæc omnia negligis? cur non tibi provides, ut hæc eadem tibi levius contingant? Tu cùm alios mori vides, attendis an pacatè, ac ſine dolore hinc abeant, an verò cùm magnis doloribus, & ægrè animam profundant: Hæc minima ſunt, ſed longe majora, quæ mortem conſequuntur, quæ tamen à te pendent, ſi in hâc vitâ provideris. Nam hæc vita, & quæ ſequitur, ita inter ſe comparantur, ut hæc præſens ſit meritum vel demeritum; alia verò, ſit vel præmium, vel pœna. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.* Vide quid ſemines ut ſcias quid aliquando metere debeas *Qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet*: Quid metet? vitam æternam, Amen.

* * *

FERIA SEXTA

DOMINICÆ QVARTÆ IN QVADRAGESIMA.

CONCIO QVARTA

Anima extra corpus, quoad potentias & actus ſpectata.

Veni, & Vide. Ioannis 11.

SI huic tantùm mundo nati eſſemus, parum noſtrâ referret, quid agatur in alteró, verum cum potiſſium quod ad nos ſpectat, minimè ſit id quod in hâcce vitâ ſit, ſed quod in alterâ expectamus, non eſt velle ſcire aliquid minimè ad nos pertinens, ſcrutari quod agatur in alterâ. De hâc etiam proindè Filius Dei nobis locutus eſt: ſicut in parabolâ illius qui decem millia talentorum debebat Matth, 18. item in eâ quæ eſt decem Virginum, & in divitis Epulonis hiſtoriâ. Scio quidem prohibitum nobis eſſe in cap, 3. Eccli ſcrutari, quod ſupra noſtrum captum eſt, ac penetrare velle quæ Deus nobis abdita eſſe voluit: *Altiora te ne ſcrutatus fueris*: & ratio in ipſis verbis continetur, nam nemo ad altera, & fortiora pervenıet: *Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper*: quaſi dicat, habes materiam tuæ diligentiæ, tuique conatus: *& in pluribus operibus eius ne fueris curioſus*: quod oſtendit Deum multa voluiſſe eſſe occulta, & horum inquiſitionem

Digitized by Google

ſitionem eſſe curioſitatem; ſeu cognitionem eorum eſſe prohibitam: *Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis*: quaſi dicat, rebus tantum neceſſariis vacandum eſſe, aliarum rerum ſtudium eſſe ſuperfluum: unde ſubdit: *In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus eius non eris curioſus*: atque ut ſcias inutilem eſſe conatum, ſubiungit: *Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*: ne quis exiſtimaret omnia, ſibi cognoſcenda quæ Deus nobis propoſuit, nam multa nos admirari voluit, non noſſe: Denique ſubijcijt periculum quod nobis imminet à curioſitate. *Multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum*: quibus verbis ſignificat multos deceptos, & vanos effectos quod crederent ſe intelligere, quod non comprehendebant, nec intelligere poterant. Sed ſcio etiam, hanc notitiam de ſtatu alterius vitæ plenam eſſe utilitatis, ut jam experti eſtis ex primo diſcurſu, & ex hoc poſteriori non minus futurum ſpero, præſertim cum hunc aggrediar cum eâ moderatione quam præcipit Apoſtolus Roman. 12 cum nos monet; *Non plus ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem; & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*; & talenti ſibi crediti. Vt igitur noſtro recte utamur, petamus à Deo novam gratiam, idque ope Virginis. Ave Maria.

IGNORO, Auditores, vim & facultatem ingenij eorum qui me audiunt, at ſcio Apoſtolum Paulùm agnoviſſe olim inter Chriſtianos ſui temporis ingenia quædam exilia & infirma: unde nonnulli ab eo dicuntur, Hebr. 5. *Imbecilles ad audiendum*: & 1. Cor. 3. *Parvuli in Chriſto*, qui lacte ſolo alendi: *lac vobis potum dedi non eſcam: nondum enim poteratis*: alij carnales, ſenſibuſque addicti: 1. Cor. 2. *animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus* Dei, & cap. 3. *non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Chriſto*: Contrà verò novit alios, planè ſpirituales, capaceſque ſolidi cibi, perfectos, & ad quos non dubitabat de rebus ſublimioribus, magis difficilibus, ſpiritalibus, perfectiſque ſermonem habere. 1. Cor. 2 *ſpiritualibus ſpiritualia comparantes*, id eſt ſpiritualibus viris ſpiritualia adaptantes, ſeu, illis tanquam apta tradentes: & ſuprà: *Sapientiam loquimur inter perfectos*; & cap. 14. *Si quis videtur Propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis*: Et Hebr. 5. *Perfectorum eſt ſolidus cibus*. Ego quidem eiuſmodi hodie auditores requirerem, cum mihi ſermo eſſe debeat de re prorſus ſpiritali, nempe de animâ ſeparata, ad quam rem intelligendam oportet animum à ſenſibus abſtrahere, & nihil corporeum nobis proponere. Ego quidem præcipuè eiuſmodi homines alloquor, ut ſibi & aliis intelligant: quod ſi ſint aliqui harum rerum minus capaces dicam illis, *Vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite* ad Galat. 6. Sed ut hodiernum diſcurſum cum præcedenti connectamus.

Nota in Animâ rationali præter ipſam quæ ſubſtantialis eſt & pars compoſiti, quod eſt homo, ſpectari poſſe 1. Potentias animæ, ut intellectum & voluntatem. 2. Eiuſdem actiones, & intra ſe & extra ſe. 3. Habitus vel infuſos, vel acquiſitos: 4. Species rerum ab objectis collectas. Hoc poſito.

Dico 1. In animâ ſeparatâ manere ex potentiis quas habebat in hac vitâ, intellectum & voluntatem, fortaſſe potentiam motricem, alias omnes extinctas eſſe.

1. Pars probatur de animæ potentiis: quia certum eſt illas eſſe ſpiritales, & in animæ natura eſſe, non autem in aliquo organo corporeo: cum earum actiones ſint independentes à materia, ut patet ex earum obiectis univerſalibus quæ ſunt ſpiritualia.

2. Pars probatur, de potentia motrice, ſcilicet ipſam probabiliter in anima remanere, ut eamqua poſſit mutare ſuam præſentiam localem. Probatur inquam. Quia potuit corpori hanc facultatem imprimere igitur illam habet in ſe: Hinc fit, ut cum in exitu norit ad quid deſtinata ſit, eo ipſa pergat. Sed qua alterius voluntati addicta eſt, non manet libera ut poſſit commigrare quo velit, ſecundum illud, *Ligatis manibus & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores*; qua voce ſignificatur carcer tenebroſus qui erat extrà urbem Hieroſolymitanam, & ex conſequenti, quilibet alius in quo quiuis captivus detinetur.

3. Pars probatur. Quia aliæ potentiæ cum ſint materiales & corporeæ unà cum ſuo ſubiecto deſtruuntur, ut viſus, auditus, olfactus guſtus, & tactus: ad hæc vis imaginativa, phantaſia, ſenſus communis uterque appeditus inferior, concupiſcibilis & iraſcibilis, & ſi quæ ſunt aliæ potentiæ corporeæ. Ratio eſt, Quia cum ſint dependentes à ſubiecto corporeo, illo deſtructo eas perire neceſſe eſt una cum corpore. Et vel hinc patet, quia in ſenectute, organis paulatim corruptis, illæ etiam paulatim minuuntur, uti docet quotidiana experientia *Quando tenebreſcent videntes per foramina* &c. *& obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, &c. cap. 12. Eccleſiaſt.

Dico II. In anima ſeparata, ex natura ſua manere habitus Intellectus & Voluntatis quos in hac vita acquiſierat, ſed præſertim Voluntatis. Ratio eſt. Quia habitus intellectus & voluntatis ſunt ſpiritales cum ſint in ſubjecto ſpiritali, nec pendeant ullo modo à corpore: non quidem ut à cauſa materiali, quia ſunt ſpiritales, neque ut à cauſa efficiente, utpote inferioris ordinis, nec poteſt fingi alius modus dependentiæ, ſi ergo non pendet à corpore, manebunt planè in anima ſeparata, vt pote ſpiritali

Dixi autem I. ex natura ſua: quia cum anima ſeparata in hoc rerum ordine non maneat in puris naturalibus, ſed vel præmio vel pœna afficiatur, de facto non manent in illâ multa quæ acquiſivit, ſed ea tantum quæ convenire poſſunt ſtatui præſenti vel pœnæ, vel præmij. Et ita in anima beata nõ manent imperfecti habitus, quia nõ decent illum ſtatũ, & propterea pereunt in ea habitus vitiorum habitꝰ imperfecti etiã ſupernaturales vt fides ſpes, pœnitentia, & alii dicunq; ſi obſcuri: quia cum in illo ſtatu non debeant elici actus imperfecti, ſuperfluè eorum habitus retinerentur. Damnatæ verò animæ nihil ſupernaturale retinent, nec quidem bonos habitus morales naturales, quibus in pœnam ſpoliantur.

Dixi II. præcipuè Voluntatis. Quia habitus Intellectus producti ab actibus qui pendent à ſpeciebus acceptis, cùm amplius non proſint, fortaſſè non manebunt ne ſint inutiles. Tales ſunt omnes habitus ſcientiarum & artium, uti patebit ex dicendis, cum agemus de ſpeciebus acceptis.

Dico III. Nullos habitus qui fuerunt in parte inferiori, remanere in anima ſeparata. Probatur. Quia, ut ait Ariſtoteles, corruptis nobis, corrumpuntur quæ ſunt in nobis, ſed cum anima abit ex corpore, corrumpuntur potentiæ ſenſitivæ, igitur & omnes illarum habitus: Itaque ſi ſunt aliquæ virtutes, in appetitu inferiori reſidentes, illæ omnes pereunt.

Dico IV. Animæ ſeparatæ nullam actionem circa corpora, & nullam à corporibus paſſionem convenire poſſe. De paſſione quidem, probatur, Quia cum ſit ſpiritalis, nihil pati poteſt à corporibus, niſi ſupernaturaliter id fiat, qua ratione animæ pati poſſunt ab igne. De actione autem probatur; Quia cum ſit pars compoſiti nullam actionem

nem

nem poteſt exercere circa corpus niſi ſit in illo, cum ex ſua natura ſit forma corporis, non poteſt foras exire niſi inſtrumento corporeo, quod ut faciat, oportet ut illud informet, & hoc non facit ſeparata.

Dico V. Quoad ea quæ pertinent ad potentiam intellectivam, 1. Id fieri in ea quod dicitur Pſalmo 145. uti præclarè explicat Sanctus Dorotheus Doct. 12. ſcilicet, in die ſeparationis perire omnes cogitationes eius: quod ideo fit, quia omnes huius vitæ ſpecies obliterantur tanquam inutiles, ut quæ non agunt niſi coniunctæ cum phantaſmatis, à quibus uti dependent cum fiunt, ita dependent cum operantur: nam ſpecies quæ ſunt in intellectu, cum imitentur eas quæ ſunt in imaginatione, ſaltem eæ quæ efficiunt primas apprehenſiones, ſine quibus non fiunt neque judicia, neque diſcurſus, oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari ut ſæpius dictum eſt, ſeu ad ea ſe convertere: quod fit non tantũ propter concomitantiã operationum, ratione potentiarum quæ radicantur in eadem anima, ſed etiam propter ſubordinationem ſpecierum, & dependentiam illarum: nam ſicut ſpecies ab obiectis, ſunt cauſæ ſpecierum in phantaſia ſaltem obiectiuè, ita ſpecies phantaſiæ ſunt cauſæ ſpecierum intellectualium etiam obiectivè, alioqui illis corruptis non ſequeretur in intellectu vel oblivio, vel delirium, vel inſania, vel ceſſatio intelligendi, contra quam experimur: cum itaque in morte pereant omnes ſpecies phantaſiæ inutiles fiunt omnes ſpecies ab illis profectæ in intellectu, quia iſtæ ſine illis non moventur, itaque tolluntur omnes: & proinde *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*: quod interpretans Dorotheus, cogitationes dicit huius ſæculi: veluti ædificationis agrorum, parentum, filiorum, & omnis commercii: hæc enim omnia, ſimulatq; anima egreſſa eſt, pereunt, itaque nullius horum perit. Fundamentum huius rei eſt ſtatus diverſus in corpore, & extra corpus: quare ſicut quæ ſunt corporis, illa omnia præterierunt, ita quæ ſunt animi, intra priorem ſtatum. Proinde peribunt illæ ſcientiæ quas tantopere amaſti, tot curæ, tot meditationes & ſtudia, cum enim Deus det animæ ſeparatæ alias ſpecies eiuſmodi ſtatui convenientes, nullas amplius habet quæ ad ſtatum in quo ſumus pertineant. Et conſequenti perit quidquid fuit in tempore, & ſolum morale permanet propter meritum & demeritum, & quia ille ſtatus eſt pœnæ vel præmij.

2. Hinc ſequitur ingens animæ ſtupor propter novitatẽ ſtatus, mutationem rerum omnium, & modi agendi: Non enim utitur tunc ſenſibus, non phantaſiâ, non ſpeciebus hîc collectis, ſed iis quas Deus de novo immittit. Non jam aſtra intuetur, non Solem, non Cœlum, non Terram, non elementa, non res omnes, quibus convixerat, quibus inoleverat ab initio, ſed omnia alia, & aliò modô, alii ratione. Inde ſubit animum ingens novitatis admiratio in illa rerum ſolitudine, in illò tenebrarum horrore, & in formidabili ignitorum Spirituum conſuetudine, quos cum non videat, videt; percipitque præſentes, cum non audit; cum non ſentiat, ſentit. Deo, ut ſuæ juſtitiæ miniſtris dante vires ad agendum ſupra naturam. Quod ſi Rex Balthaſar in medio convivio ſtipatus à ſuis, in magnâ domeſticorum, & cuſtodum frequentiâ, cum ad parietem extenſam in aëre manum vidiſſet, ſcribentem ignotam Scripturam, ſic conturbatus, eſt, ut dicatur Daniel. 5. *Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages*

pages renum eius ſolvebantur, & genua eius adſe invicem collidebantur. Exclamavit itaque Rex fortiter. Quid putas animæ in ingreſſu in alteram vitam ab egreſſu à corpore, in tanta rerum mutatione contingere.

3. Oritur in Intellectu diverſitas judicij quod induit anima de ſuis rebus, de vita præterita, de bonis æternis, de hominum judiciis, de rebus, de omnibus creatis, de altera vita, æternitate, de ipſo Deo, longè aliter quam cum eſſet in corpore. Tunc enim omnes ſuos errores corrigit, ac res omnes videt ut in ſe ſunt. Quam vana eſſe deprehendit, & nullius momenti, quæ tanti ducebat in vita, famam, honorem; dominationem, opes gloriam, pulchritudinem, voluptatem, delicias, amores, ſcientias, regna, ſceptra, & quidquid homines admirantur; Quanti ea ducit quæ negligebat, paupertatem, jejunium, auſteritates, humilitatem, cruces, paſſionem, virtutes! Quam aliter de Deo ſentit, & eius judiciis, de Paradiſo, de inferorum pœnis, eorumque duratione interminabili! Nabuchodonoſor olim turbata imaginatione, cum ſe bovem putaret, herbas comedebat, ut teſtatur Scriptura. *Fœnum ſicut bos comedes, & cum feris habitatio tua.* Vide qualem ſe geſſerit ſeptem annis. Sed ſibi redditus, ſuum illud factum exhorruit. Quibus per præſtigias oculi faſcinantur, innumera videre ſe putant, quæ non vident: ſed quando ſublatum eſt faſcinum, errorem ſuum deprehendunt, & falſitatem. Fuerunt qui crederent ſe in menſa ſediſſe, atque lautiſſime epulatos; qui poſtea ſublato faſcino ſe deceptos cognoverunt. Eodem modo quandiu anima in corpore reſidet, rerum fictio ipſam decipit, ſecundum illud Sap. 4. *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona*; id eſt pervertit iudicium, ut bona pudet, quæ non ſunt: non putet autem quæ ſunt, *Et inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit.* (Id eſt, ſuſque deque evertit) *ſenſum ſine malitia*: Sed relicto corpore, unde omnis faſcinatio; cum anima, res uti in ſe ſunt intuetur, tum obſtupeſcit ſe fuiſſe deceptam, eoremque ſuum agnoſcit. Certè quis iſtud non admiretur, quod homines in rerum omnium luce non videant, quod poſtea videre incipiunt, uti oportet videre, quando lux vitæ eſt extincta.

4. Naſcitur in intellectu tam vehemens applicatio ſeu fixa adhæſio ad quædam objecta, ut ſemper in iiſdem verſetur uti dicitur apud Danielem cap. 12. *Vt videant ſemper.* Equidem in hac vita cogitationes, ſibi perpetuo ſuccedunt; unde in varia abit animus; hinc oritur illa, de qua Sapiens loquitur, inconſtantia concupiſcentiæ ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας, circum rotatio ſicut fundæ, quæ dicitur, ῥόμβος perpetua quædam ac velut in gyrum mutatio, rotatio, circuitio, & quaſi turbo concupiſcentiæ, dum ex una in aliam tranſitur: Sed in altera vita, illa agitatio mentis ceſſabit, & in uno mens defigetur, quæ illud cogitare cogetur quod nolet: quæ agendi diverſa ratio in intellectu, incredibile dictu eſt, quam gravis futura ſit animæ, dum non habebit ſuarum cogitationum libertatem; Miſera Ixionis imitatrix eiuſdem commentationis rotam ſemper circumagens. In hac vita ſanè non exiguum eſt illud curarum levamentum, quod varietate cogitationum mens aliò divertatur, ut & judiciorum mutatione, quæ vel de perſonis, vel de rebus ferre ſolet. Sed in altera vita non ita ſe res habet, cum illic uni ſolum cogitationi, eidemque uni tantum de quaque re judicio mens in perpetuum affixa ſit *Vt videant ſemper.*

5. Cum intellectus ſequatur ſtatum animæ, hæc autem poſt mortem ſit extra corpus, ita ille operatur independenter à corpore; & proinde eodem planè modo agit

qua

Digitized by Google

quo ſolent agere Spiritus ſeu angeli. In hoc autem differt ſpiritus à corpore, quod cum corpus habeat rationem materiæ ſeu potentiæ paſſivæ, ſemper recipiat), & ab extrinſeco unde ſenſus moventur ab obiectis externis, à quibus accipiunt ſpecies impreſſas, & deinde à ſeipſis per ſpecies expreſſas, & ideo dicit Ariſtoteles, ſentire eſſe quoddam pati: hinc oculus ſeipſum non videt, nec enim eſt in ſeipſum reflectivus, quia ſeipſum movere non poteſt per ſpeciem impreſſam: quòd ſi videt in ſpeculo, non tàm à ſe movetur quàm à ſpeculo ſed immediatè & rectè ſeipſum movere non poteſt, quia ſpeciem non in ſe, ſed à ſe, directè emittit: Intellectus autem Ita reſpectu aliorum obiectorum eſt potentiâ, quia poſſibilis eſt fieri omnia per repræſentationem, ut reſpectu ſui ſit quidam actus: Ipſe enim ſe movet; Nam eſſe poteſtate non poteſt, quod actu: cum autem unaquæq; res id ſit prius quod actu eſt, quam quod eſt potentia, hinc fit ut primum obiectum ſpiritus ſit ipſe ſibi, unde quilibet eſt menſura totius ſuæ intellectionis, quia rationabile eſt, ut virtus intellectiva adæquetur perfectioni ipſius animæ; ſic enim Deus ſe comprehendit quia intellectus divinus ædequatur ſuæ eſſentiæ infinitæ: hinc etiam fit, ut quod primum Deus intelligit, ſit ipſe: ita quod primum Angelus intelligit, ipſe eſt; unde eſt menſurâ ſuæ intellectionis: immò ut aliqui docent, non poteſt à ſui cogitatione ceſſare, quia ſibi ſemper præſens eſt, & ſibi eſt ſui ſpecies, itaque alia non indiget, quia ſpiritalis eſt, & conſequenter per ſe intelligibilibus; & proinde ſeipſum ignotare non poteſt. Quare cum anima ſeparata eundem habeat modum intelligendi, quem habeat Angelus, cum quo tunc convenit in ſtatu; ipſa ſe ſemper intuetur ac videt, quia ſibi ipſa eſt intimè præſens: & ſi hoc deeſſet, certè Deus ipſi immitteret ſpeciem infuſam quâ ſe ipſam, primum omnium objectorum, cognoſceret; nam ad hoc primùm inclinationem habet; Quod ſi vitijs deturpata ſit atque fœdata, tunc maximè patitur à ſui cognitione: Sed velit, nolit, cogitur ſemper ſeipſam intueri, & exhoreſcere, ſecundùm illud quod diximus *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Theren. 3. quæ eſt graviſſima eius pœna, ut ait Bernardus lib. 3. de Conſiderat. cap. 12. his verbis: Non eſt aſpectus, ſive in cœlo, ſive in terrâ, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit: Non latent tenebræ vel ſeipſas, ſe vident, quæ aliud non vident; opera tenebrarum ſequuntur illas: non eſt quò ſe abſcondant ab illis ne in tenebris quidem. Hæc ille: Et nos hactenus de intellectu: ſequitur ut agamus de voluntate in eo ſtatu.

VI. loco: quâ in re 1. tunc fiet in eâ tanta mutatio, ut aliô modô ſit progreſſura, quàm facere ſoleret in hâc vitâ: cùm enim duplex ſit inſtinctus in nobis, 1. naturalis ſeu innatus; alter addititius, & quaſi ſecundarius, & extraneus, ſeu impreſſus; primus eſt à Deo inuſtus; alter ab objectis excitatus. Dùm autem in hâc vitâ ſummus pauci ſequuntur innatum, propter obſcuram ſui finis & principalis obiecti cognitionem. ſed à variis obiectis, quæ per ſenſus animum feriunt, ſeſe abripi ſinunt. Verùm cùm anima eſt exuta corpore, ac periit illa obiectorum externorum titillatio, euaneſcit ille rerum creatarum amor, eiuſque loco exſuſcitat ſe naturale pondus, atque inclinatio vehementiſſima, & incitatiſſima in Deum, ut in ſuum finem; quæ ſublato corporis impedimento, tantâ vi animam rapit, ut non poſſit retineri, quin ſeſe illi uniat, ſine forti quâdam reſiſtentiâ & proinde afflictione, & graviſſimâ moleſtia, in quam de facto incurrit; quando ob mortalis vitæ imperfectiones ab illâ

vnione impditur. Quod ſi illa impedimenta æterna eſſe ſenſerit, acerrimo dolore ſeſe cruciat, fitque tota quaſi contracta, quia ferè in rerum omnium creaturarum, & ſui ipſius odium mutatur, contra quàm ipſi ſolet in hac vita contingere, ubi ferè plus amat, quam odit, immò nihil odit, niſi quia amat: ſed tunc eius ferè unicus actus eſt odium, & ferè nihil amat quidpiam, niſi quia oderit, odium autem acerbum eſt, pœnam habet, quia amaritudinem invehit: nec mirum, quia eſt contra inclinationem, & ſemper invenit contrarium, quod averſatur, & fugit.

2. Maxima ex parte tollitur in eâ libertas: Cum enim prima libertatis origio ſit in intellectu, propter eius indeterminationē; & aliunde, in altera vita intellectus ferè determinetur ad paucas cogitationes, præſertim circa quædam objecta, ſublata in eo indifferentia tollitur penè libertas in voluntate: at omninò tolitur circa quædam obiecta quæ juvare poſſent, & illud impletur quod dicitur apud Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores.*

3. Maxima etiam ex parte perit eius dominium in potentias inferiores: quia quædam extinctæ ſunt, ut ſenſus interni, & externi, qui tantum in corpore reperiuntur, aliæ verò non obediunt, quia ſuperiori agenti ſubditæ ſunt à quo ad agendum determinantur, immò Deus in ipſis quoſdam actus operatur. Itaque ipſa voluntas trahitur quò non vult, nec amplius ſuarum actionum eſt domina, & arbitra: nam ſtatus eſt mutatus & amittit modum agendi mutabilem: ô magnum in voluntate damnati doloris incrementum! In hac vita ſemper eſt ambulatoria, ſed in altera, propter ipſius in uno objecto determinatioem, ſiſtitur.

4. In qua quiſque voluntate, plenè non retractata moritur, in eâ permanet; ſecundū illud Eccleſiaſticis 11. *Si ceciderit lignū ad auſtrū aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Et enim ſtatus omnino invariabilis, & immutabilis, quia eſt ſtatus alterius vitæ, quæ hominē ponit in termino. Et quoniam in vita omnes ferè voluntates deordinatæ fuerunt; illæ omnes, ut quæ habuerunt rationem criminis ac demeriti, habent poſt vitam rationem pœnæ, atque ſupplcij, cruciantque plurimum. Ad voluntatem igitur, quæ potentia eſt, redeunt omnes voluntates quæ actus ſunt in quibus, quia innumeræ ſunt inter ſe contrariæ, propterea ab illis voluntas, & anima in varia diſcerpuntur. Porrò in ijs voluntatibus quàm multæ ſunt indecentes & indignæ, atque illæ voluntatem affligant: quā multæ inutiles & vanæ, & illæ amaritudine replent: quā multæ ſun iniuſtæ, atq; illæ contriſtant, nihilq; niſi mœrorem relinquunt: *laſſati ſumus in via iniquitatis*: quàm multæ obſcœnæ & turpes, & illæ ingenti pudore afficiunt: quàm multæ crudeles, & illæ condemnant: quàm multæ contra Deum, & illæ diſturbant atque deiiciunt. Poſt illas turmatim innumeræ ſeſe offerunt, quæ ad ſtatum præſentem pertinent, qui eſt ſtatus æternitatis, & illæ mirabiliter, & ſupra quàm credi poteſt, diſcruciant, ac torquent, eò uſque ut anima non niſi ſupplicio ſe deſtinet, ex vtroque, ſtatu miſera, ex præſente, & ex præterito: præteritum reponit memoria, ſecundum illud Bernardi: hic eſt vermis qui non moritur, memoria præteritorum: præſentem autem ſtatum extendit in omnem æternitatem, propter immutabilitatem, & ſuam, & ſui ſtatus. Mitto pleraque alia ad volutatem pertinentia, cum dicta ſufficiant.

Supereſt VII. ut pauca de Paſſionibus dicamus: Sed ne ſit æquivocatio.

Nota 1. Paſſionis propriè dictas eſſe in duplici appetitu hominis, inferiori & ſupe-

Digitized by Google

riori. Probatur ex earum actibus, amore odio, lætitia, triſtitia, ſpe, metu, & aliis, quæ paſſiones ſecundum varia obiecta ſunt in alterutro appetitu, vel etiam in utroque, licet communiter paſſionum nomine intelligantur paſſiones appetitus inferioris quia præter actionem huius appetitus fit quædam corporis mutatio, & alteratio, unde ortum nomen paſſionis, cum tamen certum ſit dari eiuſdem nominis & denominationis actus in parte ſuperiori, licet ſæpe oriantur etiam per ſympathiam ſimiles actus in corpore, & conſequenter immutationes in eo, ſecundum illud Davidis, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Nota 2. Cum paſſiones ſint in appetitu, & duplex ſit in homine appetitus, unus rationalis, ſeu ſuperior, & alter ſenſitivus, ſeu inferior, & locus ſeu ſubiectum ſuperioris ſit anima, inferioris autem cor, inſuper cum in morte pereant facultates corporæ, maneant incorporæ, ſequitur in anima ſeparata non manere paſſiones appetitus inferioris, ſed manere eas quæ ſunt ſuperioris, verum ſecundum ſtatum cuiuſque, qui certè pendet à morali, cum ſi ſtatus pœnæ præmii. quia iam non eſt ſpectanda anima ſecundum ens morale, quod cauſa eſt multorum quæ fiunt in homine ſecundum diverſitatem meritorum.

Nota 3. Quod quemadmodum tempore tempeſtatis, exortæ in mari, non flant niſi venti contrarii, & turbulenti, & fluctus ingentes excitamur, & mare uſque deque evertitur: ita eo tempore quo anima ſeparata eſt à corpore inſurgunt moleſtiſſimæ paſſionum omnium commotiones, anima in ſeipſam reducta. Quod apprimè expreſſiſſe Dorotheum doctrin. 12. nuper ſatis amplè dicebamus. Hoc unum ne longius hic ſermo protrahatur addimus, ut id ex propria experientia quiſque coniectura aſſequatur Tu aliquando cupiditatem hic ſenſiſti; infer inde quanta tunc erit, quam ardens, quam præceps, quam inquieta. Senſiſti aliquando aculeos doloris, tunc demúm ſcies, quid ſit dolor, quid deſperatio. Sanè poſſem dicere te ad hoc uſque tempus ignoraſſe quid ſit ira, & quid ſit animi impatientia, quantumvis illis commotionibus agiteris. Quid dicam de Timore, qui gravior erit quolibet tormento? Sap. 4. *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates eorum*, cum gogitationem dicit intelligis συλλογισμὸν ratiocinationem, & ſupputationem: cum dicit *traducent*, vult dicere convincent & coarguent ex adverſo, ſtante in oppoſitum, & accuſante conſcientia. Et apud Iob. cap. 15. *Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum ſicut Regem qui praparatur ad pralium.* Denique omnes paſſiones inſurgent, quando, ut ait idem cap. 21. *lucerna impiorum extinguetur*, ſcilicet in morte, & ubi lux vitæ peſecerit.

Has cogitationes mihi ſuppeditavit apertum Lazari ſepulchrum; Veniſti & vidiſti mî Auditor. *Tollitem lapidem* dicebat Chriſtus. Addo, non tantum ſepulchri, ſed multò magis cordium. Tu tolle cordis tui duritiem, ac reſponde petenti. Quid tibi videtur de futuro ſtatu animæ tuæ? An id unquam cogitaſti, vel non? Si non cogitaſti, unde illud provenit? An quia non credis immortalem animam? Sed unde non credis? Quia, inquis, nemo unquam rediit. Lazarus poſt ſepulturam quatuor dierum exſuſſitatus, idque coram innumeris teſtibus, qui & miraculo adfuerunt, & exſuſcitatum viderunt, manducantem & diu ſibi ſuperſtitem? Sed Chriſtus rediit poſt trium dierum ſepulturam, probatâ

Digitized by Google

tot teſtibus eius morte, & pluribus etiam eius reſurrectione? Quin & innumeri alii variis ſæculis à mortuis redidêre? At, inquis, ego non vidi. Igitur nihil credis, niſi quod tu ipſe vidiſti? Sed quàm multa ſunt, quæ credis, nec vidiſti, in hominibus; in urbibus, in actionibus, & aliis innumeris? At iterum cur non credis? Quia, inquis, non placet, neque id certum eſt. Sed fortaſſe ita eſt? Reponis, Et fortaſſe non ita eſt, quia hinc inde rationes afferuntur. Hic te expecto. Mitto dicere ſapienti homini hoc eſſe evidens, & homini Chriſtiano id eſſe indubitatũ, cum ſit de fide, animam hominis non perire cum corpore. Sed fingamus dubium eſſe. Si ita eſt, hoc ſaltem habeo, id fortaſſe verum eſſe. Certè ſi de ſola opinione ageretur, in eo quod eſſet dubium, tibi liberum foret credere, aut non credere; ſed cum non agatur de ſola opinione, ſed de ſibi conſulendo in re maximi momenti, hoc à te poſtulo; An non ad hominis prudentiam pertineat, illam partem potius ſequi, in qua nullum eſt periculum, & nullum damnum, quam alteri ſe committere, ubi, agitur de ſumma rerum? An non ille miſer eſt ſponte qui ſic vivit? Sed quid paſſus ſum, ut vel ex ſuppoſitione, in re tam gravi, tam certa, & tam evidente dubitares, cum omnia undique habeamus teſtimonia, & argumenta, rationis, fidei, experientiæ; & innumera nobis certa ſint, quæ neceſſariò hanc veritatem inferunt? Quòd ſi aliquandò cogitaſti, quid propterea feciſti? Quid ſtatuiſti in eam rem: Quod tibi remedium, quod ſolatium, quod adiumentum tibi comparaſti? In aliis rebus tam es providus: Cur non in iſtis quæ non ſunt alicuius temporis, ſed æternitatis; quæ non ſunt dubia, ſed certa; quæ non partem continent tuæ ſortis, ſed illam totam quanta eſt?

At dicis te de iſtis cogitaſſe Sed quoties? quam altè & quàm profunde? Quàm multi ob eiuſmodi cogitationes rebus omnibus valedixerunt? Quàm multi in ſolitudines ſe abdiderunt, ut hæc ſemper cogitarent, ut illa prævenire poſſent? Hæc eſt vera illa Chriſtiana ſapientia, quam veteres definierunt, Mortis meditationem. Eò enim mors perducit; mors quippe tranſitus eſt, ſed nemo tranſitum ſatis intelligit, qui neſcit in quid ſit tranſitus. Hæ ſunt illæ cogitationes de quibus Iobus cap. 17. *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.* In his ſe perpetuò infixum fuiſſe ſcribit Nazianzenus, & ita infixum, ut venas eius ſanguine, & carnem ſucco privarent. Hæ ſunt cogitationes Davidis Pſalm. 76. *annos æternos in mente habui.* Has cogitationes ſuis optavit Moſes in Cantico: *Vtinam ſaperent & intelligerent ac noviſſima providerent!* Vtinam ita eo ſit, mi Auditor, tua ſapientia, tua intelligentia, tua providentia! Omnis alia vana eſt, & ſupervacanea; omnis alia intra tempus côcluditur, hæc reſpicit æternitatem: quam felicem nobis donet Ieſus Chriſtus Filius Dei qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

* * *

DOMI-

DOMINICA PASSIONIS
CONCIO PRIMA.
CUR VERITATI RESISTITUR.
I. Cauſa ex parte hominis; Iudicij corruptio.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi? Iohan. 8.

IAM ad tempus illud pervenimus quod, Apoſtolu vocat, 2. Cor. 6. *tempus acceptabile, & dies ſalutis*, nempe ad tempus Paſſionis,&quaſi ultimam diſpoſitionem ad Feſtum Paſchæ. Cùmque hactenus Eccleſia uſa ſit verbo Dei, cuius tanta eſt vis, ut auditũ ſit non à ſurdis modo, ſed etiam à mortuis, (*& qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei*) immò à creaturis inſenſibilibus, (de quibus Pſal: 28. *Vox Domini ſuper aquas Deus ſeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.*) Et tamẽ eadem Eccleſia videat non ſatis à filiis eſſe reſponſum; Id quod habet ſummum, Crucis vexillum attollit. Quis dicat qualem motum in omnibus excitabit in die judicii illa oſtenſio Crucis? *Tunc patebit ſignum Filii hominis in cælo. Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Sed neſcio num modo duriores non ſimus,quàm tunc ſummus futuri. Certe huius ſucceſſus cauſam reddit Chriſtum in hodierno Evangelio:quam exponemus,ubi primrm Deiparum Virgnem de more ſalutaverimus, AVE MARIA.

CERTUM eſt prædicationis officium & munus inducere poſt ſe ac exigere multum operæ & laboris, numeroſamque ſolicitudinum & tædiorum copiam. Nam ut nulla habeatur ratio: 1. difficultatis eloqentiæ, quam præſtantiſſima Antiquitatis ingenia exſtimarunt tantam eſſe, ut eius perfectionem ad paucos admodum pertinere cenſuerint, ita ut cum multi ſingulis ætatibus præclariſſimi extiterint Imperatores, multi graves Iuriſconſulti,præſtantiſſimi Artifices.vix tamen multæ ætates unum tolerabilem viderint Oratorem: 2. Vt taceam difficultatem apparatus, qui ad hoc munus eſt neceſſarius, qualis eſt diverſiſſimarũ rerum, earumque difficillimarum cognitio, qua de re multa Nazianzenus in Apolegitico: 3 Vt nihil dicam de perpetua animi & corporis contentione in ea anni parte quæ difficillima eſt: 4. Vt taceam de iniquitate judicii Audirorum,& diverſa capacitate,& diverſiſſima animorũ diſpoſitione, ac intentioni ſæpe contraria,& rariſſimè favente, & benevola: Denique, ut prætercam, quod multos valde torquet, certum famæ amittendæ periculum, quæ exponitur omnibus, hoc eſt, etiam invidis, & inimicis, & ignaris: nam cum aliarum artium iudicium vulgo ad artifices referatur, huius difficillimæ

Digitized by Google

artis judicium, auribus plebis ignaræ committitur, ita ut cogaris in turba quemlibet vereri, quem extra turbam contemneres: Vt, inquam, hæc omnia & alia plura prætercam;

Quantus labor nobis ſubeundus eſt 1. cum vitiis & hominibus vitioſis, cum quibus nobis grave certamen eſt? Ita enim hanc reſiſtentiam ſignificavit Deus apud Ieremiam cap. 1. *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & in collumnam ferream, & in murum areum, ſuper omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt adverſum te*, &c. Quòd ſi unicuiuſque pugna adverſus vitia ſua eſt maximè difficilis; quantum opus eſt unum hominem unius civitatis vitia aggredi, atque oppugnare? neque enim ignoramus nobis rem eſſe & cum principibus huius aëris, & cum hominibus iniquiſſimis ac peſſimis, & cum vitiis uniuſcuiuſq; quæ omnia adverſum nos dimicant. Quod ſi Apoſtolus exiſtimavit quorũ hæreticorũ reſiſtentiã ſibi eſſe intollerabilem, ita ut Dominum ter rogarit ut ea tentatio diſcederes à ſe; quis mirari debet, ſi dicam peccatorum hominum reſiſtentiam rem eſſe difficultatis pleniſſimam? Quantam putas nos illam naciſci, dum expugnanda ſunt odia inveterata; dùm aggredimur extinguere carnis incendia, & infandas libidines debellare? Hinc odia multorum nobis ſubeunda, contemptus, detractiones, minæ, & quod aliquibus etiam contingit, quibus plagas recipere & mortem ſubire neceſſe fuit.

2. Quantum laboris & doloris nobis affert zelus, quem ait Chriſtus Dominus interiora exedere atque incendere? Quàm ſæpe cogit nos, nunc iraſci, nunc uri atque ardere, nunc infirmari, ac deicij, nunc flere ac miſereri? *Quis infirmatur, & ego non infirmor: quis ſcandalizatur, & ego non uror*: Quos quidem labores, atque dolores exprimit Scriptura per mulieris parturientis dolores, Apocalyp. 12. *Et in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.* Vt autem intelligas difficultatem partus, cogita multitudinem liberorum, juxta illud Iſa. 66. *Quis audivit unquam tale: & quis vidit huic ſimile? nunquid parturiet terra in die una: aut parietur gens ſimul: quia parturivit & peperit Sion filios ſuos*: nec alio ſenſu dixit Paulus ad Galat. 4. *Filios quos iterum parturio*: quâ loquendi formulâ exprimuntur curæ, anxietates, corporis, atque animi afflictationes pro animarum ſalute procuranda dolor item de hominum ſceleribus in Deum patratis, ac zelus qui ita exedit conſumitque juxta illud Pſalm. 68. *Zelus domus tuæ commedit me*; ad hæc, laborum, atque ærumnarum invicta tolerantia, pro obſequio in proximos ſtrenuè impendendo. Quin immò ſi opus ſit, debent viri Apoſtolici in tanti operis progreſſione vitam prodigere, ut Rachel ex Beniamini partu interiit: Et ita S. Dunſtanus, de quo Surius 19. Maij, invitatus ad cœlum, inducias à Deo petiit, & impetravit, donec populum verbo refeciſſet; quod in eò opere glorioſum putaret vitam finire, atque animam effundere.

Nihilominus tamen nulla major pœna, nullus gravior labor, & dolor, quam quòd ferè inutiles ſint labores noſtri, ac pauci ad modum, aut ferè nulli ex Concionibus proficiant. Vos enim teſtor, Auditores, quæ mutatio ſit facta in vobis ex Concionibus, quis fructus poſt tot labores, poſt tot ſtudia: Etenim cum Iſaiã, & cum Apoſtolis conqueri poſſumus, *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt*: Certè Vinitores & Agricolæ, & reliqui Artifices, omnes carpunt aliquem laborum ſuorum fructum: & ut ait Apoſtolus 1. Cor. 9. *Quis plantat vineam & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat*

Quæ

Digitized by Google

Quæ res uſque eò nos aliquando percellit, ut ex deſperatione veniat in mentem, officium illud, aut deponere, aut non tantâ curâ præſtare. Certè uti explicat Hugo cardinalis, ea res animum S. Thimothei olim ita perculit, ut cum initio frequentibus Concionibus vacret, poſtquam vidit inutilem laborem ſuum, cœceperit illud opus negligere, unde etiem arguendus fuerit S. Ioannis Epiſtola ut patet in Apocalypſi, ubi reprehenditur Angelus Epheſi, quod primam charitatem reliquiſſet. Quod ſi ob amorem Dei prima charitas conſervatur, vix tamen fieri poteſt, ut quilibet coram Deo non conſequetatur cum Iſaïa Propheta cap. 49. *Et ego dixi: In vacuum laboravi ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi: ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo* vel ut legit Sanctus Hieronymus, *labor meus, & dolor meus.*

Quâ ex re factum eſt ut Eccleſia, vergente in finem Quadrageſima, ut noſtro dolori medeatur, hodiernum Evangelium legendum præbeat, uti nos in eo dolore conſolетur: in quo duo nobis proponit, 1. Idem Chriſto Domino planè contigiſſe, cuius licet mirabilis eſſet eloquentia, mira vis verborum, mira gratia, immò cum eſſet ipſum Verbum, quod Apoſtolus vocat *gladium acutum ad diviſionem animæ*, alius *malleum ex adamante, ad conterendas petras* alius quaſi fœcundum è nubibus imbrem, modo ſtillantem & ſuaviſſimè labentem, modò fortiùs irruentem, ſecundum illud, *quaſi imber ſuper herbam*: cuius denique licet tam multa eſſent miracula, & operum quaſi fulgura; paucos tamen admodum convertit: quod admirans Ioannes Evangeliſta, ſcripſit cap. 12. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis non credebant in eum: ut ſermo Iſaia Propheta impleretur quem dixit: Domine, quis, credidit auditui noſtro, & brachium Domini, cui revelatum eſt?*

2. Huius ſucceſſus triplicem rationē affert, cur nimirum tam pauci ex Chriſti Concionibus proficerent, quæ cauſæ etiam noſtri reſpectu locum habere poſſunt, ſervata proportione: ut ne miremur, neque animo deficiamus, cum hæc eadem nobis contingere videbimus, ut ſcilicet admodū exiguus à nobis ex noſtris concionibus fructus colligatur.

Ex tribus cauſis una ſe tenet ex parte Creatoris, duæ ex parte creaturæ. Quæ ſe tenet ex parte Dei in illis verbis continetur, *Qui ex Deo eſt verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non eſtis*, eſtque denegatio gratiæ, ſine qua mutum eſt omne os quod loquitur, de quâ re poſt alterum diem loquemur. Duæ itaq; nobis ſuperſunt cauſæ ex parte creaturæ, de quibus modò, & craſtina die. Primâ continent illa verba, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* in quibus verbis ex effectu cauſā oſtendit: cum enim ex odio virtutis Chriſtū odiſſent, iuxta illud Ioan. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera*, ex eodem odio factum eſt ut non prodeſſent eius verba, ſed facta tantum viderent, & dicta audirent ut carperent unde variis eum calumniis apeteтe, quaſi occaſionē haberent non credendi, cum tamē nullam habuerint niſi odiū gratuitum, ſecundū illud, *quia odio habuerunt me gratis.* Alterā cauſam continent hæc alia verba, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* quæ ſignificant odium veritatis, licet ea clare propoſita fuerit. Duplex igitur odiū fuit, & perſonæ, & doctrinæ, licet perſona eſſet irreprehenſibilis: *Quis ex vobis arguet me de peccato*: licet doctrina eſſet veriſſima, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi* Sed nimirū 2. uti dicitur Sap. 2. *Excæcavit illos malitia eorū.* Quod quia multis in omni genere ſolet accidere propterea id nunc à me diſquirendū eſt, unde ea res proficiſcatur. Cuius quidē rei unicā cauſā eſſe arbitror; Quia multi nō intellectu ſed affectu judicant: quod tribus modis ſolet cōtingere.

I. Cum

Digitized by Google

I. Cum Voluntas Intellectum determinat, ut de quibuſdam vel tantum vel acriùs cogitet; nihil verò, aut parum de aliis; unde fit ut unam partem vehementiùs apprehendat, ac perfectiùs cognoſcat quam alteram.

Nota itaque has duas potentias, Intellectum, & Voluntatem ſic inter ſe eſſe connexas, ut una ſine alia non operetur? ita tamen ut aliquâ ratione, & à ſe invicem independentes ſint, & à ſe invicem dependentes. Independentia eſt, quia Voluntas poſita quâcunque cognitione finiti boni ſemper libera eſt ad volendum, aut non volendum, ſi ſuâ ſummâ poteſtate uti velit: Intellectus autem propoſito ſibi vero non pendet à Voluntate ut aſſentiatur, aut aliter ſentiat, nam à vero determinatur ut cognoſcat: Dependentia in eo eſt, quòd voluntas cum ferri non poſſit in rem incognitam:) nam ut ait Bern. lib. de Amore Dei, cap. 2. Quis amat quod non videt, quomodo poteſt eſſe amabile quod non eſt aliquatenus viſibile? Et ex S. Thomâ opuſc. 61. hæ facultates ita ſunt ordinatæ, ut cognoſcitiva ſit ante affectivam) neceſſe eſt ut ab intellectu cognoſcente moveatur: aliunde etiam Intellectus in ſuâ operatione, & applicatione, dependet à voluntate; cuius dominium eſt in omnes facultates aut œconomicum, aut deſpoticum. Hæc autem mutua dependentia exercetur per ſympathiam potentiarum, ex quo fit ut in intellectu agente & movente ſe, moveatur voluntas, & ex voluntatis affectu operetur intellectus: Hoc præſuppoſito.

Dico Intellectum, licet à voluntate non pendeat eâdem ratione, quâ multæ inferiores potentiæ, ut progreſſiva, & illæ quæ ab objectis non moventur; non pendeat, inquam, ut de re aliqua debitè ſibi propoſita illo vel illo modo judicet; quia veritati evidenti ſibi propoſitæ refragari non poteſt; pendere tamen à voluntate in applicatione, ut ſcilicet acrius, ac divitius, & vehementius parte intendat quam in aliam, qua ratione voluntas ſibi fucum facit, ac ſe decipit, & ſe tandem & intellectum excæcat: atque illud eſt quod ait Philoſophus, Quòd omnis peccans eſt ignorans, hoc eſt, minus quibuſdam rationibus attendit, atque ita quædam actualiter minus ſcit.

Hinc porrò ſequitur 1. ipſius Intellectus cæcitas, qui tantum videt, quantum cernit: cum itaque unum cernat diligentiſſimè, aliud verò obſcurius, fit ut unum minus ſciat, ac ferrè ignoret, ſaltem ſecundum rationes peculiares, & integras.

Sequitur 2. Ipſius Voluntatis inclinatio, atque acceptatio; Etenim cum Voluntas rationalis ſit libera, & conſequenter indifferens ad duo etiamſi abſolutè loquendo ſe ipſam per ſe poſſit determinare, pro ſumma ſua poteſtate; modò objectum ipſi non ſit ignotum; tamen communiter loquendo fermè determinatur à judicio practico præcedente, contra quod Voluntas nõ fertur quia non fertur niſi in bonum ſibi repræſentatum ut cõveniens: unde quando Voluntas unã partẽ eligit, oportet ut præceſſerit judiciũ practicũ Intelectus, quo iudicat homini id potius hîc & nunc convenire, quàm contrarium. quod tunc facit Intellectus cum plura bona, & evidentiora in uno videt, quam in altero: hoc autem ſæpe pendet à vehementi aut negligenti Intellectus ad unum objectum applicatione; quæ applicatio, quia per ſympathiam pendet à Voluntate, ipſa ſui erroris cauſa eſt, atque origio, quoniam ducem ſuum excæcat. Itaque in univerſum de peccatoribus pronunciat David Pſalm. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, ut ſcilicet tantum terrena, non autem cœleſtia; & tantum præſentia, non autem futura intueantur.

Excæ-

Exemplum habes admodum inſigne in cap. 13. Danielis, ubi narratur ſceleſtum facinus, ac crimen duorum Senum luxurioſorum, qui cum exarſiſſent in turpem amorem Suſannæ, ut de illis loquitur Scriptura; (*Et exarſerunt in concupiſcentiam eius*); *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Quia nimirum, cum tantum cogitarent de pulchritudine Suſannæ; quippe qui *obſervarent diem aptum*, ut dicitur in Textu, *quando eam poſſent invenire ſolam*: ſanè de ſceleris immanitate, de præſentia Dei, judicio, de ſupplicij magnitudine, de operis difficultate non cogitabant: ac ſicut olim Iob fœdus pepigerat cum oculis ſuis, ut ne cogitaret quidem de virgine; illi è contrario fœdus cũ oculis ſuis pepigerant ne viderent cœlũ, ne videlicet eius aſpectus, & eius qui in cœlis habitat, eos abduceret à ſcelere, ſed plane ſtatuerunt oculos ſuos declinare in terrã, & cogitare iterũ ac ſæpius de fœminâ, cuius amor ipſorum animos uſque ad inſaniam inflammabat: Et ut ſua captarent commoda, & voluptate illicitâ fruerentur, nihil penſi habuerunt, quod eſſet à divina Lege alienum. Et certè quid facilius fuerat natam in illis recenter flammam extinguere, niſi ſe repetitis aſpectibus & cogitationibus excæcaſſent? Quid enim ſi ſpectaſſent ætatem ſuam, quoniam ſenes, qualitatem ſuam, quia judices populi, ſtatum ſuum, quia captivi, & in alieno regno, locum, quia in domo ubi judicia reddebant, ad hæc, in domo ipſius mariti, unde iniuria gravior; fœditatem ſceleris, ut etiam licet amore eius vulnerati eſſent, erubeſcerent indicare ſibi concupiſcentiam ſuam, honeſtatem ipſius, & conſequenter operis difficultatem, ſcilicet intentatam mulierem perfringere, periculum tentandi, cœli & Dei conſpectum, ſtatutam adulterio pœnam, Oculum illum vigilem omnia cernentem, Iudicia Dei quæ nihil impunitum relinquunt; voluptatis brevitatem, ac doloris, & pœnitentiæ diuturnitatem, denique, quibus ſuppliciis hoc tantum facinus in altera vita punitur, certè poterant omnem libidinis ſenſum, quantuſcunque eſſet, facile extinguerè. Sed vide qua ratione victi ſunt: *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum*: hoc eſt, ab his omnibus conſiderationibus animum averterunt, ac de ſolâ mulieris pulchritudine, de ſolâ voluptate cogitarunt: Exemplo præilluſtri nobis relicto, qua ratione in nobis contingant ſcelera. Ita unicuique quodlibet, licet, augendo quæ ſibi favent, extenuando aut omittendo quæ mentem revocant à flagitio. In eum numerum reduco.

1. Eos omnes qui diſcendi quod neſciunt, occaſiones fugiunt; unde nec Conciones audire, nec legere, nec quærere, nec conſilium petere volunt, ne ea ſciant, quæ ſcire nolunt, ne ſi ſcirent, aut facere impedirentur, aut ægrè facerent, quaſi ea ratione ſufficienter excuſari poſſint, ob ignorantiam, quæ ſi eſt eiuſmodi, non modo cùlpam non excuſat, ſed etiam auget, ac facit graviorem: Non excuſat quidem, quia ea ſola excuſat, quæ actum facit non liberũ, ſed ignorantia quæſita, & affectata, ut libera eſt, non impedit quin actus in ſuâ cauſa ſit liber, unde culpam non impedit, auget autem, tum quia uti ſponte ignorans ſe ſe exponit periculo omnis culpæ, propterea in quâlibet exigua re, graviſſimam culpam contrahit, tum quia non modo actum committit, ſed etiam ſibi eripit poteſtatem aliter agendi ob defectum cognitionis, quæ in rebus mortalibus eſt agendi principium.

2. Eos qui nolunt de rebus ad conſcientiam pertinentibus cogitare, ſua negotia ut ſe ha-

Digitized by Google

ſe habent diſcutere; nunquid, verbi gratia, habeant aliquid alienum quod reſtitui oporteat; nunquid in ſua negotiatione aliquid iniuſtitiæ committant, refugiunt animæ ſuæ ſtatum agnoſcere, de morte cogitare, de rebus futuris, de æternitate, de ſecuritate ſtatus vitæ in quo ſunt. Videas enim innumeros homines qui ſeipſos nunquam ingreſſi ſunt. Exiſtimant, opinor, hæc omnia deſitura eſſe, ſi non cogitent, ſi non meminerint, ſi obliviſcantur. Quia *nemo eſt, qui recogitet corde.* Stulti planè, qui non videant, res ſemper ſuo ſtatu eſſe, ſeu cogites, ſeu non cogites.

Eo reducuntur 1. qui dolent cum in Concionibus veritates ad ipſos pertinentes aperimus, quaſi dicendo, reos ipſos faciamus, non autem ſint ipſi ſuis factis.

Multò magis 2. qui moniti credere nolunt quod dicitur, ea tantum de cauſa, quia nolunt rem ita ſe habere: Etenim gratis fidem negant, & non tantum voluntate peccant, ſed etiam judicio: quia contra id quod eſt evidens pugnant, cum non contradicant ratione, ſed voluntate, quæ omne judicium corrumpit.

3. Qui ſibi voluntariè fucum faciunt, non eodem modo in rebus conſcientiæ ſibi conſulentes, quo, id agunt in rebus ſæcularibus, & negotiis, ut videant hinc inde rerum commoda, & incommoda, & omnia iuſto judicio expendant.

4. Qui ſecum diſſimulant ſibique parcunt. Quotuſquiſque enim ſibi ſit Iudex rigidus, ac ſeverus, qui ſibi non aduletur, Itaque in omnibus molliores ſententias ſequuntur, & quæ magis ſuæ cupiditati favent, in quo multipliciter peccant. 1. Quia plus favent cupiditati, quam rationi, quod ſecus fieri deberet: quod enim maximè vis, id tibi deberet eſſe ſuſpectum ob inſidias amoris proprij. 2. Quia ſeſe exponunt periculo deceptionis: nam quam multi adulatoriè loquuntur? ad hæc nulla eſt opinio tam falſa & extraordinaria, quæ non aliquem habeat vel authorem, vel fautorem ac defenſorem. 3. Quia non ex toto rem conſiderant, ſed tantum ex parte: itaque iudicium non eſt iuſtum nec certum, ſed diminutum. 4. Quia ſibi ipſi debent eſſe ſuſpecti, ex affectu quem ſentiunt erga rem de qua agitur: ſibi enim facilè parcunt in ea materia, & ſecum diſſimulare ſolent. Hoc vide in exemplis: verbi gratia, In Mulieribus ratione ornatus; ratione congreſſuum, & ratione ludi: In Viris ratione negotiorum. Sed ad alia.

II. Ratio ſeipſum excæcandi ita contingit. In rebus dubiis, & obſcuris Voluntas ſuo pondere trahere poteſt Intellectum. Et in dubiis quidem, quoniam hinc inde rationes probabiles apparent, non poteſt intellectus ex ſeipſo ad unum aliquid ſe determinare, quoniam utrinque æqualiter trahitur, cumque ſit ex ſe potentia indeterminata, ſi ab obiecto non determinetur, hæret dubius, quo in caſu voluntas ratione ſui dominii illum determinat; Sicut Iudices ubi partes utraſque audierunt, nec jus apertum eſt, ſed rationes utrinque faciunt pro ſingulis, pro alterutro ſententiam uti libuerit, ferre poſſunt. Ita in nobis contingit reſpectu rerum moralium, quæ quia ſunt ancipites, præſertim in rebus facti, & in utramque partem accipi poſſunt, ut quiſque voluntate propendet, ita favet ac judicat, unde magna ſenſim in intellectu deceptio, atque error, dum res æqualis ponderis inæqualiter iudicat, & ita judicij rectitudo paulatim enervatur, ac excæcatur ipſe intellectus.

Eodem modo res ſe habet in obſcuris: nam cum ſola evidentia cogat intellectum, ubi res ſunt obſcuræ ipſe determinatur à voluntate, & quo voluntas fertur, illo idem ſe incli-

inclinat. Vti igitur Theologi docent piam affectionem illum inclinare ad aſſentiendum rebus fidei, alioquin obſcuris; ita prava voluntas ſuo pondere ſæpe ipſummet trahit aliò quam rerum veritas traheret; unde in eiuſmodi hominibus prius ſanandus eſt affectus, quam iudicium; ſecundum illud Iſaïæ ex translatione LXX. Interpretum, *Niſi credideritis; non intelligetis.* Atque hinc oriri puto, cur tam multi in hæreſi & errore permaneant, quos certè affectus excæcavit: in quibus prius ſanandus affectus, quam intellectus. Ita Chriſtus Iudæis objiciebat, Ioan 5. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Et cap. 12. ait Evangeliſta, Multos credidiſſe, ſed non auſos profiteri propter Phariſæos, ne à Synagoga ejicerentur, *Dilexerunt enim*, inquit, *gloriam hominum magis quàm Dei.* Ratio eſt: Quia cum res fidei ſint certæ, ac indubitatæ, quia tamen ſunt obſcuræ, non omninò intellectum determinant, niſi priùs accedat affectus, & ita non fertur ille ad credendum, neque præbet aſſenſum. Sic videmus paſſim homines, uti corrumpunt affectum, ita paulatim à fide diſcedere, quia deſinente pio affectu, deſinit fides, atque intellectus adhæſio: itaque motiva credendi paulatim rejiciunt, ac eorum vim enervant, ac debilitant, & ſeſe contrariæ perſuaſioni adjungunt. Idem fit in judicio virtutum: cum enim quis ad caſtitatem eſt affectus, facilè aſſentitur iis quæ dicuntur de bono virtutis, de facilitate caſtitatis de ejus honeſtate, de præmio: ſed ubi paulatim pudorem abjecit, alia omnia judicat atque ſentit.

III. Modus quô fit hæc perverſio eſt à paſſione; quia hæc habet in nobis rationem medij, & conſequenter immutat objectum: ſicut enim medium denſius aliter repræſentat objectum, quam medium rarius, & ſicut per vitrum rubeum ſpecies immutantur, quia medium aliquid efficit; ita quia in nobis objecta quæ animum ſubeunt pendent à phantaſia, & ab appetitu, paſſio quæ ad ſe affectum & appetitum trahit, immutat medium; & corrupto affectu peſſima in hominibus judicia oriuntur. Vis per ſingulas paſſiones exempla? Id mihi omninò facile eſſet: Sed ne longũ ſit: Vide quid amor libidinoſus egerit in Samſone; quid in Rege Salomone. Ille toties deceptus ab infidâ muliere, toties tentatus, non vidit quod videbat; meritum deinde paſſus ſupplicium cæcitatis, quia per oculos peccaſſet, & ſæpius ſe excæcaſſet. Hic autem ita Sapiens, ut nihil ignoraret, eò devenit inſipientiæ, ut jam ſenex prolaberetur in idololatriam. Quid dicam de invidiâ quæ Saülem armavit in Davidem innocentem? id enim effecit, ut quæcunque eſſent in Davide maximè amabilia, ea ſemper ipſe converteret in venenũ. Incredibile dictu eſt, per quæ præcipitia, Regũ infeliciſſimus deſcenderit. Sed vide quo furore odii exarſerint Iudæi in Chriſtum; quia enim oderant, & oderant gratis, eo ſe ſe odio excæcarunt ne crederent. Id jam diximus ex Ioan. cap. 12. Itaque maluerunt habere Ioannem pro Meſſiâ quàm Chriſtum, licet non eſſet, de Tribu Iuda, nec ullum miraculum feciſſet, nec ipſe hunc gradum admitteret. Cum verò tam multas in Chriſto probationes haberent, & tot teſtimonia, in illum tamen credere noluerunt, unde Chriſtus Ioan. 15. dicebat *Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent, nunc autẽ viderunt & oderunt, & me, & Patrem meũ: ſed ut adimpleatur ſermo, qui in lege eorũ ſcriptꝰ eſt, quia odio habuerunt me gratis.* Quàm ſæpe & id evenire videmus quod contigit in Iudæis! Quid enim videbant in Chriſto quod amare non debebant? Quanta erat in eo doctrina, quanta morum ſuavitas, quanta humilitas, quot beneficia in ipſos collata, in ægrorum ſanationibus, mortuorum reſurrectione,

Digitized by Google

rectione, aſſiduâ prædicatione, vitæ communitate, & contubernio? Sed quoniam oderant; ideò quidquid faceret, quidquid doceret, & ageret, convertebant in odii materiam, atque flammam. Illi hominem blaſphemum appellarunt, alii Legis infractorem, alii vini potatorem, alii ſeductorem plebis, alii inimicum Cæſaris, & Reipublicæ, alii pacis perturbatorem, alii deceptorem, alii alii etiam Dæmoniacum & Magum: Quòd *ſi Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus?* quorum dicta, atque facta, ex odio & inimicitiis, converterunt in odii materiam. Ac ſicut non ſola plebs decepta eſt, ſed etiam majores, & Phariſæi, & Sacerdotes, & Pontifices; ita plerumque fit ut omnes ſeſe odiô, & invidiâ, & anticipatâ opinione excæcari ſinant. Cæterum eò uſque plerumque procedit hæc deceptio, ut licet multa ſint nobis admodum perſpicua, in illis tamen malitia cæcutiamus; ut de quibuſdam ſcripſit S. Paulus Rom. 1. *Qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent.* Eô enim tandem pervenitur, ut aſſuetudine, & contrariis judiciis, error nobis perſuadeatur tanquam veritas, ita ut poſteà credamus nos aliquid innoxiè agere, licet rei ſimus falſitatis: nam licet nobis perſuadeamus hæc ita ſe habere, tamen non innoxiè hoc ignoramus, ſed cum culpâ, quoniam ſic nos excæcavit noſtra malitia, quæ ſponte ſuſcepta eſt: & hoc ſenſu dixit Chriſtus Diſcipulis ſuis Ioan. 16. *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Quod eſt malorum omnium poſtremum quò ſeſe præcipitat voluntaria ignorantia: nam tandem degenerat in errorem, ut tunc putet ſe rectam viam inſiſtere, cum aberrat maximè. Ita multi in homines probos, primum odio feruntur; deinde putant ſe ratione adigente id facere, & ſtudio Religionis; unde id putant eſſe ſuum officium.

Vide itaque totius illius excæcationis ordinem, atque proceſſum.

Primò affulget veritas hinc inde micantibus radiis; ſed reiicitur, & ob paſſionem animus ab ea ſe avertit. Pſal. 35. *Noluit intelligere, ut benè ageret*: hinc odium veritatis.

2. Iubet voluntas intellectui, ut quæ veritati favent non attendat, augeat difficultates quæ illam impugnant, omnia contraria ſeriò expendat, & magnifaciat, ſuſpiciones extollat, argumenta levia amplificet, & probabilia omnia congerat, atque undequaque accerſat. Hoc autem imperium aliquando eſt expreſſum, aliquando tacitum, & quaſi per ſenſum, & ſympathiam, quod perinde eſt, ad cæcitatem, modò id fiat, quò tenebræ offundantur.

3. Quia jam eſt aliqua dubitatio, & propter offuſam caliginem obſcuritas, iubet voluntas pro ſua poteſtate intellectui, ut ita ſentiat; quia in dubiis, atque obſcuris rebus vim habet adigendi intellectum ad aſſenſum.

4. Aſſuetudine ita iudicandi, & crebris actibus, ita rem eſſe nobis omninò perſuademus, unde vehementius trahitur voluntas, & inflammatur, cum ſe tam iure agere præſumat, ſicque vehementius intellectum applicat, qui ſe ſe magis ac magis in ſua opinione ſemper confirmat, & eo modo exiſtit mutua potentiarum ſeſe adiuvantium ad errorem deceptio confirmatiſſima, ut iam aſſuetudo & iudicandi, & volendi facilitas, evidentiæ æquivaleat; ex quo graviſſimus in errorem lapſus, & certa deceptio. Exemplum eius rei nobiliſſimum habemus in Hæreticis, ſed præſertim in Hæreſiarchis, & hominibus perditiſſimis, & Apoſtatis, qui errores ita ſibi perſuadent,

Digitized by Google

ſuadent, ut poſteà ſe vera credere putent; quodque initio cum timore, & metu agebant, id poſteà cum ſecuritate efficiunt. Idem accidit in gravibus odiis, quæ poſteà ſpecie boni publici, & iuſtitiæ prætextu nutriuntur. Et ita Peccatores in extremum malorum barathrum deſcendunt, dum quæ agunt ſceleratiſſimè, ſe iure agere exiſtimant, & in iis ſibi complacent; dumque in mediis tenebris, & in errore verſantur, ſe in luce degere arbitrantur. Rem accipe in exemplo: Sit Rex, aut Princeps, qui impium habeat Conſiliarium, alios verò bonos, & probos; ſi alteri ſit offenſus, aut ſi alienæ dominationis potiundæ ſit avidus, idque ſuis conſiliariis aperiat, rem tamen aggredi non audeat, niſi rem ſibi licere audiat: Iam ſi ille impius Conſiliarius, cum videat Regis propenſionem, aut ad vindictam, aut ad alterius dominationis invaſionem, illius cupiditati ſervire, ac famulari; protinus varias rationes exquiret quibus oſtendat id Regi licere; contrarias autem omnes rationes eò uſque elevabit, ac imminuet, ut ſi quis probus contrarium hiſcere audeat, illi ſilentium imponatur, tanquam ſuſpecto de proditione, ac minus erga Regem propenſo: atque ita fiet ut Rex in ſua cupiditate roboretur, cum iam non ſe ferri cupiditate, ſed iure, & æquitate exiſtimet. Idem planè in nobis contingit: Vnde graves in vita errores, dum nihil ex rationis præcipientis & illuminatæ præſcripto, ſed ex cupiditate gerimus, noſque ipſos cæcos efficimus, & nobis veri cernendi modum ac rationem demimus. Itaque in eiuſmodi hominibus prius, uti dictum eſt, ſanandus eſt affectus, iudicium convincendum: Et in univerſum, valet Chriſti monitum Ioan. 7. *Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum iudicium iudicate*; Vera itaque ratio erit favere oppoſitæ parti adverſus cupiditatem noſtram, contrà quam potius inclinandum eſt, reſiſtendo ipſi, ne nos ſuis blanditiis attrahat. Hoc habuit S Ludovicus, ut ſi adverſus aliquem haberet litem, faveret ſemper parti ſuæ adverſæ, veritus ne ſui Officiales ipſius juri nimium faverent. Eandem ob cauſam Deus, licet in judicio voluerit haberi rationem perſonæ, Deuteron. 1. *Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt*: Tamen ſæpe in Prophetis admonet ut propendeatur in favorem viduæ & pupilli. Pſalmo 81. *Iudicate egeno & pupillo*, &c. quia aliis volgò favetur. Ita paſſim veritas captiva eſt & in vinculis retinetur. Ita plures *veritatem Dei in iniuſtitia detinent*? propterea illi omnibus modis favendum: ipſa enim *veritas* poſteà, ut ait Chriſtus, Ioan. 8. *liberabit vos* & ab omni errore abducet.

***

DOMINICA PASSIONIS

CONCIO SECUNDA.

CVR VERITATI RESISTITVR.

Aliæ cauſæ ex parte hominis; Multiplex malitia Voluntatis.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Ioan. 8.

EX multis rebus quæ me in admirationem rapiunt in variis ſucceſſibus quos habuit Chriſtus Dominus, hic non eſt minimus ſtupor, unde factum ſit, ut cum illi nihil defuerit, quo homines converteret, non ſapientia non eloquentia, non miracula, tamen tam paucos converterit, ſecundum illud Ioan. 12. *Cùm autem tanta ſigna feciſſet coràm eis, non credebant in eum*, &c. Hujus rei admirabilitas non oritur, quòd nulla ſit ejus rei cauſa; ſed ex rei indignitate non expectata. Quis enim id crederet, quis expectaret? Sed licet id evenerit contra omnium expectationem, ac judicium, neceſſe eſt ut graves omnino cauſæ extiterint. Plures, ut diximus, Chriſtus Dominus proponit in hodierno Evangelio; quaſdam ex parte Creaturæ; unam ex parte Dei. Quæ oritur ex parte Dei, inſinuatur in illis verbis, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: proptereà vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*, & ſignificatur denegatio gratiæ: De hac modò non agimus: Vnam ex parte creaturæ tractavimus; Ad alias pergimus, quæ vel ad odium Doctoris, vel ad odium Veritatis, vel ad aliam malam Voluntatis diſpoſitionem reducuntur: De quibus ut loqui poſſimus nobis eſt opus gratia, quam à Deo Virginem poſtulamus. AVE MARIA.

ALTERAM igitur cauſam, ex parte hominis, (de prima enim jam diximus) continent iſta verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* In quibus illius effectus cauſa oſtenditur, quæ radix fuit, cur Chriſto Iudæi non crediderunt. Et ea quidem vera & proxima fuit eorumdem in Chriſtum odium,

qu

quod habuit pro effectu ſuo maledicentiam, & pro prætextu falſam criminationem prævaricationis in Legem; unde factum eſt, ut cum proficere deberent ex doctrina Salvatoris, applicuerint ſe ad reprehendendam ipſius modò perſonam, modò doctrinam. Sed cauſa remotior & prima, fuit virtutis odium; quod eadem verba inſinuant: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cùm enim ex odio virtutis, Chriſtum odiſſent, juxta illud Ioan. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera*; ex odio Chriſti factum eſt ut non prodeſſent eius verba, ſed facta tantum viderent & dicta audirent ut carperent, ita variis eum calumniis appeterent, quaſi occaſionem haberent non credendi, cum tamen nullam haberent niſi odium cuius etiam nullam habuere, ſecundum illud: *Quia odio habuerunt me gratis.*

Hic etiam eſt lapis offenſionis multorum Catholicorum, qui cum ſint obſtinati in vitiis ex virtutis odio in bonorum odium prorumpunt, & ſtudium ſuum in reprehenſionem convertũnt: quod aliqui aperta, alii occulta & aliis & ſibi malitia, efficiunt.

Hic etiam lapis offenſionis Hæreticorum, qui præoccupati odio, in eos feruntur rabie, atque maledicentia, à quibus remedium accipere deberent.

Sed ſi omnes ſponte ſua à veritate receſſerunt, ac recedunt, quia ut dicitur Sapientiæ 2. *Excæcavit illos malitia eorum*; Quoniam odio ſolum inducti Iudæi atque malitia perſuaſi à Chriſto averſi ſunt, & illi alii à veritate; & quoniam id multis in omni genere ſolet accidere: propterea id à nobis diſquiritur, unde ea res proficiſcatur. Et quidem cum ex his quæ ſuprà diximus clarum ſit, judicia intellectus præſertim circa concluſiones practicas multum à voluntatis diſpoſitione & ab affectu operantis dependere; ita patet in ejuſdem voluntatis malitiam hanc cæcitatem ut plurimum eſſe refundendam. Nam ut diverſis cauſis amor & odium naſcuntur, prorſus neceſſe eſt ut qui circa malum obſtinati ſunt, ſicut in vitium amore, ita odio adverſus virtutem ferantur. ex odio autem virtutis in bonorum odium veniunt, tum ex vitæ morumque diſſimilitudine, quæ odii mater eſſe ſolet, uti ſimilitudo, amoris; tum ob perſuaſionem, & quaſi obligationem ad virtutem quam boni ſuo exemplo inferunt; & demum ex illo bonorum odio fit, ut quæcunque ab eis ſana proponuntur, diſpliceant; & naſcatur in iis qui oderunt, ſtudium improbandi aliorum mores, & doctrinam; ut ſcilicet cum perſuaderi nolint, hoc ſe tandem in tegumentô tueantur ac defendant, quaſi occaſionem habuerint non credendi, dum perſuadetur, neque eos qui loquũtur, fide dignos eſſe propter improbitatem; neque ea quæ dicunt, accipienda, cum reprehenſione non careant.

Hinc fit 1. ut omnia benè dicta prætereant; hæreant in iis quæ in malum detorqueri poſſunt, vel ex communi vulgi ſententia, vel apud ignaros & ſui ſimiles, vel ob veriſimilitudinem, vel ob rei difficultatem; unde facilius eiuſmodi dicta patiantur calumniam. Ita Iudæi illud Chriſti Domini dictum, *Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, perperàm intellexerunt; & illud Evangelii hodierni, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*; & multa alia ſimilia quæ habent aut difficultatem, aut obſcuritatem.

Digitized by Google

2. Vt nunc ex perſona, doctrinæ detrahant, nunc ex doctrina perſonæ, ut non teneantur credere. Ita Iudæi, *Nonne hic eſt faber?* Marc. 6. *Nonne hic eſt fabri filius?* Matth. 13. *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit.* Ioan. 6. Item, *Nonne hic eſt Ieſus Filius Ioſeph, cuius nos novimus Patrem, & Matrem? quomodo ergo dicit hic, quia de cælo deſcendi?* Ioan 6. Et poſt doctrinam allatam de Euchar. *Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus dixerunt: durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* &c. *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.*

3. Vt quæ odioſiſſima ſunt, objiciant, ad conciliandam offenſionem: *Hic dixit poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud* Matth. 26. Et Lucæ 23. *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Deinde; *Commovet populum docens per univerſam Iudæam*, &c.

4. Vt multa inſidioſiſſimè proponant quorum ſolutio atque reſponſio ex temporum iniquitate, ac malitia, ſit maxime ardua, ita ut ne eſſe ſit utrinque capi reſpondentem: Ita interrogarunt Herodiani Chriſtum, *Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Matth. 22. Idem de muliere adultera, an lapidanda eſſet, ſecundùm legem.

5. Vt potentiſſimos quoſque, Principes, Reges, Magiſtratus vocent in damnum, eoſque inducant ad proprij commodi reſpectum, ut divini verbi præcones authoritate ſua obruant; prætexendo boni communis ſpeciem, cui ſemper favetur. Ita Iudæi de Chriſto. *Hunc invenimus* &c. *prohibentem tributa dare Cæſari. Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris. Non habemus alium Regem, niſi Cæſarem. Nolumus hunc regnare ſuper nos.*

6. Vt alios quoſdam ſanctitate, doctrina & opinione conſpicuos opponant, ac præferant: non iſtorum aut virtutis, aut veritatis amore, ſed tantùm priorum odio, hoc ſanè fine & fructu, ut cùm iſtos adſe attraxerint, alios melius aggrediantur: Ita Iudæi miſerunt ad Ioannem qui dicerent, *ſi tu non es Chriſtus*: ut enim Chriſto Domino hunc honorem eriperent, maluerunt Ioannem præferre, non amore Joannis, uti ſatis oſtenderunt, ſed odio Chriſti: Id illis exprobrat Chriſtus Joan. 5. *Vos miſiſtis ad Ioannem: & teſtimonium perhibuit veritati Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.* Ita Ioan. 9. *Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus unde ſit.* Sed Chriſtus rectè repoſuit, *Si crederetis Moyſi, forſitan crederetis & mihi, ipſe enim de me ſcripſit.*

7. Vt maiorem ſanctitatem & religioſis obſervantiam prætendant, non verò ullius deſiderio, ſed ut boni prætextu noceant, & juſtitiæ zelo ferri videantur. Ita Iudæi & Phariſæi Chriſtum vocarunt potatorem vini, amatorem publicanorum, Sabbati & Legis tranſgreſſorem, traditionum neglectorem, ut oſtenderent ſe occaſionem legitimam habere non recipiendi.

Sed omnibus iſtis fictionibus Chriſtus perſonam & larvam adimit, ac rectè oſtendit, non niſi propria malitia illos eſſe excæcatos. Ita enim ipſos premit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quaſi diceret fruſtra eos ſuæ incredulitati prætendere aut vitium in moribus ac vita Chriſti; aut errorem in doctrina; cùm nihil ipſi tale quidpiam poſſent objicere, dixit autem arguere, Græcè ἐλέγχει, quod ſignificat non accuſare criminis, ſed convincere. Nam Iudæi ſæpe Chriſtum blaſphemiæ, ſæpe violati Sabbati, ſæpe aliorum criminum accuſavere, ſed nunquam convincere ullius peccati potuerunt. Hoc eſt, quod ait,

quod ait, *quis ex vobis arguet me de peccato?* Id eſt: Ecquis veſtrûm eſt qui paratus, qui præſtò ſit, qui confidat, poſſe ſe de ullo peccato me coarguere? Prodeat, diſceptet, vincat: Quod ſi hoc nemo veſtrûm poteſt facere, quare non creditis mihi? Vnusquisque enim dignus eſt fide, donec aliquod in eo, ſive mendacium, ſive aliud peccatum deprehendatur, quod fidem elevet.

Quod ego adverſus plurimos hujus ſæculi homines ſic urgeo: Nihil eſſe prorſus quô ſe excuſent, dùm alios falſis onerant criminibus, atque ut ſuæ improbitati faveant, quorumcunque optimorum vitam atque doctrinam carpunt, ac calumniantur. Aliud eſt accuſare, aliud convincere. Sed nimirùm odium virtutis, hominum proborum odium generavit. Ex morum odio vel invidiâ, naſcitur illa maledicendi licentiâ, & omnia carpendi libido. Atque hæc eſt prima cauſa cur multi nullum ex verbo Dei fructum colligant; quæ ratio eô eſt occultior, quo hujus odij in viros bonos cauſæ ſunt occultiores, ac videntur eſſe juſtiores. Sed hos omnes percellit hæc Chriſti reſponſio. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*.

Cæterùm quod fit ex odio virtutis poteſt etiam contingere ex quôlibet pravo affectu, & ex qualibet paſſione: Sicut enim nubes ex quacunque materiâ ſint eductæ, Solem eripiunt; ut & viſum oculis opaca corpora quæ objiciuntur: Ita quælibet paſſio rectum judicium impedit, qualis eſt invidia, cupiditas lucri, vana gloria, quæ fuere vitia Phariſæorum; ut & ipſis Chriſtus exprobravit Ioan. 5. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis*; Quia verò amor proprius admodùm ſubtilis eſt, hinc fit ut aliquando lateat ſub alieno prætextu. Ita paſſim obtenditur, aut juſtitia, aut amor Reipublicæ, aut amor Religionis; unde fit, ut ille ſenſus juſtior putetur, atque inde ille affectus difficiliùs curetur, quod maximè periculoſum eſt Nam ſub Religionis prætextu, & ſub juſtitiæ velo, quid non admittitur? Ita Iudæi Chriſtum condemnarunt, & ipſi Phariſæi & Pontifices, ipſius ſanguine ſe ſuper alios cruentarunt: Ita Chriſtus, ut ſupra diximus, Diſcipulos monuit Ioan. 16. *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*: Ita quoque durius tractati Chriſtiani, quando zelo falſæ religionis puniti ſunt

Quàm rectè igitur monuit Apoſtolus Rom. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis eius.* Hinc enim origo omnium paſſionum, & inde omnium actionum in vitâ, & judiciorum noſtrorum.

Altera cauſa ex parte Creaturæ cur non proficiat verbum Dei, eſt odium veritatis. Quid enim apud eos Concionator proficiat, qui nihil pejus quàm veritatem odere? Itaque Chriſtus eam cauſam Iudæis aſſignat, *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Res planè ſtupenda: hominibus non inſanis nec furioſis ſola veritas ſe perſuadet: ſed hominibus emotæ mentis, atque impudentis, cauſa non credendi eſt ipſius veritatis odium.

Exemplum accipe 1. in Balac Rege Moabitarum, qui vocavit Balaam ut malediceret Iſraëli contra voluntatem Dei? quod ſæpius facere conatus eſt uti dicitur 22. Numer.

2. In Achab Rege Iſraël uti refertur 3. Reg. cap. ult. Is profecturus ad bellum contra Syriam audiebat 400. pſeudoprophetas Baal, ei adulantes & mentientes, unum Michæam Domini Prophetam qui vera referebat audire noluit: Interrogatus à Rege Ioſaphat. quis ille eſſet, reſpondit, illum quidem eſſe Prophetam Domini; verùm ſubdidit, *ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum*: ô hominis ſtulti ac furentis reſponſionem

Quid enim à Prophetâ exigere debuit niſi verũ, quodcunq; tandẽ illud eſſet, ſive bonũ, ſive malum, hoc eſt ſive Regiæ voluntati conſonum ſeu diſſonum; præſertim cùm ipſe ita eum eſſet obteſtatus: *iterùm atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, niſi quod verum eſt in nomine Domini*, quod cum feciſſet Propheta, Regique prædixiſſet excidium ſi prælium committeret, dixit Rex Iſraël ad Ioſaphat Regem Iuda, *Nunquid nõ dixi tibi quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum*: Et ideò illum conjecit in vincula, & ipſe alia omnia ſecutus conſilia, interiit in prælio.

3. In Iudæis apud Ieremiam cap. 42. & 43. Nam cùm reliquiæ Iuda eum oraſſent, ut à Deo peteret quid ipſi agere deberent, an deſcendere in Ægyptum, ne Regi Babylonis traderentur an verò in urbe Ieruſalem remanere; Propheta tempus ad orandum petiit, poſtque dies decem orationis, retulit ex parte Dei, uti remanerent in urbe: & tunc illi ſtultè & malitioſè reſponderunt *Mendacium tu loqueris, Non miſit te Dominus Deus noſter, dicens, ne ingrediamini Ægyptum, ut habitetis illic*: Itaque deſcenderunt in Ægyptum, ibique miſerrimè perierunt.

4. Babyloniis in libro Iudith cap. 6 Vbi enim Achior Dux Ammonitarum interrogatus ab Holoferne de Iudæorum viribus, cum reſpondiſſet inexpugnabiles eſſe, utpote qui à Deo ſuo protegerentur, & allatis exemplis id planè confirmaſſet: idcircò vinctus in Bethuliam miſſus eſt, ut captâ civitate cum Iudæis mactaretur; Sed res ſucceſſit in contrarium. Holofernes enim qui putabat nil armis ſuis poſſe reſiſtere, manu fœminæ eſt decollatus, totus eius exercitus, vel trucidatus eſt, vel fugatus; Achior corpore, & animo incolumis ſervatus eſt.

Ita Chriſtus Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis* Ita quotidie laudantur ac miris laudibus efferuntur, qui vana aut falſa annuntiant, aut ſaltem qui veritatem premunt: Qui ſecus faciunt, ſeditioſi audiunt, imprudentes, perturbatores, &c Hoc prædixerat Apoſtolus 2. ad Tim. 4 *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus*, (in nominandi caſu) *& à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*: ubi rectè Chryſoſt: Nihil dici ſignificantius potuit; quippe dum ait *coacervabunt*, indiſcretam, confuſamque doctorum ſignificavit multitudinem, Etenim multos ejuſmodi invenies, paucos verò qui veritatem non adulteratam loquantur: Ita apud Iſaiam capite. 30. *Qui dicunt videntibus: Nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores*. Vnde autem id proveniat, adhuc amplius inquiramus.

Præcipua itaque cauſa mihi eſſe videtur, peſſima audientium diſpoſitio. Vti enim dixit de virtute Seneca, quòd omnia in ſuum colorem vertit, ita prava animi diſpoſitio, omnia convertit ad ſe. Auguſtinus Epiſt. 58. quod volumus ſanctum eſt. Et Clem. Alexand. 5 Stromatum hoc, quod amant, volunt eſſe veritatem. Et Valentinianus Imperator, quod libuerit, legitimum putamus. Igitur quemadmodum ægrotis, cibus ſalutaris, amarus & ingratus videtur; ita malè affectis animis ingrata occurrit veritas. Quod & Satyricus Perſius agnovit cum diceret ſe. Auriculas teneras mordaci radere vero. Illis ſcilicet, verum mordax, & auſterum videtur, qui teneras, hoc eſt malè affectas aures habent Ita vinum, in bonum & ſanum ſtomachum, vel in manum bene ſanam, infuſum delectat; at verò in vulnus infuſum, mordet ac dolorem infert. Ex eadem naturæ corruptione fit, ut quæcunque alius pro pravis & vitioſis noſtris affectibus, dicit, aut fa

cit,

Digitized by Google

cit, libenter & cum voluptate audiamus, & recipiamus. Quiſquis nos laudat, & extollit, is blandus nobis & ſuavis videtur, nimis naturâ gloriæ cupidis. Blanda vox fuit ſerpentis primis parentibus, *nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*: Qui morbus ſic in omnes homines tranſiit, ut nemo ſit qui blanditijs & laudibus vinci, & molliri non ſperetur. Eadem de cauſa principibus viris quæ vera ſunt ſubticentur ne offendantur: unde Imperator Gordianus: Miſer imperator apud quem vera reticentur. Itaque ſic paſſim adimus potentes à quibus aliquid ſperamus. Et inde fit ut aſſentationes & blanditiæ, quæ ad fallendum ordinantur omnibus gratæ ſint, cum tamen nemo falli, atque decipi velit; veritas autem quæ fallacias omnes detegit, ob id ſolum quod morbidis animi noſtri affectibus non reſpondet, auſtera, & moleſta judicatur propterea que repellitur; tanta eſt naturæ noſtræ corruptio. Sanè recta ratio ac rerum natura habet, ut ideo alicui ſermoni aſſentiamur, quia verus eſt, ideoque propoſitio aliqua fidem mereatur, quia vera eſt; & contra ut ideo aliquid non credamus, quia falſum eſt & veritati contrarium: Sed homines mali atque perverſi, omnem rationis, rerumq; ordinem invertentes, propterea veritatem oderunt, & perſequuntur, quia veritas; ideoque falſitatem amplectuntur, quia falſitas eſt. Ipſa eſt Chriſti ſententia Ioan. 8. *Ego autem ſi veritatem dico non creditis mihi*: Non dicit, quamvis veritatem dicā vobis, nō creditis vel mihi veritatem dicenti non creditis, ſed dicendo *ſi veritatem dico*, vult dicere, ideo non creditis, mihi, quia veritatem dico. Quid abſurdius, quid magis à ratione alienum, quam idcirco alicui non credere, quia verum dicat? ideo credere quia mentiatur? ſic tamen cū Chriſto actum eſt: *Si veritatem dico, non creditis mihi*. Contrà vero Satanæ credebant, quia mendax eſt. Significat ergo Dominus veritatem, reprobis hominibus cauſam eſſe, non ſolum damnationis, ſed etiam incredulitatis Sic enim accidit inter mortales, & ut res falſiſſimæ & meræ nugæ, facillimè credantur; aut ubi credendum eſt veritati, ibi maxima hominum multitudo credere recuſet, quia veritas proponitur. Sic Achab non credebat Michææ, ut diximus quia vera dicebat; & audiebat pſeudoprophetas, quia mendacia effutiebant. Sic Balac iraſcebatur Balaam vera dicenti de populo Iſraël; cumulaturus enim magnis honoribus, ſi contraria dicere voluiſſet.

Ratio eſt. Quia veritatem ſibi contrariam mali ſentiunt, itaque ipſam oderunt: atque hoc præcipuo indicio, deprehenditur malitia ingenij humani, quod bonū ideo nolit, quia bonum eſt, verum reſpuat, quia verum eſt, Et quemadmodum qui natura ſunt turbidi, & ad rixas, & contentiones, & ad bella proclives; ideo pacis conſilia non probant, quia pacis conſilia ſunt; qui procaces ſunt laſcivi, & obſcœni, doctrinam caſtitatis non ob aliud aſpernantur, quam quia caſtitatē ſuadet, & commendat, quam non amant; qui ebrietati ſunt addicti, ſobrietatem, ut talem, ſeu quia ſobrietas eſt, oderunt, ut ſuæ inclinationi & cupiditati contrariam: Ita qui mendacijs delectantur, veritatem, ut veritatem, reſpuunt; ideoque non credunt, ſed omnino contradicunt, *Si veritatem dico non creditis mihi*.

Nec putes, id eſſe incredibile, eo quod; uti voluntas non niſi bonum amat, ita intellectus non niſi vero aſſentiatur: Etenim id provenit ex occulta quâdam reprobæ mentis alienatione à veritate, & quadam ad falſitatem inclinatione, qua mens impiorum excæcata, arcano quodam motu & Satanæ inſtinctu, à veritate abhorret, & propendet ad mendacium averſari, & veritatem ſectari.

Eſtenim omnino, ut in bonis, ad veritatem; ſic in improbis, ad mendacium falſitatem arcana quædam propenſio. Eſt in mendacio qualitas quædam, quæ malis & mendacibus ex natura arridet, licet mendacium, ut tale, illis non placeat. Contra vero in ſermone, ac doctrina veritatis, qualitas quædam eſt ijs maxime diſplicens, illa nimirum ipſa, quæ naturæ veritatis eſt propria, etiamſi veritatem, ut talem non aſpernentur: uti contentioſi pacem, ut pacem, non adverſantur; ſed veram tamen pacis conditionem & naturam, ut ſuis affectibus contrariam, oderunt, ideoque non veram pacem, ſed per rixas & jurgia pacem quærunt ſibi congruam: Nam & Chriſtus ſic utramque ſeparat: *Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ioan. 14. Sic Auguſt. lib. 10. Conf. cap. 23. Cur (inquit) veritas parit odium, & inimicus eis factus eſt homo tuus verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non eſt niſi gaudium de veritate: niſi quia ſic amatur veritas, ut quicuuque aliud amant, hoc quod amant, velint eſſe veritatem, & quia falli nolunt, nolunt conuinci quod falſi ſunt? Itaque propter eam rem, oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt; amant eam, cum ſeipſam indicat & oderunt eam, cum eos ipſos judicat. Inde retribuet eis, ut qui ſe ab ea manifeſtari nolunt, & eos nolentes manifeſtet, & eis ipſa non ſit manifeſta: Sic ſic etiam, ſic animus humanus etiam ſic cæcus & languidus, turpis atque indecens latere vult: ſe autem ut lateat aliquid, non vult. Contrà illi reddetur, ut ipſe non lateat veritatem, ipſum autẽ veritas lateat. Hæc ille, & alia in eã rem.

Hinc itaque cauſam agnoſcimus, in primis cur tàm exiguus referatur ex Concionibus fructus: Quia ſcilicet paſſim homines veritatem averſantur, itaque dùm loquimur, animo contradicunt. Sic nobis ſæpe cum Chriſti conqueri licet, *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Porro illud, *veritatem dico*, non ſolum ſignificat ſimplicem veritatis enuntiationem; neque enim omne verum ita ſemper proponitur, ut probabile fiat, & credibile: ſed ſignificat talem veritatis enuntiationem, ut cum eiuſdem demonſtratione, conjuncta ſit, quaſi diceret: Si veritatem vobis propono, multis ſignis & efficaciſſimis argumentis demonſtratam, adeo ut quilibet poſſit eam agnoſcere ut veritatem Dei, *quare non creditis mihi?* Ita quod multos reddit inexcuſabiles, illud eſt, quod veritates etiam manifeſte probatas, reiiciant, immo eo amplius rejiciant, quo ſunt manifeſtius probatæ. Quid enim ego vobis propono niſi Scripturas ſacras, & verbum Dei, niſi doctrinam tot ſæculis confirmatam, tot miraculis, tot probationibus, tot teſtimoniis, à tam præclaris ingeniis receptam, tot Martyrum ſanguine, conteſtatam? Sane veſtram duritiem non mirarer; ſi de certis quibuſdam veritatibus ageretur. Et enim ſunt nonnullæ veritates à nobis alienæ, ſeu quæ ad nos nihil pertinent, aut ſi aliqua ratione pertinent, quæ nihil magni continent, nec admodum noſtra intereſt ſcire: ac de ejuſmodi nihil adeo mirum, ſi negligantur. Sed quæ vobis prædicamus ſumma ſunt, maximi momenti, & quæ ſpectant ſalutem, & æternitatem vel miſeram vel beatam: Et cum ea proponamus & ea quidem quæ tam multos homines converterunt, barbaros, agreſtes, ſapientes, omnis generis & indolis; cur vos Chriſtianos, in ijs enutritos, & educatos non commovent, nec magis afficiunt quam fabulæ? Equidẽ fides noſtra exigit, ut ijs quæ nobis proponuntur, tam firmiter hæreamus, ut pro earum veritate non dubitemus vitam, & ſanguinem profundere: Sed quia in has anguſtias redacti non ſumus, hoc ſaltem liceat à te petere, mi Auditor, ut vi-

Digitized by Google

vt vitam emendes; mores corrigas; ab illicitis, & noxijs, abſtineas; & virtutem ſequaris, &c.

Deinde cauſam agnoſcimus, unde fiat ut nullo negotio errores, & opiniones falſæ diſſeminentur, veritates autem tam ægrè perſuadeantur. Id Chriſtus exprobravit Iudæis, ut diximus Ioan 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis* Nonne illud mirum quod Chriſtus tot allatis probationibus, per miracula, per Prophetias, per Scripturas, non potuerit credi niſi à paucis: multi autem impoſtores, nullis factis miraculis, nullo teſtimonio adhibito, perſuaſerint ſe eſſe Meſſias? Refert Ioſeph. lib. 2. de bello Iudaïco cap. 12. quendam hominem Ægyptium, triginta Iudæorum millia decepiſſe: Quot decepit Simon Magus, Actor, 8. cum ſe magnam Dei virtutem eſſe dixit? Quot homines decipiet Antichriſtus, in fine mundi, ſuis præſtigijs? Cùm hæreſes naſcuntur, quàm facilè ſerpit virus, quàm facilè homines decipiuntur. Et quotidie id ipsâ experientiâ comprobamus, ſi nova ſeſe offerant dogmata. ſive illud accidat 1. quia cum homines ſint ſuperbi natura, ſimplicia omnia, & modeſta deſpiciunt qualis eſt veritas: Nam vt ait. Iob. cap. 22. *Deridetur juſti ſimplicitas*: ſimplex autem eſt veritatis oratio, ait Euripides, nec variarum opus habet interpretationum, unde vulgò qui præclara ſibi eſſe ingenia putant, eò vergunt: Quid quod admirationem quærunt, ex novitate: nam quod nemo facit omnes mirantur; & ita quod nemo dicit, omnes ſtupent. Sive 2. accidat, quia error contenſioſus eſt, veritas autem pacifica. hinc diſputationes, libri, congreſſiones, ſectæ, ſocietates, maledicentiæ, detractiones, &c. Sive 3. quia cum veritas nuda ſit, errori autem quærantur undique ornamenta, illa deſpicitur. iſta verò ſunt in pretio: unde tam diſerti libelli; unde eloquentia affectata. Certè bona cauſa in promptu eſt, & breves habet rationes; Iniqua longis ambagibus ſe defendit. Mulier formoſa & caſta, ornatum non quærit: meretricium; fœda & turpis, lenocinia formæ quærit: Sic Apelles diſcipulum reprehendit, qui Helenam, auro ornarat: Quia, inquit, non potuiſti formoſam pingere, feciſti divitem. Idem contingit in veritate, quæ ornamentis, & fuco non indiget. Lact. lib 3 cap. 1. voluit Deus hanc eſſe rei naturam, ut ſimplex, & nuda veritas eſſet luculentior, quia ſatis ornata per ſe eſt, ideòque ornamentis extrinſecus additis, fucata corrumpitur. Mendacium verò, ſpecie valet aliena; quia per ſe, corruptum vaneſcit ac diffluit, niſi aliunde ornetur.

His eruditi hæreamus in veritate, fugiamus novitates, ſuſpectos habeamus qui aliter docent, quàm communiter in Eccleſiâ doceatur. Cogitemus potius quam benè vivamus, quo modò æternitatem & gloriam cœleſtem conſequamur; ad quam nos perducat Ieſus-Chriſtus. Amen.

* * *

Digitized by Google

DOMINICA PASSIONIS

CONCIO TERTIA.

Cur è verbo Dei tàm exiguus fructus,

Cauſæ tum ex auditoribus tum ex Deo petitæ.

Qui ex Deo eſt, Verba Dei audit, Ioan. 8.

DVO plane omnibus ſunt comperta, nec à quoquam meo judicio, poſſunt impugnari; ex quibus tamen exurgit tertium, quod magnam mihi movet admirationem. Primum, quod nihil habet dubitationis, immo eſt teſtatiſſimum, ſanctiſſimi verbi Dei admirabilis efficacia, verbi inquam, quod appellare poſſumus omnipotens, quando quidem ipſi nihil eſt impoſſibile. Audite quomodo de ſe ipſum loquatur. O quam honorabile teſtimonium ſibi præſtat apud Prophetam! Pſal. 28. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatu intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini in virtute; Vox Domini in magnificentia.* Sicut nihil eſt in natura, quod melius demonſtret majeſtatem Dei, quam inimirabilis vox ipſius tonitrui, quod irato brachio intorquet ſupra intumeſcentes fluctus Oceani vehementer commoti; Ita quod voluit audiri reſonantem Euangelij ſui vocem populis quaſi inundantibus fide, ea res nobis patefecit ipſius magnitudinem & majeſtatem. Quod enim verbi illius admirabilitatem oſtendit, eſt, 1. quod aggreditur integros, nationeſque univerſas convertit, *vox Domini ſuper aquas.* 2. Quod ad omnium quæ ſibi proponit ac ſtatuit, efficientiam, & exitum attingit, *vox Domini in virtute*, hæc enim vox nõ eſt ſimilis hominum verbo, quod nihil poteſt niſi inducere, ac perſuadere; ſed ea, omnino plena eſt virtutis atque poteſtatis; operatur enim quicquid vult, tanta eſt ejus in omnia authoritas & maieſtas. 3. Mirabilis eſt in modo: *Vox Domini in magnificentia*: quoniam ita reſonans eſt, ut formidabilior ſit tonitruo quod mortales terrore percellit: *Deus majeſtatis intonuit.* Verum eius audite effectus: *Vox Domini confringentis Cedros, & confringet Dominus Cedros Libani*: Omnes mundi magnitudines ab ea everſa ac proſtrata fuerunt, quia & præſtantiſſima ingenia, quæ efferebant ſe altius Cedris Libani, depreſſa ſunt, ſeque ſubiecerunt humilitati Evangelij. *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani.* Non multum ei fuit operæ conatuſque ponendum, in confringendis proceris arboribus illis, Libani Cedris: quæ tam alte eminebant, ut aſpectum fugerent: eas enim

Digitized by Google

enim loco ſub movit tam facilè, quàm minimum quemq; vitulum, qui paſcitur in monte, & præ metu ac terrore ſaltitat. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*; Chariſſimus tamen Patri unicuſque Filius, victor extitit ſicut, unicornis pullus, maximos quoſque tàm facilè ſubvertens, quàm juvene adhuc illud animal infringit ſternitque cornu frutices ſurculoſque arborum: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*: vox ea eſt Domini Dei noſtri quæ diſcindit tonitru in flammas ignis ſejunctas, vique nulla inhibetur. *Vox Domini concutientis deſertum: & commovebit Dominus deſertum Cades*: Ea vox eſt, quæ commovet labefactatque regiones integras, deſerta quæque remotiſſimaque loca, & horridam Cades ſolitudinem ſubruit. Vox eſt quæ ferociſſimos, in vaſta infidelitatis arentique ſolitudine viventes ferarum more commovet: illi enim tremuerunt formidine ad ipſius verbi ſonum, fulgetris, ignibus, gratiæ donis, miraculiſque affluentis, & ad frugem converſi ſunt. *Vox Domini præparantis cervos*: Summi illius Monarchæ vox, fragore ſuo animantes inſtar cervæ timidæ ita perterret, ut facilem reddat maturetque ipſis partum ex formidine; illa quippe animi vim roburque meticuloſis pleriſque impertijt, ad generoſas actiones quamplurimas edendas vim ijs contulit, ut facultatem effugiendi ſæculi, revertendi ad cœlum, inſignia pleraque facinora patrandi. *Et revelabit condenſa*: Colluſtrans ſylvas, & arbores amputans, in apertum protulit quicquid abditiſſimum erat. *Et in templo ejus omnes dicent gloriam*, unde fit, ut nationes univerſæ conveniant in Eccleſiam, ad deferendam ipſi gloriam ac laudem, ejus potentiam & beneficentiam, celebrando.

Vt verbo dicam, verbum Dei eſt, cui debemus mundi converſionem, mutationeſq; ita ſtupendas quas vidimus vi Evangelij editas, cum illud verbum in Apoſtolorum & Concionatorum ore, ſit emanatio participatioque increati Verbi, per quod omnia facta ſunt. Vti igitur Verbum increatum eſt cauſa principalis rerum omnium quæ factæ ſunt, ita verbum prædicationis cauſa eſt inſtrumentalis earum rerum quæ in animis paſſim geruntur; adeò ut illi nihil videatur impoſsibile, immò nec difficile? Quàm enim admirandæ mutationes effectæ? Sapientes in pueros converſi ſunt; ignari in Magiſtros. Quàm multæ abrogatæ conſuetudines? Quæ vitia non abolita? Quid hominibus non perſuaſum, tum ut crederent, tum ut ſperarent, tum ut facerent, tum ut negligerent ac relinquerent, tum denique ut contēnerent aut magnifacerent, idque omnibus ſæculis, apud omnes nationes & gentes in omnibus locis & regionibus? Ex quibus patet quod dixi, indubitatum mihi plane eſſe, miram eſſe verbi divini potentiam atque virtutem. Pari modo

Certum eſt mihi quod eſt alterum; Nullo alio unquam tempore majorem divini verbi copiam fuiſſe, quàm noſtro, ſive Conciones ſpectes, ſeu libros ſcriptos; Et Conciones quidem factas ſine fuco, & ſatis magnâ diligentiâ, ac de rebus utiliſsimis, maximèque facientibus ad profectum. Quid enim aliud reſonant pulpita quàm documenta, quibus erudiuntur omnis generis homines? Quodque aliàs vix in uſu erat, non ceſſat ea doctrina proponi ubivis toto ferè anno, ſeu in publicis exhortationibus, ſeu in colloquijs privatis: ita ut nemo dubitare poſsit, non aliàs majorem fuiſſe divini verbi copiam, & quaſi profuſionem.

Ex his duobus quæ mihi certiſſima ſunt atque indubitata, Tertium eſt, quod me attonitum tenet; unde fiat, ut tàm exiguus ſit hujus laboris fructus, hoc eſt ut tā pauci ſint qui Concionatorum voce permoti priſtinos mores corrigāt, & peccati jugū à ſe depellant uti experientia ipſa teſtatur. Quid enim hactenùs

tenùs non diximus? quæ divini verbi fulmina non torſimus? quas flammas non ejaculati ſumus? quis tamen melior effectus eſt? quis mores mutavit, & vitam? quis rapta reſtituit? quis hoſtibus reconciliatus? quis modeſtior? quis caſtior? quis temperantior? quis moderatior? Et favet ipſum Iſaïæ vaticinium cap. 53. *Domine, quis credidit audidui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?* quod ipſi Apoſtoli Ioannes & Paulus uſurparunt poſtea, cum tam paucos converti viderent, & quod multo magis mirari debeo quam Iſaïas & Apoſtoli mirarentur. Nam quod iſtorum prædicatio initio rejecta fuerint, non ita mirum videri debet ob Chriſti abjectionem, quem prædicabant Deum, cum faterentur in patibulo mortuum. Hanc enim cauſam ſubdit Iſaïas in verbis ſequentibus: *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo:* id eſt, quia inter homines fuit, atque quoad ſpeciem, ſicut myrica inter arbores, *& ſicut radix de terrà ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus, unde nec reputavimus eum*: Sed quod apud Chriſtianos jam nullam habeat vim Evangelica prædicatio; quod qui credunt futura, & expectant Iudicium, qui teſtimoniis Evangelicis credunt, illis tamen non moveantur; hæc vero mihi maximam commovent admirationem. Et huius quidem eventus, cauſas dum quæro, quaſdam ego apparentes, atque omnibus obvias reperio: Sed unam continet hodiernum Evangelium & occultiſſimam, & manifeſte formidabilem, verbis illis comprehenſam, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non eſtis.*

Incipiamus à cauſis maximè apertis vulgoque cognitis.

I. Eſſe poteſt quod quidam ita ſunt addicti vitiis, & quaſi vincti cupiditatibus, ut nulla oratione dimoveri poſſint. Sic quoſdā videas qui aliena detinent; alios qui vindictam de inimicis expetunt; alios vero qui fœmineo amore diſtinentur; quibus ſi ſtatus ſui periculum proponas, ſi terrores & ſupplicia illis conſtituta mineris; anguntur, terrentur, pallent, & in lacrymas ſæpe eunt, ac compunguntur; cupiditatis tamen immanitate vincti, atque alligati, nullo modo ſeſe expedire ab hac ſervitute volunt. quia licet hinc vis timoris Dei eos impellat, inde tamen violentior cupiditatis & impuri amoris æſtus eoſdem abripit, & in contrarium deducit.

II. Cauſa eſt, quod plurimi debita intentione non accedant, unde id fere tantum auferunt, atque reportant quod quæſiverunt, cum ad Conciones audiendas accedunt.

1. Enim aliqui accedunt ducti conſuetudine, atque ſic affecti parum proficiunt: Cum enim nullum habeant ſibi propoſitum finem id tantum colligunt fructus, quod audierint; nulla in re autem immutati exeunt, idque duntaxat lucrati ſunt, quod in actione inutili fuerint occupati.

2. Nonnulli accedunt temporis traducendi cauſa, levandique faſtidii; qui quidem ſe periculo committunt tantumdem damni quam lucri ſecum auferendi; ſe ipſos enim vero aut proſperæ aut adverſæ fortunæ exponunt.

3. Alii ob curioſitatem; unde inanes redeunt. Hinc ſtudium eligendi Concionatores, qui curioſa dicant; & eiuſmodi homines facile judicant, contemnunt & irrident.

4. Ob delectationem, atque eiuſmodi homines adulteri ſunt verbi Dei; itaque nolunt medicamenta, ſed delicias, nec quærunt quam utiliter, ſed quam eleganter, non quam vere, ſed quam apte dicatur, quorum deſiderio nemo ſanus Concionator obſequi debet. Recte dixit Plutarchus eos qui tantum verba ornata quærunt, illis eſſe ſimiles, qui cum venenum

Digitized by Google

nenum ebibiſſent, nollent ſumere pharmacum niſi in poculo fictili ex quadam Atticâ regione vel qui aſperâ hyeme mallent algere, quàm veſtem induere, niſi quæ confecta eſſet ex lana ovium Atticarum: Ita qui delectationem quærunt, in quibuſdam ridiculis hærêt; quòd cùm in aliis congreſſibus, & concionibus veriſſimum ſit, multò magis in Concionibus ſacris, quæ non fiunt ad voluptatem, ut ſcenici apparatus ſed ad profectum. Verum uti dixit Apoſtolus, *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Quinetiam cùm minæ à Deo intentantur, atque acrius vitia reprehenduntur, ea omnia coevertuntur in delectationnem & voluptatem: uti quondam Iudæi cùm audirent Ezechielem prophetantem onera Regum, & regnorum, omnia convertebant in oblectamentum, quaſi non minas à Deo, ſed canticum nuptiale, aut mimicas cantilenas, aut carmina amatoria audirent; qua de re ipſum admonet Deus in cap. 33. prophetiæ ipſius: *Et tu fili hominis; filij populi tui qui loquuntur de te juxta muros, & in oſtiis domorum, & dicunt, unus ad alterum, vir ad proximum ſuum loquentes: Venite, & audiamus quis ſit ſermo egrediens à Domino: Et veniunt ad te quaſi ſi ingrediatur populus* (ſcilicet ad ſpectaculum, aut ad theatrum) *& ſedent coram te, populus meus, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum: Et es eis quaſi carmen muſicum quod ſuavi dulcique ſono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea. Et cùm venerit, quod prædictum eſt, (ecce enim venit) tunc ſcient quòd Propheta fuerit inter eos.* Hactenùs Deus ad Prophetam.

5. Vt reprehendant vel propter odium, vel propter ſuperbiam, ut hinc eruditorum opinionem & famam colligant; quo hominum genere nihil ineptius fingi poteſt. Itaq; cum nihil aliud quærant niſi ut carpant; ſi zelo feratur qui loquitur, aiunt reprimendũ eſſe, ſi molliter agat, adulari aſſerunt: in verbis hærent, in geſtibus, in voce, &c. Homines planè ſimiles Phariſæis & leguleiis qui Chriſti Conciones audiebant ut carperent & morderent; quos ita hodie Chriſtus percellit. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

6. Denique alij ut diſcant; quod faciunt duobus modis; vel videndo quod imitentur, vel fugiendo quod diſplicet: Nam ut ait Plato, uti nos in alterius pupillâ contuemur, ita etiam nos in aliorum moribus, & geſtibus intueri poſſumus. Atque ejuſmodi homines à Concionibus inſtructiores, ſed non meliores evadunt: quibus ego id conſilij darem, ut apes imitentur, quæ primò floribus paſcuntur, deinde in alvearia partem deferunt: vel ex Plutarcho, eos imitentur, qui ad ſitim extinguendam bibunt, quibus ubi eam ſedaverint, licet poſteà aureum poculum, cælaturam ejus & figuras aſpicere. Quid igitur mirum, cum pauci debitâ cum intentione ad audiendum accedant, ſi tám exiguus ab iis fructus colligatur?

III. Cauſa eſt, indiſpoſitio eorum qui audiunt, quæ quidem duplex eſt: 1. eſt generalis in[illegible]â, de quâ Chriſtus ſub imagine terrarum quæ accipiunt ſementem: nam cùm verbum Dei ſit ſemen, uti dicitur Lucæ 8. *Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud: Et aliud cecidit ſuper petram, & natum aruit, quia non habebat humorem & aliud cecidit ſuper ſpinas, & ſimul exorta ſpinæ ſuffocaverunt illud*: quæ omnia ex ſenſu Chriſti accipienda ſunt. 2. indiſpoſitio peculiaris eſt ſpectanſq; actionem audiendi verbum Dei. Sicut enim advertit Plutarchus loquens generatim de modo quo audire oporteat: Sunt qui autumant negotiũ omne verti in eo qui dicit, non autem in eo qui audit, voluntque ut qui

Digitized by Google

veniat orationẽ habiturus eſt, benè præparatus ſeduloq; præmeditatus quæ dicenda ſunt, ipſi verò nulla re ſecũ prius cogitata, neglectoque officio, illic conſident, perinde ac ſi veniſſent tantum̃odo commode cœnatũ, interea dum alij laborent: quanquã is qui advenit cœnaturus cum alio, habet aliquid quod agat, obſervetque, ſi honeſte ſeſe gerere velit: multo igitur plus præſtandum habet auditor, verbi enim eſt particeps ex dimidio cum eo qui loquitur, ac eum adiuvare debet; idque ut minimum faciendum eſt expectando illum qui locuturus eſt. Eam ob cauſam fit precatio: intereſt enim animum ſuum diſponere, ſedare affectus ſuos, facultates animæ colligere, ſuamque mentem quaſi trutina ſuſpenſam tenere cum propoſito obediendi verbo Dei, ſequendique conſilium quod ille nobis dederit, eius voce qui ab ipſo nobis loquitur.

IV. Cauſa eſt; Quia paſſim neſcimus artem audiendi, ullo modo: Licet enim inter homines diſcatur ratio bene dicẽdi nihil tãen curatur ea quæ docet modum audiendi, tametſi una tantum eſt; immo hæc, ſi duplex eſt, pluris etiam interſit quam altera: nam, ut ait Theophraſtus, ex quinque noſtris naturæ ſenſibus, nullus eſt qui plures vehementioreſque in anima concitet affectus quam auditus: At ſi quid eſt ſcientiæ in audiendo quolibet ſermonum genere, longe plus ineſt in verbo Dei recte audiendo Si vellem numeranda exponere quæ in eo peccantur, ſermonem hunc totum oporteret inſumi. Quare quidquid dici poteſt, ad tria tempora reduco, ſatis habens res præcipuas notare, ſcilicet ad illud quod antecedit concionem; ad id quod in ea ponitur; & ad eius digreſſum.

Quod præcedit, mentem poſtulat liberam vacuamque ab omni alia cogitatione importuna, vel immoderato affectu, ac nominatim ab omni ſermone qui adverſetur verbo Dei: nam quemadmodum in vas infundi liquor ullus non pôteſt, ſi aliquo alio plenum eſt ita ſi animus quibuſdam aliis ineptis ſermonibus ante occupatus eſt, divinos non poteſt recipere. Si Plutarchus exigit ut adoleſcentes qui dant operam audiendæ philoſophiæ, intepras puraſque ad eam aures afferant, non mollitas imbutaſque vulgari aliquo ſermone, unde laudat Xenocratis conſilium, volentis dari adoleſcentibus auriculas ferreas potius quam pugilibus, ut parvis ſermonibus non læderentur; multo magis obſervandum illud eſt ad verbum Dei.

Tempore ipſo concionis, præſtandum eſt quod idem docuit ad audiendum uti oportet quodlibet genus ſermonis in congreſſu honeſto; ut ſcilicet afferatur compoſito corporis & animi, quæ nec loquentem nec audientes nobiſcum offendat modeſta ſeſſione in loco, ſine faſtidij ſpecie, recto perſonæ habitu neutram in partem inclinato, defixo in loquentem oculo, geſtu hominis qui attente auſcultet, nitidia & pura conformatione vultus, ſine ulla ſignificatione contemptus, aut moroſitatis, immo & cuiuſvis aut alterius curæ aut cogitationis. Nam in re omni pulchritudo & decor conflatur ex conſona & conveniente menſura concomitantiũ complurium, quæ ſimul eodem tempore concurrant; deformitas autem producitur è minimo illorum quod deeſt, aut redundat, adeſt que ſupra quam oporteat, non appoſite: Sicut nominatim in illo audiendi opere, non ſolum contractatio una ſupercilij, vultus triſte aliquid præferens, aſpectus torvitas, corporis intorſio, cruris unius in alterum decuſſatio indecora; ſed & unicus oculi conjectus, nutuſ-ve corporis, inſuſurratio in aurem alterius, riſus, oſcitatio quaſi proclivis ad dormiſcendum, aliaque eiuſmodi, culpanda ſunt ac reprehendenda, debentq; ſollicite caveri

2. Audiendum eſt verbum Dei cum metu, reverentia & tremore; Jſa. 6. *Audite verbum*

Domini

Domini qui tremitis ad verbum ejus: Ratio eſt, Quia ut ait Chryſoſtomus, ſi litteræ Regis audiuntur ac leguntur cum terrore & reverentiâ; quando magis verba Dei? Nam, ut ait Sanctus Ioannes, *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit.* Ita Ioſias 4. Reg. 12. cum audiſſet verba Legis, ſcidit veſtimenta ſua, quod ita placuit Deo, ut poſt eius mortem diſtulerit quæ minatus fuerat: *Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino auditis ſermonibus contra locũ iſtum, & habitatores ejus.* quod videlicet fierent in ſtuporem, & in maledictum, *& ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me, & ego audivi, ait Dominus: idcirco colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad ſepulturam tuam in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.* Sed nunc quotuſquiſque eſt qui cum audiat judicia Dei ingemiſcat, & ad Deum convertatur?

3. Reflecti animum oportet in ſingularem cuiuſque noſtram diſpoſitionem & ſtatum, neque aſtandum eſt Concioni, ut ſi ſpectaretur Principis introitus, aut exercitus luſtratio, aut publicæ ſupplicationis inceſſus, ſine attentione mentis: minime quidem exigitur ut quicquid concionando dicitur, tecum auferas; at ut te adhibeas inſtar hominis invitati ad convivium, qui non advocatus eſt ut quicquid appoſitum commedat, ſed ut delectum faciat eorum quæ ſtomacho ſuo & appetentiæ congruant.

Deniq; eorum quæ in ea re peccantur graviſſimum, accidit peracta Concione: cum enim deſinitur audire, recogitare ceſſatur, perinde ac ij qui audito egregiæ muſicæ concentu, nihil præter delectamentum exportant. Sanctus Chryſoſtomus conqueritur de quibuſdam temporis ſui, qui poſt Concionem fugiebant (inquit) è templo, ut ſi eos perſequerentur hoſtes ſui, ac familiari comparatione oſtendit exiguitatem fructus quem ex concione referunt, dicendo eos agere ſicut gallina, quæ cum ova foverit, ea ſtatim deſerit, & longiorē ipſorum incubationem ferre non poteſt: minime enim ſperandum eſt illa unquam excluſum iri, quandoquidem ea ſinit refrigeſcere. Recogitandum igitur eſt quod dictum eſt, quid magis nos commoverit, quid nobis magis neceſſarium ſit, quid inde profectus factum fuerit. Neque enim æquum eſt (inquit Plutarchus) cum ſurgitur ex cathedra tonſoris, exhibere ſe ſpeculo, pertentare caput ad explorandum an recte capillos ille exſecuerit, barbamque apte concinnaverit; è digreſſu autem prælectionis, ſcholæque virtutis, non illico ſeorſim ſe recipere ad conſiderandum animum, an depoſito rei alicuius aggravantis, nimioque plus affluentis onere, allevata & facilior ſuaviorque evaſerit. Nam ut ait ariſtoteles, nihil prodeſt labneum nec Concio, niſi ſordes abſtergat.

Hactenus de cauſis magis communibus, & vulgò cognitis, quæ fermè in aliis diſcurſibus etiam moralibus locum habere poſſunt. Sed ut noſtra proprius attingamus;

Vnicam cauſam rei de qua agimus affert Chriſtus Dominus in hodierno Evangelio, omnium maxime formidabilem, his verbis comprehenſam, *Qui ex Deo eſt verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*: Vbi aſſignatur notiſſima ratio, omniumque veriſſima incredulitatis Iudæorum, nempe defectus gratiæ, ſeu motionis internæ: Quia nempe ex Deo non ſunt, etenim *qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* In quorum verborum explicationem,

Advette 1. eſſe ex Deo, vel audire verba Dei, non eſt eſſe à bono principio, & ortum duxiſſe contrarium ei unde improbi procedunt: pridem enim repulit Heracleonem Origines, & Manichæos Auguſtinus. Nam ut ait Leontius, diſcrimen non eſt ſecun-

Digitized by Google

dum naturam, ſed ſecundum electionem.

Non 2. hæc verba pertinent ad prædeſtinationem, uti ſentire viſus eſt Sanctus Auguſtinus, & Gregorius, qui ferè hic à Doctoribus deſeruntur? multi enim prædeſtinati aliquando in peccato ſunt, & audire detrectant, qui poſteà audiunt.

Illos igitur ex Deo eſſe dicit qui Spiritu Dei aguntur, & ipſius voluntatem facere ſtudent, juxta illud Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*; quod ipſe Ioannes explicuit 1. Epiſt. cap. 3. *Qui ex Deo natus eſt, non peccat, quia ſemen Dei manet in illo.* Et iterum, *Qui peccat, ex diabolo eſt*, id eſt, diabolum imitatur, ejus inſtinctu & exemplo movetur, & ducitur. Itaque eſſe ex Deo, eſt afflari impellique à Deo, ejus gratia frui, cujus opera verbum Dei auditur, non aure quidem exteriori, ſed interiori animæ per fidei conſenſum, & executioni mandatur per obedientiam præcepto adhibitam, quod ſignificatur hoc vocabulo (*audit*) Cauſa igitur ob quam non crediderunt Iudæi, fuit eorum cæcitas & obſtinatio, profecta ex ſubtractione gratiæ juſtè ipſis denegatæ, utpote qui Deum non habuerunt pro Patre, ſed filij facti ſunt diaboli cuius ſpiritum ſecuti, moreſque imitati fuere. Quoniam proinde gratia ſubtrahitur juſto Dei judicio, atque in pœnam, propterea rei fuerunt ſuæ incredulitatis. ſublata eſt autem non gratia qua poſſent credere, ſed qua crederent, quia tamen illa gratia privati ſunt, ideò de facto non crediderunt, nec potuerunt conſequenter.

Adverte 2. In his verbis Chriſti duo includi: 1. eum qui ex Deo eſt audire: 2. non audire qui ex Deo non ſunt: quæ duo longè differunt, ſed ambo ſunt veriſſima: in eo enim quòd omnis qui ex Deo eſt, audiat, inſinuatur gratiæ vis, atque virtus: In eo verò quod nemo audiat, niſi qui eſt ex Deo, neceſſitas gratiæ docetur: vis in eo eſt quòd omnis impulſus audiat, ſed neceſſitas quòd non impulſus, nemo audiat. Id diſtinctiſſimè Ioanes docuit cap. 6. Cum enim Iudæi ſignum à Chriſto peterent, reſpondit non eſſe miracula ſufficientia, niſi haberent gratiam Dei: ait enim, *ſed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis*: vidiſtis propter infinita miracula, quibus me vobis manifeſtavi, ſed non creditis, quia ſcilicet fides eſt donum Dei, itaque ſubdit, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*; in quibus verbis S. Cyril. lib. 3. cap. 39. Iudæorum reprobationem agnoſcit, quaſi diceret Chriſtus, Si enim vos non creditis, non deerunt qui credant, multos enim Pater dabit: omnes autem quos dabit, qui multi erunt, quod ſignificat vox (*omne*) venient ad me: Omne (inquam) id eſt, ex omni hominum genere, atque conditione: Et infrà, cum murmurarent de promiſſo in cibum Corpore, ſubdit: *Nolite murmurare in invicem, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*: quaſi diceret, ne murmurate, ut ſi doctrina mea eſſet falſa & incredibilis: defectus qui eſt in vobis, iſte eſt, quòd malitia veſtra vos Patris mei gratia indignos reddidit: Vt ſi Doctor ſubtiliſſima coram ruſticis diceret, ad quæ percipienda oportuiſſet eum ſæpius in ſcholis explicantem audiviſſe, ſi videret ruſticos murmurantes, iis dicere poſſet, ſi quod dicit non capiatur non eſſe doctrinæ falſitatem in cauſa ſed eorum inſcitiam atque ignorantiam: Vox itaque (*nemo*) indicat gratiæ neceſſitatem: *traxit* autem vim ejuſdem, non coactionem: ut enim ait Sanctus Auguſtinus tract. 26. in Ioan. Nolite cogitare invitum trahi, trahitur animus & amore: & infrà, da amantem, & ſentit quod dico: ſi autem frigido loquor, neſcit quid loquor: Vis igitur gratiæ eſt in eo quòd nemo elabatur Deo, quodque homines ſeparet ab amore earum rerum quibus inhærebant. Itaque Origen. lib. 6. contra

Celſum

Digitized by Google

Celſum in fine, Chriſti divinitatem probat ex gentium converſione, quòd ſubjecerit tot populos, nationes, Reges, Imperium Romanum, Senatum, exercitus; in captivitatem redegerit tot intellectus, præſtantiſſimaque ingenia, domuerit tot affectiones, cupiditates, vollunrateſque, ubi neceſſariè vis & violentia extitit, non in voluntates, ſicut cenſuerunt Manichæi, ſed adverſus vitia, errores, conſuetudines, Diabolos, hoſteſque Ieſu Chriſti. Adjicit poſtea idem Chriſtus. Eſt ſcriptum in Prophetis, *Erunt omnes docibiles Dei.* Nempe apud Iſaiam 54. *Vniverſos filios tuos doctos à Domino.* Ex quo vides vocabulum, *docibiles*, debere ſumi in paſſivo, & apertum eſt idem eſſe, Doctum eſſe à Deo & trahi: continuanſque ait, *omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Vbi notat efficaciam gratiæ. In quæ verba dicit S. Auguſt. lib 1. de Gratia. Arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit; non poteſt autem niſi adjutum eſſe, ſi venit. Et inferiùs. Quod Deus docet non per legis litteram, ſed per ſpiritus gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.

Ex his apparet quod dixi, cauſam incredulitatis hominum atque inutilitatis verbi Dei eſſe defectum gratiæ, illius inquam ſingularis & eximiæ, qua qui impelluntur, Filij Dei ſunt; & quâ filij Diaboli juſto Dei judicio deſtituuntur.

Et hîc veram cauſam habes cur tam pauci ex Catholicis convertantur in veram frugem, & ex hæreticis ad fidem, ita ut nec miracula, nec clariſſima teſtimonia, nec rationes evidentes, nec Concionatorum zelus, nec optimorum exempla, quidquam efficiant, defectu gratiæ quâ ſe indignos præſtant.

Vide horum omnium eventum in noſtro Evangelio in Iudæis, qui cùm loquenti Chriſto, deberent credere, eum injurijs laceſſunt ac vocant Dæmoniacum & blaſphemum, deinde lapidare volunt, itaque ab ipſo deſeruntur. *Ieſus abſcondit ſe, & exivit de templo*: quâ in re mirabilis eſt circulus. Nam ſicut ij verbum Dei audiunt, qui ſunt filij, & auditione verbi Dei generantur in filios; ita reprobationem efficit neglectus verbi Dei, & illa reprobatio efficit ne audiant verbum Dei.

Collige 1. Ex dictis nos facile cognoſcere cur cùm tanta ſit divini verbi vis & virtus, tanta ejuſdem frequentia & copia, adeò tamen exiguus colligatur fructus. Quia nimirum ut primas cauſas præteream, pauci ſunt, qui non ſint filij Diaboli, ejuſque ſpiritu agantur: nam licet ſe Catholicos appellent, & Eccleſiæ ac Dei filios, in illos tamen cadit, quod Iudæis, qui ſe filios Abrahæ jactabant, reſpondit Chriſtus, *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo; hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera Patris veſtri*, &c. *Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere*, &c.

Collige 2. Cùm profectus verbi Dei à gratiâ potiſſimùm dependeat, omni ratione connitendum eſſe, ut eam & nobis & alijs obtineamus. Optima igitur diſpoſitio eſt actus contritionis, ut peccatum, & gratiæ indignitas amoveantur. Item oratio prævia, unde conſuetudo in Concionibus Eccleſiaſticis invocandæ Virginis, ut gratiam à Filio nobis impetret. Ita ſæpè orandum pro hæreticis, & peccatoribus ut convertantur, quâ ratioe non minus juvantur quàm eorum labore, & induſtriâ qui concionantur: neque enim omnis fructus concionatori eſt adſcribendus, ſed ſæpius orationi alicujus animæ ſanctioris, quæ gratiam impetravit. Quid enim ſumus, qui auribus veſtris verba ingerimus, niſi dum loquimur, Deus cordibus perſuadeat?

Collige 3. Quid de illis ſentiendum ſit, quibus ſcandalum ſit verbum Dei. Illis haud du-

bie aliquando erit ipſe Chriſtus in ſcandalum & qui nunc eſt lapis offenſionis, erit petra ſcandali. Vnde in officio concionandi, mihi venit ſæpe in mentem ſortem noſtram lugere, qui contra noſtram intentionem multo perdamus, multiſque in ruïnam extiterimus; & ſæpe cogitavi dicere cum Propheta Ieremia cap. 20. *Quare de vulva egreſſus ſum ut viderem laborem & dolorem, & conſummerentur in confuſione dies mei*, &c. quo loquendi genere & proverbiali, maximum ſuum dolorem & angorem animi Propheta ſignificat. Neque enim ſumus ſine graviſſimo dolore, cum videmus nos populis obeſſe contra noſtram intentionem. Quin & penè volui cum eôdem dicere: *Seduxiſti me Domine & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & invaluiſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me. Quia iam olim loquor vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die. Et dixi non recordabor eius, neq, loquar vltra in nomine illius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exaſtuans, clauſuſque in oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens*, &c.

Sed me triplici cogitatione ſuſtentio: 1. me contrarium in vobis eniti facere, nihil omittedo, quo perſuadeam & ea eligendo, quæ maxime & perſuadeant, & percellant animum.

2. Id mihi eſſe commune cum Chriſto, & verbo Dei, quare nihil mihi honorabilibus eſſe poteſt: & ſi contemnat, meus ille compaſſionis ſenſus mutabitur aliquando in indignationem & furorem contra peccatores. *Videam quæſo ultionem tuam ex eis, tibi enim revelavi cauſam meam.*

3. Nultorum nihilominus converſionem & ſalutem inde ſemper ſperandam; unius vero ſalutem, magnam mihi mercedem eſſe, & conſolationem, cum unus prædeſtinatus mihi pluris ſit, quam orbis univerſus. Et illis quidem ego polliceor, hoc magnnm eſſe argumentum illorum prædeſtinationis, quod verbum Dei audiant quia ex Deo eſſe ea ratione compro bantur. Audiant itaque, & eo modo quo diximus audiendum, & executioni mandent, ut cum Dei filios ſe eſſe ſua docilitate demonſtrarint, Deo frui in æterna gloria per Chriſti gratiam mereantur. Amen.

* * *

FERIA

Digitized by Google

FERIA SECVNDA.

DOMINICÆ PASSIONIS.

CONCIO.

De Gratia Actuali ſeu auxilio,

Quomodo datur & aufertur.

Quaretis me, & non invinientis. Ioan. 7.

QVem admodum ij qui uberem abundantemque auri vel argenti venam invenere, non deſiſtunt à labore, donec totam humum perſcrutati ſint, ac locuples illud metallum totum abſtulerint; Ita (inquit S. Ioan. Chryſoſt.) quicunque reperit argumentum inſtitutionibus documentiſque affluens, deſerere id non debet, quoad univerſum exhauſerit. Illud eſt quod me invitat, ex ſermonis heſterni occaſione, ad loquendũ vobis de bono uſu quem facere debetis gratiarũ quas accipitis ab Deo, maximè verbũ eius audiendo, milleq; recipiendo ſanctas motiones, quibus quotidie ferit animos veſtros, & veſtra corda in flamat ut vos ſibi adjungat. Sic enimvero mihi ſemper perſuaſũ fuit, notitiam gratię vobis ſingulariter neceſſariã eſſe, ac plurimũ veſtra intereſſe, non ignorare illuſtriora quæque capita quæ ad eam ſpectant, uti ea quæ pertinent, ad bonum ipſius uſum, aut abuſionem: quo item modo nobis ea liberaliter datur à Deo, vel ſubtrahitur eripiturque culpa noſtra, & juſto ejuſdem Dei iudicio. At de illa uti expedit, cum nequeamus ſine ipſamet dicere, poſtulemus eam per illius merita, quam ut illa plenam ſalutavit Angelus, AVE MARIA.

VNicuique incumbit ſtatum ſuum agnoſcere, alioqui quis ei poſſet ſatisfacere: noſter autem ſtatus, eſt ſtatus gratiæ Rom. 6. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia: lex enim per Moyſem: gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum*: Itaque cognitio gratiæ nobis neceſſaria eſt, eius ſaltem, cuius uſus à nobis exigitur, de quâ priuſquam dicere incipiam, ab ipſo nomine gratiæ inchoandum eſt.

Nota 1. Gratiam in univeſum ſumi vel pro dilectione quâ quis ab alio diligitur, vel pro dono gratis denique pro compenſatione beneficij ex gratitudine, unde veteres tres eſſe gratias dixerunt, Ita D. Thom. 1. 2. q. 110 art. 1. Quæ tertio modo ſumitur non eſt proprie gratia, quoniam oritur ex meritis: recte autem dixit Apoſtolus Rom. 11. *Si autem gratia*

gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia, jam non eſt gratia: Vbi enim eſt meritum præcedens, non eſt pura gratia, neque voluntas gratuita, ſed retributio. Item quæ primo modo dicitur & eſt dilectio, non tam gratia, quam præparatio dicenda eſt, teſte Auguſtino lib. de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 10. Propriè igitur dicta gratia dicitur in univerſum, quodcunque bonum à Deo nobis liberaliter datum.

Nota 2. ſub gratiâ hoc modo definitâ comprehendi etiam donum creationis, omneſque dotes animi, & corporis quas Deus nobis largitur liberaliter; item conſervationē continuam quâ à Deo ſuſtentamur, & ſumus; aërem quem ſpiritu trahimus, terram quam calcamus, lucem Solis, atque aſtrorum, alimenta quibus veſcimur, & alia dona creationis: tùm quia Deus ab initio hæc omnia dedit hominibus, tùm quia Deus nobis poſſet hæc omnia per miraculum auferre, ſine ullâ injuſtitiâ & ingratitudine; unde quia ejuſmodi bona nobis liberaliter largitur, propterea de ijs gratias illi agere debemus. Hoc genus gratiæ, nimirū creationis, & conſervationis, fatebatur Pelagius teſte S. Auguſtno Epiſtola 05. cū in Concilio Palæſtino ſuā hæreſim retractans coram Patribus orientalibus, dixit ad ſingula opera bona neceſſariā eſſe gratiā; quò nomine intelligebat donum creationis, & conſervationis: quod quidem verum eſt: ſed ejuſmodi dona non ſolent appellari nomine gratiæ in Sacris Scripturis, uti docent Auguſtinus Epiſtola 95. & S. Hieron. in Dialogo 1. contra Peladianos. Nomine itaque gratiæ intelligimus quodcunque donum nobis à Chriſto datum, ſeu ejus intuitu nobis à Deo conceſſum, unde paſſim vocatur gratia Chriſti, ſeu gratia per Chriſtum: qualis non eſt creatio, conſervatio, & aliud bonum naturæ: Nam ut ait Auguſtinus Epiſtola 105. Chriſtus pro nullis, ut homines conderentur, ſed pro impijs mortuus eſt, ut juſtificarentur. Quare etiamſi creatio Dei donum ſit, non eſt tamen gratia Chriſti, nam ipſe non nobis meruit dona creationis, ſed gratiam benè vivendi, ſue quæ ad ſalutem pertinent.

Nota 3. Gratiam per Chriſtum, quæ communiter à Sanctis Patribus ſimpliciter gratia dicitur; prout diſtinguitur à quocunque dono creationis, dividi à S. Thoma 1. 2. q. 111. & alijs Theologis, in gratiam habitualem, gratiam gratis datem, & gratiam actualem. Gratia habitualis, eſt gratia gratum faciens formaliter, ſeu diſtinguatur ab habitu charitatis, quod puto probabiliùs, ſeu non diſtinguatur; & vocatur ab Auguſtino Epiſtolâ 105. gratia remiſſionis peccatorum, quæ nobis infunditur per omnia Sacramenta; & illa eſt de quâ dicimus aliquam eſſe, vel mori in gratiâ. Gratia gratis data, ſunt ea dona quæ dantur in bonum aliorum, ut donum prophetiæ, linguarum, ſanitatum & ſimilia, quæ ſervant nomen generis, quia ſunt gratiæ omnium minimæ, quippè quæ directè non pertinent ad bonum eius qui eas recipit. Gratia actualis, eſt auxilium Dei quod per ſingulas occaſiones quotidie nobis offertur ad rectè pièque vivendum, ad obſervanda mandata, ad vincendas tentationes, ad opera bona, ad mala fugienda, & hanc gratiam vocant Concil Milevitanum Can. 3. & 5. Carthaginenſe Can. 78. & Auguſtinus & alij paſſim, gratiam in quâ juſtificamur, ſeu gratiam juſtificationis, non quia formaliter illâ reddimur juſti, ſed quia eâ adjuti per ſingulas occaſiones ad juſtificationem movemur, atque diſponimur, aut in juſtitiâ acceptâ creſcimus, & perſeveramus: Et de ejuſmodi gratiâ SS. Patres cum Pelagio contenderunt, cùm de gratiâ, aut de prædeſtinatione certavère.

Nota 4. Nomine auxlii ſi paulo latius hoc nomen accipiatur, intelligi poſ-

Digitized by Google

ſe duplicem gratiam; unam exteriorem, alteram interiorem: primam non negavit Pelagius, ſecundæ neceſſitatem non agnovit. Exterior eſt id omne quo Deus utitur ut nobis vel occaſionem, vel commoditatem præbeat, rei alicuius ſpectantis ad ſalutem, quodcunque tandem ſit, modò extra animum ſit; & hæc gratia in plura vagatur. Talis fuit doctrina Evangelica, Apoſtolorum prædicatio, Sacramentorum inſtitutio, Sacrificium Miſſæ, libri ſpiritales, Conciones, admonitiones, Correctiones, conſilia, mandata, aliorum exempla, miracula, prodigia, Sanctorum hominum, & piorum preces, Angelorum cuſtodia, Sanctorum protectio, Virginis patrocinium: ad hæc, tribulationes, afflictiones, adverſitas, mali eventus, vel è contrario proſperitas, boni eventus, aliorum ruina & mors, egeſtas anni, damnum aliquod & jactura, morbus, noſtrorum amiſſio, & fermè quidquid in vita ſe offert, ſecundum illud Apoſtoli Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: Nam ſicut corpus animæ ſervit, ita quidquid contingit exterius, illud animæ & ſaluti ex divina ordinatione prodeſt: Huc pertinet Concionatorum zelus, tractatio hujus vel illius materiæ, ſecundum illius vel illius hominis diſpoſitionem: nihil enim Deo fortuitum eſt: unde infinita quotidie contingunt, in quibus Deus noſtri rationem habet, & multa etiam ex eadem cura diſponit intuitu meritorum Chriſti, immò plurima ordinantur, & in rerum ordine mutantur ex eius voluntate, ex quo uti dicit Math. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*: licet enim res videantur eſſe naturales ſecundum ſubſtantiam, ordinantur tamen altius ad hominum ſalutem, & ex illa ordinatione aliquò modo ſpectant ad ordinem gratiæ, unde non tantum à Deo proficiſcuntur ut authore naturæ, ſed etiam à Chriſto, ut Redemptore.

Interior autem gratia quæ propriiſſimè auxilii nomine intelligitur, de qua fuit diſputatio SS. PP. cum Pelagio, eſt ſpeciale auxilium Dei ad rectè vivendum, per Chriſtum nobis gratis collatum. In duobus autem conſiſtit ex doctrina Concilii Arauſicani can. 7. & Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 5. nimirum in illuminatione intellectus, & in voluntatis impulſu, quem Arauſicanum vocat ſuavitatem in conſentiendo; & Tridentium, tactum cordis; Auguſtinus primam vocat viſorum ſuaſionem, lucem, admonitionem, vocationem, certam ſcientiam, auditionem à Patre, *&c.* Alteram appellat, amorem, voluptatem, delectationem, ſuavitatem. De utraque ſic loquitur lib. de peccat. meritis & remiſſione cap. 17. Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, *&c.* Porrò ſicut ſunt innumeræ illuſtrationes, quæ nobis à Deo veniunt; *illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum*, ita innumeri quoque ſunt affectus quibus cor tangitur. Eorum autem omnium natura eſt eſſe actus. Nam in potentiis duo tantum addi poſſunt habitus & actus: habitus, ſunt permanentes, & in dormientibus etiam reperiuntur; actus verò ſunt tranſeuntes. Porrò horum omnium actuum nullum eſt in nobis principiū, aliunde enim nobis dantur. Itaque, uti loquuntur Theologi, eos Deus in nobis operatur, ſine nobis; ſine nobis quidem; quia primum eorum & principale principium, non eſt in nobis; quia ipſe Deus eos operatur, licet noſtro intellectu ac voluntate tanquam inſtrumentis velut Dominus utatur, ad voluntatem: ſine nobis, quia ſine nobis liberè agentibus; nam omnem libertatem prævenit, & omnem aliunde ortā determinationē: cum enim naturaliter intellectus vel moveatur ab objecto vel à libertate, & voluntas vel ab intellectu & cognitione determinetur, vel à ſeipſa: hic

Deus, primum eſt agens determinans reſpectu horum actuum, & ſuprema poteſtate, utitur intellectu & voluntate, ut eos actus in illis producat: qua ratione propriè dicitur illabi in animam noſtram, quod nulli alteri ſubſtantiæ etiam Angelicæ convenit: nam cætera extrinſecus tantum agunt in animam, Deus autem interius: quod præclarè explicat S. Bern. lib. 5. de Conſid. cap. 5. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens: ineſt hortans ad bonum, non bonum creans: Deus ſic ineſt ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur, ut participetur: Angelus ergo cum anima, Deus in anima: ille ut contubernalis animæ ineſt, Deus ut vita.

Ex his duabus primis gratiis interior ſupra exteriorē eſt: nam interior ſine exteriore prodeſſe poteſt, exterior ſola nihil efficit. Nihilominus ſæpe Deus utitur occaſione exterioris, ad producendam interiorē, uti utitur Cōcione ad bonos motus ingenerandos. Sed ſi ſola ſit prædicatio ac Deus nil efficiat interius, id continget quod heri dicebamus ex Joan. 8. *Propterea vos nō auditis, quia ex Deo non eſtis*: Item *nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum*: Auguſtin. lib. de Prædeſtinat. Sanctor. cap. 7. In vanum laborat prædicando ædificans fidem, niſi eam Dominus miſerando ædificet: quod cap. 8. probat ex Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me*: In quæ verba ſic commentatur. Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Deus auditur, & docet: Multos videmus venire ad Filium, quia multos videmus credere in Chriſtum, ſed ubi, & quomodo à Patre audierunt hoc, & didicerunt, non videmus: nimirum gratia iſta ſecreta eſt, gratiam verò eſſe, quis ambigat, *&c.* Duæ autem gratiæ internæ æqualiter ſunt neceſſariæ, & ſemper ſunt ſimul, cùm enim ad conſenſum ordinentur, neceſſaria eſt intellectio ut objectum non ignoretur, & illa ſuavitas in voluntate ut non diſpliceat, *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* His poſitis.

Dico 1. Nihil magis dari à Deo gratis hominibus quàm gratiam, & conſequenter nihil minus deberi; ut ait Apoſtolus Rom. 11. *Si autem gratia jam non ex operibus, alioqui gratia jam non eſt gratia*; nam non debetur ex juſtitia; Deus enim nihil ita debet alicui abſolutè loquendo: 2. non debetur operibus, quia non cadit ſub meritum, cujus ipſa eſt initium: 3. nec debetur naturæ, quia ſupra naturam eſt; uti Deus debet homini membra, & facultates naturales, quod natura hæc exigat: hinc fit ut dicatur gratia, quia gratis datur.

Dico 2. Nullius conſequenter rei uſum bonum à nobis plus exigi, quàm gratiæ, & nullius rei abuſum, magis puniendum: quia 1. nihil minus pertinet ad hominem, cū nullum ad eam jus habeat: Si itaque membrorū ſuorum, ſi facultatum animæ, ſi divitiarum, ſi temporis, ſi ingenii, ſi poteſtatis, ſi favoris, & authoritatis rationem reddere debet, quantò magis gratiæ, quam ſupra ſuum meritum accipit, & quam ex alterius voluntate, utendam accepit? unde ex Baſil. gratiam ſequitur judicium: 2. Quia nihil pretioſius in bonis accepit: Quoniam gratia ordinis eſt divini, itaque plus valet, quàm orbis univerſus: Immò ſupra omnem naturam eſt Angelicam, & humanam, immò & creabilem.

Dico 3. Nec porrectionem gratiæ, nec ejus infuſionem, eſſe in hominis poteſtate: hoc eſt neque hominem efficere poſſe ut ſibi detur: non 1. quia ſupra hominem eſt: non ſecundum; quia id pertinet ad ſummum Dei dominium, & ad dominium ſupernaturale, quod nulla ratione impediri poteſt. Itaque nemo impedire poteſt ingreſſum gratiæ; etenim Deus etiam anima reluctante, ipſam illuminat, in eam ingreditur, ei loquitur, ei blanditur, eam terret: & ita perditiſſimus quiſque nihil poteſt efficere, quo Deum impediat.

Digitized by Google

pediat. Hoc vide in Pharaone, de quo dicitur Rom. 9. *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam.* Hoc quotidie peccatores experiuntur licet nolentes. Hic audit reſtituendum eſſe; hic omnia vana eſſe; hic moriendum eſſe aliquando, & omnia deſerenda; Ille homo turpiter irretitus amoribus, nil pulchrius eſſe caſtitate, *&c.*

Dico 4. Licet creatura impedire non poſſit oblationem gratiæ, poſſe tamen eam rejicere, & obluctari quantacunque ſit, poſita quacunque determinatione, poſita quacunque illuminatione, poſito quacunque impulſu. Probatur ex Trid. ſeſſ. 6. can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit: Et cap. 5. loquens de diſpoſitione ad iuſtificationem, ait initium duci à gratia præveniente ſeu Dei vocatione: addit autem hominem aliquid agere, quid autem agat, ſubdit, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam, & abjicere poteſt: unde in ſacris literis cum dicitur *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; libertatis noſtræ admonemur: cum reſpondemus, converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur. Ratio eſt. Quia gratia neminem cogit, ſed invitat, nemini vim infert, ſed vocat: Gratia enim non tollit libertatem, ſed perficit: Item gratia unum eſt principium meriti; itaque meritum non tollit, quod faceret ſi tolleret libertatem: quod innumeris locis docet S. Auguſtinus: & certè nimiũ patet & noſtra & aliena experientia.

Nota itaque duplicem eſſe gratiæ effectũ; unus eſt formalis, alter eſt effectivus: formalis non poteſt impediri; itaque non poſſum impedire ſi gratia ſit in intellectu, quominus aliquid videam quod non videbam: ſi ſit in voluntate, quominus aliquid mihi ſit ſuave, quod antea non placebat: effectivus poteſt impediri, & ille eſt conſenſus, quia cum ſint conſenſus duæ concauſæ, gratia & liberum arbitrium, ſi una concauſa non agat, effectus non prodit; nam una cauſa ceſſante, altera ceſſat; & hanc ceſſationem vocat Concilium reiectionem gratiæ.

Dico 5. Illam divinæ gratiæ reiectionem duobus ferè modis accidere: 1. poſitivè per formalem diſſenſum, & pugnam cum Spiritu Sancto; ſecundum illud Act. 7. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri ita & vos*: eò enim aliquando procedit hominis impudentia, ut directè ſe opponat Deo: Audi quid dicat Pharao Exod. 5. *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? neſcio Dominum & Iſraël non dimittam*: & Ier. 2. *A ſaculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti non ſerviam*: Et quanquam id horrendum videatur, ſæpiſſimè tamen fit à nonnullis 1. ex peccandi aſſuetudine, ex qua fit ut paulatim & pudor & timor abjiciantur: 2. cum peccator grave aliquid ſemel commiſit: 3. cum penitus abiecta eſt conſcientia, & publicè peccatum eſt, & omnis verecundia ſublata: 4. cum gravis paſſio, aut ira, aut doloris, aut vindictæ, aut triſtitiæ, & deſperationis, aut cum vehemens aliqua cupiditas, aut amoris furor animum occupavit: Eo etiam revoco cum anima dicit non quidem ſe aliquid nolle, ſed ſe non poſſe; eodem quippè reducitur; hoc enim ſignificatur, cum id non poſſit niſi cum magna difficultate, ſe conſequenter id nolle, cum aliter velle non poſſit, & abſolutè laborem nolit.

2. Reiectio fit negativè, quando ſcilicet nõ adhibetur cooperatio, ſive per meram ceſſationem, atque animæ negligentiam, cuius exemplũ habemus in Sponſa Cantic. 5. decumbente in lecto ad cuius oſtium cum diu pulſaſſet & ſtetiſſet Sponſus *aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*: ipſa occaſionem prætexens ſe excuſavit: *Expoliavi me tunica mea, quomodo*

do induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? & ita Sponſum abire permiſit imprudens, quem poſtea cum recuperare voluit, non invenit: adeò celeriter pertranſit gratia: cum enim ſit actus tranſiens, perit, & cogitatio, & affectus, & manet tantum recordatio, quæ non eſt ipſa vox Sponſi, & ipſa gratia: quod fit quoque ſive per voluntariam animæ ad alia diſtractionem: Ita Martha relicto Domino, ad domus miniſterium divertit ſecundum illud Lucæ 10. *Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius, Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium*: ſive per aſſumptionem alicujus actionis, aut rei incompoſſibilis: Ita Jonas, uti dicitur in cap. 1. prophetiæ ipſius; *ſurrexit ut fugeret in Tharſis à facie Domini*, &c. *deſcendit in Ioppen, & invenit navem euntem in Tharſis, & dedit naulum eius, & deſcendit in eam ut iret cum eis in Tharſis, à facie Domini*: Idem facit qui ſe matrimonio ligat, cũ à Deo vocatur ad perfectionẽ religioſam.

Dico 6. Omnem gratiæ rejectionem, ut cætera, & graviora præteream, continere inſignem inurbanitatem, & ingratitudinem erga Deum. Quantum enim eſt 1. Deum creaturam ſuam, qua nulla in re indiget, prævenire ad dilectionem? 1. Joan. 4. *In hoc eſt charitas non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* 2. Quòd offenſus quærat reconciliationem: cogita enim quàm ægrè id impetremus ab hominibus inter homines, & quàm id fieri ſit impoſſibile à principibus. 3. Quòd non ſolum eos qui ſe offenderunt quæſierat, ſed cum actu eum offendunt: Id enim ſignificant verba Apoſtoli Rom. 5. *Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus*, id eſt, cum non tantum peccaſſemus, ſed quotidie adhuc peccaremus, peccata peccatis addentes, *ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*: videas enim quotidie homines in actu peccati etiam à Deo vocari; tanta eſt Dei bonitas, & hominis malitia.

Dico 7. Deum non relinquere ejuſmodi neglectum gratiæ cum tanta ingratitudine conjunctum, manere inultum, ſed eum multiplici pœna mulctare, idque meritò propter maximam rei indignitatem. Non enim finitur anima non reddere debitum: & ideò aut reddet faciendo quod debet, aut reddet patiendo miſeriam; quia tanta eſt beatitudo juſtitiæ, ut nemo ab ea deficiat, niſi ad miſeriam. Multiplicem hujus rejectionis pœnam Deus exprimit in hodierno Evangelio.

1. Exprimitur illis verbis. *Quæretis me*, & ſignificatur amiſſio gratiæ neglectæ; non enim quærit, qui habet; & aliarum multarum ipſi annexarum, & ipſam conſequentium. Etenim ne minima quidem gratia rejicitur, ſine duplici damno: 1. Eſt quia ipſa amittitur: neque enim cogitatio & motus ſemper durat; ſemel autem extincta nunquam redit; 2. Quia aliqua alia aufertur quæ danda fuiſſet, unde fit ut paulatim homines ex parva negligentia delabantur in ſumma mala, quia ſcilicet gratiæ ſequuntur ſe: ac fortaſſe illi cogitationi quam reſpuis connexæ erant multæ gratiæ: Huc facit exemplum, Rebeccæ, Geneſ. 24. cum ab ea ſervus Abraham Eliezer aquam ſibi & camelis poſtulavit: Ita enim iſte ſervus apud ſe ante locutus fuerat, orando Deum: *Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius civitatis aggredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero; inclina hydriam tuam, ut bibam; & illa reſponderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt quam præparaſti ſervo tuo Iſaac, &c.* Et ea re conſtituta ſic accidit: *Et ecce Rebecca egrediebatur*, &c. *quæ reſpondit, bibe Domine mi*, &c. *Cumque ille bibiſſet, adjecit. Quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant*: Hinc fieri meruit uxor Iſaac, & ut ex ea Chriſtus ortum acciperet. Ita Chriſtus cum à Samaritana aquam petiiſſet, dixit

dixit Joan, 4. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.* Hinc videas ſæpè in Scripturis indicari, vel ex uno facto dependiſſe omne alicujus hominis bonum; vel è contrario omne infortunium. Id vide in Abrahamo, cujus cum ſint opera præclariſſima innumera, tamen Scriptura videtur omne ejus bonum ex uno facto acceſſere, de quo ſic ait: *Tentavit Deus Abraham*, & poſt factum, dicitur Geneſ. 22. *Nunc cognovi quod times Deum, & non peperciſti unigenito tuo propter me*: Neque hoc ſemel dicere contentus, cum ſecundò Abraham vocaſſet, dixit. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito, propter me; benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & BENEDICENTVR IN SEMINE TVO omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Vide contrarium in Saule 1. Reg. cap. 13. qui præproperè ſacrificavit contra placitum Samuelis, cum videret bellum ſibi imminere. Erant in hoſtibus triginta millia curruum, quinque millia Equitum; à parte Saulis dilabebatur exercitus, cum religioni duceret certamen inire inauſpicato, & ante ſacrificium, quod ipſe excuſat apud Samuelem: *Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtũ:* cui Samuel: *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Dei tui quæ præcepit tibi. Quod ſi nõ feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnũ tuum ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget. Quæſivit ſibi Deus virum juxta cor ſuum*: Conſidera varia fuiſſe peccata Saulis: Cum enim 40. annos regnarit, dicitur tamen regnaſſe tantum duobus annis, unde ſignum eſt 38. annis non placuiſſe Deo; & tamẽ eius prima reprobatio tribuitur huic inobedientiæ, unde dicitur, cap. 16. *Et directus eſt Spiritus Domini à die illa in David*, & deinceps: *Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino*: Sed nimirum uti dicitur Sapientiæ 11. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Hinc timere admodum debes, ne aliquid omittas, quod ſcis Deum à te velle, & ad quod te frequenter impellit. Quid ſcis an inde omne bonum tuum, aut infortunium dependeat? Vide ne ad te pertineat quod dicitur Deuteron. 17. *Quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra*: Huic rei ex parte innititur quod dicitur à Sapiente Proverb. 28. *Qui ſectatur otium, replebitur egeſtate.* Unde Chryſoſt. hoc parum, non eſt parum, ſed eſt ferè totum.

2. Pœna eſt. Quod anima ſic privata gratia, quæ alias ultra ſe offerebat, & qua abundare ſolebat, jam illam quærere cogatur, ſecundum illud. *Quæretis me*; qua in re duo cogita. 1. Neminem, uti oportet, id vereri & cogitare. Sicut enim qui vivunt in rerum omnium copia, fingere ſibi animo non poſſunt, ſe in eam egeſtatem venire poſſe, ut rebus etiam neceſſariis careant; ita nos in abundantia divinarum inſpirationum cogitare non poſſumus, nos adduci eo poſſe, ut omnia à nobis auferantur. Cogita miſerum ſtatum filii prodigi. *Quanti* ajebat, *mercenarii in domo Patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo?* Cogita ſtatum deſertæ Synagogæ. Quis credidiſſet illam aliquando deſerendam, quæ ſic à Deo amata fuiſſet, cui ipſe fuerat loco Sponſi? Quoties ei fuerat adblanditus? quoties ſtabilitatem promiſerat, non vocandam unquã derelictam? Iſaiæ 49. *Numquid oblivviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper*; Vide tamen præſentem ejuſdem Synagogæ ſtatum miſerum, & omnibus lachrymis non ſatis lugendum, cum ipſa ſit à Deo reiecta, & reprobata. Eodem modo quàm multorum diſſimilis ſtatus. Vidi

Digitized by Google

qui poſt admiſſum grande peccatum fateretur ſe per plures menſes nō habuiſſe vel unam bonam cogitationem. Et certè quæ alia cauſa eſſe poteſt, cur quidam homines ad omnia ſcelera proiectiſſimi, tam gravia peccata admittant, impietatis, iniuſtitiæ, crudelitatis, fœditatis, nequitiæ, & infamiæ, niſi quia omnibus ferè gratiis exquiſitis, & ſingularibus, meritò privantur? Itaque in intellectu carent lumine congruo, & aptis cogitationibus; & in voluntate motu peculiari. Idcircò nullum bonum illis placet, ſed potius omne malum arridet, & ut dicitur in Pſalm. 35. *Aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.*

2. Cogita quantum ſit illud ſupplicium, & quam ſint diverſi ſtatus, cum tibi quærendum erit, petendum, & pulſandum: cum Deus ſurditatem finget, aut currendum tibi erit cū Sponſa per vicos, & plateas, *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Id optimè in ſe Jobus expreſſit cap. 29. *Quis mihi tribuat ut ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me? quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris: Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo: Quando erat omnipotens mecū, & in circuitu meo pueri mei: Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei:* Vide quomodo eiuſmodi mutationem deſcribat Jeremias Propheta cap. 4. Lament. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion incltyi, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli,* &c. *Qui veſcebantur voluptuosè interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora,* &c. *Candidiores Nazaræi eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphyro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis; adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Quàm grave eſt in fortunæ mutatione ex divite pauperem fieri? Quam illud lugubre, ut qui olim rebus omnibus abundabat, cogatur ſtipem petere? Quis ſenſus divitis Epulonis, quandò coactus eſt guttam aquæ poſtulare à Lazaro? Quàm diſſimilis à ſe Adam florens in Paradiſo, & inde poſtea eiectus?

3. Pœna; Denegabitur gratia, ſecundum illud, *& non invenietis.*

Nota 1. Ex Leſſio lib. 13. de Divin. perfectionibus cap 15. Etſi Deus ſemper pœnitentibus remittat culpam, & pœnam æternam, ac ſæpiſſimè etiam temporalem, in quam æterna eſt commutata, non tamen ſemper condonare pœnam ſpiritalem, conſtitutam in aliqua particularium auxiliorum denegatione, vel afflictionum internarū permiſſione: Sed ſæpiſſimè intuitu præcedentium peccatorū, ut ea vindicet, eiuſmodi pœna uti. Idem dicitur de permiſſione pœnæ corporalis, & afflictionis externæ: licet enim directè hanc pœnam non infligat, eas tamen afflictiones permittit, ac ſinit evenire, quas alias avertiſſet, ſi talia peccata non fuiſſent perpetrata. Exemplum habemus in Davide, cui licet adulterii, & homicidii culpa dimiſſa fuiſſet, & pœna in ſolidum directè debita, ipſe tamen diu poſtea ob illud peccatum à Deo punitus fuit, rebellione Abſalon, & nefando inceſtu, quo ille uxores Patris ſui coram omni populo fœdavit; hæc enim omnia Deus permiſit in peccati Davidis vindictam, uti apertè ei Nathan prædixerat: eſt itaque punitus pœna permiſſiva: aliud enim eſt condonare culpā, & pœnam directè debitam, aliud autem impertiri priſtinos favores, & omnem amicitiæ fiduciam: primum fit in omni reconciliatione, non autem ſecundum. Hinc verò ſæpe contingit ob ſimilem pœnam permiſſivam, & ſublata maiora auxilia, damnatio: innumeri enim cum maioribus auxiliis, perveniſſent ad ſalutem; qui cum minoribus, exciderunt

cidere: quibus forte maiora illa data fuiſſent, niſi peccata aliqua gravia interveniſſent, propter quæ, prima illa diſpoſitio mutata eſt. Idem dico de tentationibus gravioribus: plurimi enim ſalvari fuiſſent, niſi pulſati tentationibus, in interitum pellecti fuiſſent, quas tentationes Deus non permiſiſſet, niſi prioribus peccatis homines illud meruiſſent.

Nota 2. Non tantum peccata mortifera, ſed etiam peccata venialia puniri à Deo ſubtractione certorum auxiliorum, & variarum tentationum, & afflictionum internarum, & externarum permiſſione. Qui enim negligenter Deo inſervit, nec omnes in eum evitat offenſiunculas, meretur, ut Deus viciſſim nō tantam eius curam gerat, non tantum foveat beneficiis. Hinc venialibus duo tribuuntur incommoda: primum eſt, quod minuant fervorem, ſubtractis & diminutis auxiliis gratiæ: Alterum quòd ad mortalia diſponant, quod fit eadem via & augeſcentibus tentationibus, & conſuetudine in parvis ad majora diſponente: actuum enim frequentatio, & generat inclinationem, & ſenſim tollit metum offenſionis; ut hinc unuſquiſque intelligat magnam prorſus habendam rationem venialium.

Nota 3. Non tantum ob peccata, ſed etiam ob teporem, & neglectum quendam divinarum inſpirationū, qui per ſe non ſit peccatum, divina auxilia ſæpe minui: cui enim Deus multas immittit inſpirationes, & quem ad magna evocat, ſi ille vel animi puſillanimitate, vel amore ſuorum commodorum, Deū non ſequatur, nec vocationi obſecundet, meretur in poſterum eiuſmodi vocationibus deſtitui, nec tantis prævenire excitamentis, unde multæ inſurgunt tentationes, multæ afflictiones corporis, & animi, & multa ſalutis pericula: His poſitis.

Vide pœnam 3. neglectæ gratiæ, quòd nempe quæretur, & non invenietur; quia nimirum veniet illud tempus cum gratiam neglectam requiras, ſed negabitur: quia ſuo tempore datur, & alieno negatur, ſuo autem neglecta eſt. Vide exemplum in Saule. Cum enim Samuelem habuiſſet, à quo diſcebat omnes Dei voluntates, poſtquam tamen inobediens fuit in cæde Amalecitarum, factum eſt in ſumma belli neceſſitate, & negotiorum anguſtia, cum quæreret à Deo per oraculi reſponſionem quid agere deberet, ut Deus ne uno quidem verbulo reſpondere voluerit, 1. Reg. cap. 28. *Et vidit Saül caſtra Philiſtiim, & timuit, & expavit cor eius nimis*; ubi eſt cor illud quod ei Deus dederat initio ſuſcepti regni, cap. 10. *& immutavit ei Deus cor aliud*: ſed vide quæ ſequuntur poſt timorem: *Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*: Unde inops conſilii coactus eſt miſer recurrere ad Pythoniſſam, & Dæmonem conſulere, ex quo deſperatio ſumma, & miſerabilis Regis interitus. Vide alterum in eius ſucceſſore exemplum in Rege ſanctiſſimo, ſcilicet Davide, viro ſecundum cor Dei, cuius tamen peccatum, etiam remiſſum ſic punit Deus: nam ut dicitur 2. Reg. cap 15. Cum fugeret à facie Abſalon, cum inter cæteros ſecutus eſt Sacerdos Abiathar ſimul cum arca Dei: Itaque conſulturus David Dominum de itinere, & de eius ſucceſſu; ait textus. *Et depoſuerunt Arcam Dei, & aſcendit Abiathar*, nimirum ut conſuleret Dominum, ſed ut refert S. Hieronymus, noluit Deus reſponſum dare, unde David intellexit iratum ſibi eſſe Deum: Itaque *dixit Rex ad Sadoc*: *Reporta Arcam Dei in urbem: ſi invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum: Si autem dixerit mihi, non places, præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe*: Vide diſſimilem fugam Davidis coram Saüle, & coram Abſalon: Primò tempore, cum eſſet homo privatus, ſemper à Deo reſponſum accepit, quo-

quoniam David gratiæ ſemper reſponderat: Sed poſt offenſam, licet Rex reſponſum quæreret, non accepit; ut ſcias pœnam neglectæ gratiæ, eſſe illam modis omnibus quærere, nec tamen quæſitam invenire. Vide etiam propius exemplum in Judæis de quibus eſt mentio in Evangelio; Illa enim Chriſti vox ad illos, *Quæretis me, & non invenietis*, ſimul fuit comminatoria, & Prophetica: Etenim uti refert S. Chryſoſt. in obſidione Hieroſolymitana Judæi Chriſtum in ſua extrema afflictione quæſierunt, ſed fruſtra: Nam à falſis Chriſtis ſunt decepti, nec verum Chriſtum habere potuerunt: *Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*: Deinde, in ſpiritalibus, ſemper erunt quærentes Chriſtum ſibi promiſſum, nunquam tamen ſic quærendo invenient: Siquidem vero Chriſto rejecto, omnis qui alium quærit, non invenit: Itaque loco veri Chriſti in pſeudochriſtos inciderunt, ſtudiique ſui, atque laboris in quærendo non ſolum nullum fructum, ſed etiam damnum maximum, nimirum errorem retulerunt. Id iam in Judæis perſeverat, ſemper enim inquirunt, & deinceps etiam inquirent Chriſtum: non tamen quandiu ſic quærent, invenient: ſpreta enim veri Chriſti prædicatione, verus Chriſtus inveniri non poteſt; fruſtra quippè venturus expectatur, qui iam venit. Ita unuſquiſque qui oblatam ſuo tempore gratiam reſpuerit, idem patietur, ut fruſtra gratiam quærat, nec inveniat; ſecundum illud Jerem. 11. *Clamabunt ad me, & non exaudiam*: Et Iſaiæ cap. 1. *cum extenderitis manus veſtras, avertam faciem meam: cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam*. Fuerat illud tempus cum ſemper Deus peccatori aſtaret, & in omni occaſione eum præveniret, iuxta illud Cant. 5. *Sto ad oſtium, & pulſo*: Quam durum erit peccatori, non modo non videre ſemper prævenientem, ſed nec reperire poſſe cum volet! Memento lachrymarum Magdalenæ, cum Chriſti corpus quæreret. Quanto magis cum gratiam quæres. Sed tandem Magdalena non Chriſti corpus, ſed ipſum Chriſtum invenit: Tu vero gratiam quam quæres non invenies, idque iuſto Dei iudicio, cum toties obvium, toties occurſantem, toties tibi præſentem & ſe ultro offerentem neglexeris.

4. Pœna. Non ſolum anima cogetur quærere gratiam, poſtquam tandiu eam in ſua poteſtate habuit; neque ſolùm etiam minimè reperiet, poſtquam diu quæſierit; ſed nequidem ſciet ubi quærat. *Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos. Quo hic iturus eſt, quia non inveniemus eum? Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt*: (Id eſt; an non in diſperſas ubique gentes, ex unis in alias regiones, perpetuo commigrans, ac nullibi ſede certa commorans, ut inveniri non poſſit?) *& docturus gentes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit, quæretis me, & non invenietis, & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire*? Hic vide miſerum ſtatum Iudæorum, quomodo verba Chriſti perversè acciperent: illi enim loquebatur de ſuo ad Patrem diſceſſu per mortis iter: item, aiebat Iudæos caſuros à gloria, nec ituros quo eſſet venturus: ipſi tamen intellexerunt de corporali profectione in varias regiones; cumque hac etiam ratione ſibi non ſatisfacerent, iterum de re ipſa addubitabant, dicentes, *quis eſt hic ſermo quem dixit*? Hic habes imaginem eius hominis qui gratiam oblatam contempſit: cum enim eam volet, non intelliget qua erit ipſi quærenda; itaque quam ſæpe abſurdas eius rei habebit cogitationes? Quàm hærebit dubius, quam viam inſiſtere debeat? Omnia enim experietur: nunc ſe huic generi vitæ addicet, nunc alteri: nunc illa conſilia accipiet nunc alia: atque ubi omnia erit expertus ſemper dubius remanebit, ac deſperabit, ſe poſſe quod quærit, invenire.

5. Pœna. Venitur tandem eum in ſtatum, ut

Digitized by Google

ut impoſſibile ſit ad gratiam attingere, *& ubi ego ſum, vos non poteſtis venire*; verbum præſens ponitur pro futuro: Quia ſcilicet, ut ait Theodorus Heracleenſis, futurum erat ut Chriſtus poſt breve tempus cœlos conſcenderet, quò Judæi, ſi vellent Chriſtum perſequi, non erant ſecuturi: vel ſignificatur eorum certa reprobatio, quòd nunquam venturi eſſent in cœlum, ubi ipſe eſſet: Quidquid ſit, pœna extrema eſt impoſſibilitas, ad quam tandem pervenitur ipſius gratiæ neglectu: Etenim eò plerumque ira Dei perducitur, ut abſolutè decernat gratias illas eximias denegare; & ſanè conformiter ſtatui peccatoris, qui ſtupidus manſit ad omnes gratias: hoc verò eſt terminum inveniſſe ante terminum: in ſtatu eſſe, priuſquam ad ſtatum ventum ſit: quô nihil horribilius, aut funeſtius cogitari poteſt, & certè contra falſas peccatoris promiſſiones, qui ſemper ſibi aditum ad gratiam paratum credebat, cum vellet: unde ipſe Dei miſericordiâ abutebatur, quaſi eam ſibi pactam haberet.

6. Pœna. Ac ne exiſtimet peccator ſe non tam citò in eam pœnam venturum, addidit Chriſtus: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum qui miſit me*: Modicum dixit tempus, quia proximo Paſchate erat paſſurus. Certè quæcunque Chriſtus minatur, ad modicum tempus referri debent, quia non diu expectat, & tempus vitæ admodum breve eſt. Duo itaque verbis illis ſignificantur, 1. finitum eſſe gratiarum numerum; 2. tempus, quô Deus tolerat peccatorem, certis limitibus eſſe finitum, nec illud poſſe longum eſſe: quòd cùm incertum ſit, neceſſe eſt ut quiſque timeat; nam unicuique accidere poteſt, quod maximè veretur ne accidat.

Hinc ſequitur 1. Deum cum punit, in ſtatera appendere præſertim neglectas gratias: unde melius agetur cum illis qui pauciores acceperint, durius autem cum iis qui plures, & eas neglexerint, Lucæ 10. de urbe loquens quæ Apoſtolorum prædicationem neglexerat: *Dico vobis quia Sodomis in illa die remiſſiùs erit quàm illi civitati*: Exemplum ſumpſit ſummi ſupplicii; nam igne de cœlo miſſo, conſumptæ illæ civitates, in extremi ſupplicii exemplum ſumptæ ſunt; Threnor. 4. *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum quæ ſubverſa eſt in momento*: Itaque vehementi oratione futurum exilium prædixit ingratis civitatibus: *Væ tibi Coroſain, væ tibi Bethſaida.* (Civitates erant Galilææ, in quas miſſi fuerant Apoſtoli, quæ tamen neque prædicatione, neque viſis miraculis profecerant.) *Quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent*: Quia ſcilicet miſerrimæ ſunt illæ civitates, quæ Apoſtolos recipere renuerunt, nec illorum miraculis converſæ ſunt, quibus converti potuiſſent gentiles & idololatræ: id eſt, quæ majoribus auxiliis non ſunt converſæ, cùm minoribus converti debuiſſent. *Veruntamen Tyro, & Sidoni, remiſſiùs erit in judicio, quàm vobis*: Certè & hæ & illæ civitates punientur, quia nullæ relictæ ſunt ſine auxiliis, ſed tamen minus punientur quæ minus gratiarum acceperint: *Et tu Capharnaüm uſque ad cœlum exaltata*, ſcilicet tot miraculis Chriſti, tot ejus prædicationibus, & tam diuturna ejus præſentia, cohoneſtata, *uſque ad infernum demergêris*: ab hac celſitudine in oppoſitum cades extremum, ſeveriſſimè enim punieris in inferno: nam ſi civitates quæ diſcipulos quaſi tranſeuntes non ſuſceperunt, graviter punientur, quantò acriùs illa quæ Magiſtrum non ſuſcepit, diu apud eam commorantem, multipliciter docentem, & mirabiliter operantem? Quæ omnia applicanda ſunt alicui perſonæ, aut urbi.

Sequitur 2. Gratias magnas accipiendas eſſe cum timore; Quia, ut ait Baſilius, gratiam ſequitur judicium: hinc fit ut Deus ſeveriſſimè

mè caſtigaturus aliquem, ſoleat eum ingenti aliquo beneficio prævenire, ſecundum illud, *Ante ruinam, exaltatio:* Ita ante diluvium miſit rerum omnium abundantiam, & prædicationem Noë per annos centum; ad hæc rapuit Enoch: Sic ante quinque urbium deſtructionem, ad impios earum incolas miſit Loth, hominem ſanctum, & juſtum, ut eum appellat S. Petrus; eos liberavit per ſervum ſuum Abraham, cum bello victi fuiſſent; denique ipſos Angelos miſit hoſpites, ut ſi eos hoſpitio recepiſſent, veniam invenirent. Hæc autem omnia ideò facit; 1. Ad juſtificandum ſe coram peccatoribus, non renuens diſceptare cauſam cum ipſis, & quaſi ad judiciũ & in jus venire: *Venite ad me, & judicio contendamus.* 2. Ad obruendum os creaturæ, eamque impediendam conqueri. 3. Ad theſaurum iracundiæ ſuæ locupletandum, ſecundum illud Apoſtoli, Rom. 2. *Secundùm autem duritiam tuam & impænitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera eius.* 4. Ad experienda ultima quæque remedia: nam qui ſe ejuſmodi gratiis non dedit, quid ſperari de eo poteſt? *Quid enim potui facere vineæ meæ & non feci?* 5. Ad oſtendendum iram ſibi extraneam eſſe, & contra naturam ſuam, ſeque ad eam coactum deſcendere: *Dominus egredietur de loco ſuo, & calcabit ſublimia terræ,* quamobrem educit iracundiam ſuam ex effectu planè contrario, nimirum ex ſua bonitate. Hinc fit ut quæ tempora commendantur ingentibus beneficiis, eadem ſint infamia majoribus ſuppliciis: Ita menſe Martio contigit mundi creatio, liberatio ab Ægypto, Incarnatio Verbi, & mundi per Chriſti mortem redemptio: & viciſſim eodem menſe Angeli de cœlo præcipitati ſunt, immiſſum eſt in orbem diluviũ, incenſa Pentapolis, obſidio Hieroſolymitana facta eſt, & alia innumera, ita ut nihil magis vereri homines debeant, quàm magnarum gratiarum largitionem.

Sequitur 3. Viros ſpiritales ſi abutantur datis ſibi gratiis, multum timere debere ob ſequentem dandarum gratiarum ſubtractionem, nihilque planè negligendum, quantumvis parvum videatur, quia fortaſſe illi gratiæ quam negligis, multæ aliæ ſubnectuntur; adeò ut ſæpe contingat ut ex illo uno defectu oriatur damnatio, niſi damnum citò reparetur damnatio, niſi damnum citò reparetur: Ita quis unquam credidiſſet unam Saülis inobedientiam, circa tempus ſacrificii; pro quo juſſus fuerat Samuëlem expectare, quod tamen urgente neceſſitate anticipavit, initium fuiſſe reprobationis ipſius; & ejuſdem quoque conſummationem in uno rege ſervato, & nonnullis animalibus ſervatis ad ſacrificium.

Sequitur 4. Colligendas nobis eſſe gratias præſertim peculiares, ut cum Deus quædam ſenſa peculiariter largitur: quia Deus illas gratias in ſua nomina refert, ut ſuo tempore uſuras repetat, 1. Cor. 2. *Vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis,* item, ut ſciamus quid à nobis exigat, & quid ſit repetiturus, ut unuſquiſque obligationi ſuæ ſatisfaciat, ne nobis idem contingat quod illi qui acceptum talentum repoſuerat in ſudario, & foderat in terram; nam graviſſimè punitus eſt, eo tantum nomine, quòd inutile illud reddidiſſet, Matth. 25. *Et inutilem ſervum projicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium.*

Sequitur 5. Ut ſi quis ſe gratiis abuſum cognoſcat, & conſequenter meritum illis privari; ut priſtinas negligentias novo fervore farciat, & peccata priora, quibus Deum offendit, magnis pro gloriâ Dei, & ſalute proximi laboribus, & officiis compenſet, & aſſiduis precibus veniam, & miſericordiam efflagitet. Joëlis 2. *Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem?* Alioqui veniet illud tempus, ut quòd nunc tu negligis, illud ſummopere deſideres, ac fruſtra quæras. Memento quid paſſa ſit Spõſa, ut Spõſum quæreret,

Digitized by Google

teret, cui negligentius portam aperuerat, ne ſibi incommodaret: Deinde enim elapſo Sponſo, ipſa coacta eſt per urbem quærere ubi Sponſus eſſet; & cum ab ipſa Sponſus quæreretur: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* memento quàm obſcuras & incertas indicationes acceperit, & quàm malè accepta ſit à cuſtodibus civitatis: Cantic. 5. *Quæſivi, & non inveni illum: vocavi, & non reſpondit mihi: Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem: percuſſerunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum*: Sed poſt multum laboris, & poſtquam multum paſſa eſt, cum tandem invenit Cant. 3. *Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inveni quem diligit anima mea, tenui eum, & non dimittam.* Certè ſi amiſiſti, quære; ſi non invenis voca, & iterum quære donec invenias; ſi inveneris, ſtringe, nec dimitte, ut ſemper & in æternum poſſideas, Amen.

***

FERIA TERTIA

DOMINICÆ PASSIONIS

CONCIO.

De rectâ diei diſpoſitione.

Tempus meum nondùm advenit, Joan. 7.

Nihil eſt magis noſtrum, nihil etiam minus noſtrum quàm tempus: Magis noſtrum nihil, cum exiſtere non poſſimus ſine tempore, ac illud quod habemus adeò ſit libertati noſtræ traditum, ut oppignerare ac impendere poſſimus prout nobis lubet, captivum dedere qandiu voluerimus, poſteáque in libertatem aſſerere quando nobis viſum fuerit, ſecundùm Apoſtoli verba, *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Maxima opum bonorumque pars uſurpata eſt hominum cupiditate, eaque potentiſſimi invaſerunt & quaſi occupavere. Tempus autem commune omnibus remanſit. Sol æqualiter unicuique lucet, cœlique pari æquabilitate ac celeritate motus metiuntur tempus univerſis mortalibus; quilibet ſuam inde partem accipit, nec ea uſquam toto minor eſt,

Digitized by Google

& quod quiſque ſumit, nihil alterius portionẽ imminuit: nõ Rex, nõ Imperator, nõ quilibet avidus Dynaſta, plus poteſt ſibi ſumere de tẽpore, quàm quilibet de vulgo: Plures, juſtè videant, maris littora ſibi uſurparunt, quòd eſſent ditiſſima unionibus & rebus pretioſis; at nemo alteri tempus uſurpavit, licet ut ait Seneca; nullum temporis pretium ſit; ſed omnibus in medio relictum eſt; & proinde nemo poteſt alteri eripere, niſi ſimul vitam auferat, atque pro tempore, largiatur æternitatem: ſicut nec ipſum tempus deſiturum ſcripſit Plato, niſi cum occaſu mundi.

Aliunde ut dixi, nihil in poteſtate noſtrâ minùs eſt quàm tempus: 1. Quia ei omnes ſubjecti ſumus: Eccleſiaſtis 3. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis univerſa tranſeunt ſub cœlo.* Inde fit ut uſurpemus omnes denominationes quæ temporis differentias conſtituunt & determinant: dicimus enim nos fuiſſe, nos eſſe, nos fore. 2. Quoniam in poteſtate noſtra nullam temporis partem habemus: non poteſt enim revocari præteritum, inhiberi præſens, promitti futurum. 3. Quia nequimus ita uti tempore, ut pro voluntate noſtrâ & arbitrio ſit uniuſcujuſque rei tempus & opportunitas: quod planè oſtendit, nos illius dominos non eſſe: at id nobis dominari, quandoquidem obedire nos tempori oportet.

Hinc 1. Nobis non licet omnia quocunque tempore præſtare. Unde diſtincta rerum omnium tempora, & opportunitates, quas idem Eccl. enumerat ibidem, *Tempus naſcendi, & tempus moriendi: Tempus plantandi, & tempus evellendi: Tempus flendi, & tempus ridendi: Tempus odij, & tempus dilectionis*: & ita in aliis quæ magno numero recenſet.

Hinc 2. Non omne tempus eſt opportunũ ſaluti. Unde Apoſtolus Rom. 13. *Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus: Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* Et 2. Cor. 6. *Ait enim: tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te: Ecce nunc tempus acceptabile: Ecce nunc dies ſalutis.*

Hinc 3. Finem aliquando accipit tempus quod nobis datur: Joan. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt, venit nox quando nemo poteſt operari*: Ita in hunc ſenſum illud dictum Davidis. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*: interpretatur Apoſtolus Hebr. 3. *Adhortamini* (ait) *voſmetipſos, per ſingulos dies, donec hodie cognominatur*: Et Angelus quidam juravit in Apocal. 10. *Quia tempus non erit amplius*: Nam ut reliqua, datur ad menſuram.

Iterùm dico nihil minùs eſt noſtrum quàm tempus, inconſiderantiæ noſtræ culpâ: Vix enim quidquam cum ordine & conſilio facimus, ſed fortunæ temeritas, caſuſque, actiones noſtras gubernant. Solus ille Dominus eſt, ſummoque jure arbiter temporis, qui tempora univerſa fecit, & is de quo Apoſtolus loquitur. *Per quem fecit & ſæcula*: Et Hebr. 11. *Fide credimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Non igitur tantùm Dominus, quia fecit, ſed etiam quia aptavit, id eſt digeſſit: nam omnia ſuis temporibus diſtribuit; quemadmodum omnia ſuis locis diſpoſuit; quod toties in Scripturâ ſignificatur: Actor. 17. *Definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum*: Et Marci 1. *Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei, pœnitemini, & credite Evangelio*: Et Actor. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*: ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum*: Epheſ. 1. *In diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto*: Quod cùm in rebus omnibus obſervatum fuerit; certè maximè reſpectu Meſſiæ: Ipſe enim ſecundùm divinitatem unà cum Patre, ab æterno, non ſolùm inſtituit, atque decrevit, quæ pro ſalute noſtrâ in carne ſuſcipiendâ facturus

erat

Digitized by Google

erat: ſed ſingula ſuis temporibus, & locis inſtituit, atque ordinavit, eaque omnia ſuæ Humanitati à ſe ſuſceptæ in ipſo unionis inſtanti revelavit: Uti ſcriptum eſt Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: Quod ita obſervavit, ut nunquam horam prætererit, nec anteverterit, nec etiam tardior fuerit, ſed in omnibus Patris præceptum ſit ſecutus; uſque eò ut

1. Licet mortem admodùm optaret, atque impatienter expectaret, ſi fas eſt ita loqui juxta illud Lucæ 12. *Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* noluerit tamen prævenire tempus, neque Judæis permittere, quod ſæpe tentarunt; ita Joan. 7. *Nemo miſit in eum manus, quia nondum venerat hora ejus*: Et Joan. 12. *Venit hora ut clarificetur filius hominis: Pater ſanctifica me ex hac hora*: & cap. 13. *Sciens Ieſus quia venit hora ejus*: & cap. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.*

2. Ut licet invitaretur atque impelleretur ad quædam agenda, quæ erat facturus; ſe tamen facturum eſſe negaret, quia vel exigua pars temporis prævertebatur. Ita Joan. 2. rogatus à Matre ut convivarum ſuccurreret inopiæ, quibus vinum defeciſſet: reſpondit: *Quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea*; & hodierna die invitatus à cognatis ut aſcenderet ad diem feſtum Scenopegiæ, negavit ſe aſcenſurum; *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego autem non aſcendam, &c. quia tempus meum nondum impletum eſt*: ſubdit autem Evangeliſta; *Hæc cùm dixiſſet, ipſe manſit in Galilæa. Ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, &c.*

Quâ ex occaſione rem ego aggredior omnium utiliſſimam in vitâ, ſed maximè neglectam, nempe totius vitæ moderationem in unius tantùm diei diſpoſitione. Quis enim in ſæculo id ferè cogitavit? Omnia perturbata & confuſa; omnia incerta & vaga, ita ut more belluarum vivamus: ac quemadmodum ij homines quibus vagæ ſedes extiterunt, non diſſimiles à belluis judicati ſunt; ita cùm potior habenda ſit temporum quàm locorum & ſedium ratio, quiſquis in vitâ nihil habet ratione temporis diſpoſitum, belluarum more vivit.

Accedit eò hinc facilè exiſtere quòd tantoperè videtur difficile, ut vita noſtra tota componatur, cum facilis ſit unius diei compoſitio. Vita enim omnis noſtra, unicus eſt dies: dies ſiquidem hebdomadas componunt, illæ menſes, iſti annos, hi autem omnem vitam noſtram. Itaque omnis vita noſtra, non eſt niſi dies unus ſæpe iteratus; & illa eſt vita longior quæ ſæpius eundem diem iterat: Unde Seneca ſingulos dies, ſingulas vitas puta: Et infrà; Cui ſua vita, quotidie fuit tota, ſecurus eſt. Et certè eadem agimus quotidie; ſurgimus, oramus, comedimus, operamur, ludimus, dormimus; Proinde ſi hæc ſemel benè diſpoſita fuerit. Neque verò ullus ſperare debet vitam ex rebus ſex diebus diſſimillimis compoſitam; nec propterea eaſdem actiones diverſis modis velle efficere debet: ſed una aliqua ratio eligenda, in quâ ſemper hæreatur; multarum rerum exemplo, atque imitatione, quæ ſemper idem operantur.

1. Ipſius Dei, qui perpetuò intra ſe Filium generat & Spiritum Sanctum producit.

2. Dei ut Creatoris, qui leges quas creationis initio poſuit, ſemper obſervat, juxta illud, *Ordinatione tua perſeverat dies*:

3. Beatorum in quibus eſt eadem viſio, idem amor, idem canticum.

4. Eccleſiæ, cui Deus ab initio eadem propoſuit, ante Incarnationem futura, in ipſa Incarnatione præſentia, nobis verò præterita.

5. Beatæ Virginis, cujus vita ante annunciationem fuit in deſideriis Meſſiæ, ab Annuntiatione in fruitione poſt Aſcenſionem in recordatione.

Digitized by Google

6. Viventium ſub veteri lege, in quâ idem ſemper ignis, eadem ſacrificia, manè & veſperi.

7. Viventium ſub lege Evangelicâ, in quâ eadem Sacramenta omnibus propoſita, eadem myſteria, eædem ceremoniæ, eadem Evangelia ſtatis temporibus, ſicut eadem feſta ſemper recurrentia.

Hîc poſſem multorum afferre exempla qui ſemper in iiſdẽ verſantur: Quidam in jugi Paſſionis contemplatione; alii in myſterio Nativitatis: alii in jugi pœnitentiâ.

Et hujus quidem ſimilitudinis, & quaſi unitatis in vitâ plurimæ exiſtunt rationes.

1. Eſt, Quia illâ ratione vetatur inconſtantia, maxima vitæ ſpiritalis peſtis, quæ nos per infinita actionum genera tranſverſos agit, quo incommodo nullum fortaſſe majus in pietatis exercitatione exiſtit:

2. Quia hac ratione acquiritur maxima agendi facilitas: nam ſæpe idem agendo acquirimus habitum, ejus autem fructus eſt ut ſit facilis operatio, & conſtans actio.

3. Quia alioqui nunquam in re ullâ perfecti exiſtimus: tum quia nihil perfectè addiſcimus, ſecundum illud 2. ad Timot. 3. *Semper diſcentes & nunquam ad ſcientiam, veritatis pervenientes*: tum quia ſine facilitate, nulla eſt delectatio; ipſa autem eſt operis perfectio: tum quia habitus non acquiritur, niſi multo tempore; nihil autem perfectum ſine habitu, quia nulla eſt virtus firmiter operans præter habitum.

4. Quin intereſt ut actiones noſtræ benè fiant, cum ut ille olim de ſe dicere ſolebat, æternitati pingamus: & illud Bernardi penſandum ſit lib. 5. de Conſid. cap. 12. Quæ priora, tranſierunt, & non tranſierunt: tranſierunt à manu, ſed non à morte: Quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt: Proinde, etſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe in æternum manet: non tranſibit in tempore, quod tempora tranſit: in æternum ergo neceſſe eſt cruciet, quod perperàm te egiſſe in æternum memineris, *&c.* Quod cum ita ſit nonne erit prudentiæ ea diſcere benè, quæ ſemper manſura ſunt, & tranſcribenda æternitati?

5. Quando quidem adeò laborioſum & difficile eſt deſignare & commetiri vitam integram, facile fuerit diem unum diſponere, cum quilibet dies ſit totius vitæ noſtræ quaſi contractior tabula & ſumma. Inde accidet ut dies ſinguli nobis evaſuri ſint meliores, die uno alterum erudiente, nam *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Pſalm. 18. ac ſecundum antiqui Scriptoris verba, Dies poſterior prioris eſt diſcipulus. Indidem fiet ut futura ſit unitas in vita noſtra, neque ea diſtinguatur variis coloribus; cum præceptũ fuerit antiquæ Legis, Deuter. 22. *Non arabis in bove ſimul, & aſino. Non indueris veſtimento quod ex lana, linoque contextum eſt*: quæ præcepta non ſunt admodum conſiderabilia, niſi ratione ſignificationis moralis.

Hoc itaque opus in duobus conſiſtit: 1. In conſtitutione ſtabili diei: 2. In firma exactaque obſervatione ordinis ſemel deſcripti & præſtituti.

Conſtitutio duo continet, naturam actionum, & earum modum: Per naturam intelligo earum rerum ſubſtantiam quæ vitam noſtram componunt: quæ ferè ad tria capita referuntur, & ſunt, Devotio, Negotia, & Ludus, ſeu animi relaxatio de quibus agendum: Et quidem quoad 1.

Nomine Devotionis intelligo actiones quæ immediatè tendunt in Deum & ejus obſequium. ſine quibus, ut patet, nullus dies præteriri debet. Illæ verò ſunt oratio, meditatio, lectio, Miſſæ auditio, uſus Sacramentorum. verbi divini auditio, virtutum exercitium ſeparatum. Hæc enim eſt præcipua

Digitized by Google

vitæ noſtræ pars, immò ad hoc tantùm nati ſumus; atque optandum eſſet iis ſolum intendere: ſed quoniam id non patitur huius vitæ neceſſitas; certè pars aliqua tribuenda illis. Quàm enim turpe fuerit integram diem ſine Deo præterire? ut ſi diem ſine ſole, ac luce præterires Certè nemo eſt qui non debeat Deo ſaltem duo tempora; diei principium, & finem. Etenim principia conſecranda ſunt Deo; & auxilium à cœlo accerſendũ; ſic enim admonetur anima, quid totâ die agere debeat. Refert Plutarchus Regi Perſarum quotidie unum è cubiculariis adfuiſſe qui diceret, Surge ô Rex, & curã age earum rerum quibus te Oromaſdes præpoſuit. Idem tibi quotidie dicito. A Deo flagita opem ad tria, 1. ad bonum quod à te præſtandum eſt, aut ex officii lege ſeu obligatione, aut ſponte: 2. ad peccata quæ tibi devitanda ſunt, & ad tentationes quas ſuperari abs te oportet: 3. ad mala quæ toleranda tibi, acciderint. In eodem tibi claudenda eſt dies; revocanduſque ad ſe animus. Ne omittito examen; parvum, uti appellat Philo, conſcientiæ tribunal. Manè ſpeculum ſumis, ut te hominibus exhibeas, aſſume itidem ſerò, ut te offeras Deo. Audi quod ſuadet Auguſtinus: Peccata noſtra judices nos ſentiant, non patronos. Idem tu agnoſce, & Deus ignoſcet, &c. anteverte judicium & mortis periculum. In bello olim cantum habuere anacleticum, quo palantes revocarentur: Ita etiam animus poſt varias occupationes, & diſtractiones ad ſeſe revocandus eſt. Vſus lectionis utiliſſimus eſt, nam ſicut cibis corpora reficiuntur, ita etiam anima lectione. Diebus autem feſtis, magis religioſis, aliquid addendũ eſt. Inter opera devotionis, virtutũ exercitia numeravi, quia virtutes peculiari attentione ad Deum, peragendæ ſunt, uti Eleemoſyna, charitatis actus, pœnitentiæ exercitia, &c.

Quoad modum in actionibus devotionis obſervandum attinet, Tria ſunt obſervanda; Fidelitas, Reverentia, Fervor: Fidelitas in eo conſiſtit, ut non omittas: nam, ut ſcripſit S. Nilus S. Chryſ. Diſcipulus, nihil non efficit Dæmon, ut nos revocet ab oratione: ſi non fueris conſtans, multa tibi occurrent quibus allectus omittes quæ Deo debes, ſed memento hoc eſſe ſummum omnium operum. Salomon à matre reprehenſus eſt, quòd ſacrificiũ matutinum impediviſſet prima die nuptiarũ, cùm adhuc ſtertens claves templi non dediſſet quas ipſe ſervabat, uti refert Arboreus. Reverentia in eo eſt, ut ſcias tibi rem eſſe cum Deo, cuius majeſtas ſummum cultum exigit. Fervor denique: ne facias opus Dei negligenter, ſive fraudulenter: ſed attendas, & animũ applices: alioqui ſæpe multis illud Davidis contingit; *Et oratio eius fiat in peccatum.*

2. Pars, pertinet ad negotia, quo nomine intelligo ea in quibus vita noſtra occupatur: Etenim unicuique incumbit obligatio alicujus operis, quodcunque ſit.

1. Quia hoc homini naturale eſt, ſecundum illud Iobi 5. *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.*

2. Quia ad hoc Deus vitam hominibus dedit Geneſ. 2. *Poſuit eum in paradiſo voluptatis ut operaretur & cuſtodiret illum*: & Pſal. 23. *Qui non accepit in vano animã ſuam*, alioqui hoc eſt, ut ait Pſaltes in vanum accipere animam ſuã: Hebræ. *otioſè*: hoc eſt accipere ad perdendum: Ita quod vertit interpres, *accipere*, vox Hebræa *aſa*, ſignificat etiam *comburere*: otium enim omnia bona abſumit. Idem dixit Apoſtolus 2. Cor. 6. *In vacuum Dei gratiam recipere*, quod exponit Anſelmus, per deſidiam facere ut in ſe gratia Dei ſit otioſa, atque inutilis, ac ſi nulla data fuiſſet.

3. Quia vivere, idem eſt quod agere, & otioſi mortuis ſunt ſimiles: omnibus autem vita convenit: itaque rectè dixit Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cap. 9. ἐσμὲν ἐνεργείᾳ aliquid

agendo

Digitized by Google

agendo ſumus & vivimus: cum è contra otioſi homines ſimiles ſint ſtatuis Dædali, quæ animam habere videbantur, ſed vitâ carebant, ſic illi ut colorata cadavera, os tantum ad nugandum, & edendum aperiunt, non autem ad loquendum.

4. Convincimur hujus rei exemplò rerum omnium; nihil eſt enim in naturâ otioſum: Quin etiam Beatæ mentes licet videantur eſſe in ſummâ quiete, in illis tamen Sanctus Dionyſius libr. de div. Nomin. cap. 4. ait eſſe στάσιν καὶ κίνησιν, ſtatum & motionem, nunquã bonæ actionis expertem: Explicat Sanctus Maximus, & ait, Sanctas mentes ἱστάναι βεβαίως ſtare firmiter in Dei contemplatione & amore, & eaſdem κινεῖσθαι moveri, cum ad proximos juvandos proderint. ibi vides ſemper actionem, ſeu in ſtatu, ſeu in motu: prima circa Deum; alia circa proximum. Immò de ipſo Deo, ſummè immobili, ex mente Dionyſij dixit idem Maximus, ipſum ſtare, & moveri: Stat cum in ſe immobilis omnia perenniter generat; movetur cum omnia in melius transformat. Non igitur mirum ſi Deus ſemper agens oderit deſidioſum, juxta illud Iſaïæ 1. *Odi Sabbata veſtra*, quod Sanctus Baſilius de inertiâ interpretatur.

5. Hinc providit Deus, ait Chryſoſt. homil. 12. ut multa eſſent difficilia quæ noſtram ſegnitiem excuterent, noſque ad agendum ex neceſſitate adigerent, aut excitarent.

6. Atque ut ſcias homini laborem, & occupationem convenire; ſicut quæ naturalia, ea proſunt, quæ verò contra naturam, ea nocent; ita fit ut nihil homini plus noceat otio ac deſidiâ.

Ex otio enim omnia vitia, Eccliſ. 33. *Multam enim malitiam docuit otioſitas*: Vnde Baſilius homil. 8. hexame. otium vocat præceptorem vitiorum. 2. Omnes paſſiones; unde Iſidor. lib. 1. Epiſt. 9. otioſum animum vocat ὁρμητήριον τῶν παθῶν, perturbationum animi propugnaculum: quia ſcilicet tutæ ſunt animæ perturbationes à divinis motionibus & virtutibus. 3. Summa dæmoni commoditas ad tentandum. Athanaſius libr. de Virgin. ait, Dæmones valde delectari otio corporis: Id probat Baſilius exemplo Dæmonis revertentis, cum vidiſſet domum vacantem: Vnde ex Caſſiano lib. de ſpiritu acediæ cap. 23. ajebant Patres operantem Monachum Dæmone uno pulſari; otioſum autem ab innumeris ſpiritibus devaſtari. Et ideò conſilium S. Hieronymi Epiſt. 9. ad Ruffinum: facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum. Hinc facile eſt judicium paſſim de juvenibus, & de mulieribus quæ vivunt otioſè: nimirum nihil eſſe in illis virtutis, ne veſtigium quidem: immò id ſemper apud me ſtatui, vix illas caſtas eſſe poſſe: nam ſi ullâ re perit caſtitas, certè otioſitate. Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus: Et idem Poëta. Quæritur Ægiſtus quare ſit factus adulter. in promptu cauſa eſt, deſidioſus erat. Proinde Sanctus Ambroſius de fugâ ſæculi cap. 6. Otium, laſciviæ ferias nominat: Theodor. Studita ſer. 100. animi ſontes ferias: Hinc Chryſoſt. in Pſalm. 8. duos ait eſſe fontes malitiæ ἄνεσιν καὶ σχολὴν, otium, & remiſſionem. Nec valet excuſatio nihil eſſe operis: Nam ſi non habes proprium, habes alienum. Auguſt. Epiſtola 202. & Plato ajebat bonis nullum Patriæ conſulendi modum, aut finem eſſe. Et ex Symmacho lib. 2. Epiſtola 3. fratrum negotia velle cognoſcere pia, & honeſta curatio eſt. Jam fœminæ quàm multa poſſunt pro Templis, & pro Pauperibus, de juſto labore ſuo. Vide quid conſulat Hieronymus Euſtochio ſuper eâ re, Ego verò dicam tibi? Nobilis & dives Domina, honora Deum de juſtis laboribus tuis: Dico de laboribus juſtis, non de rapinâ, ut eum quædam ſe honorare credunt. Nec, ut iterum dicam, opponas te nihil habere quod agas, Etenim ſuæ ſunt unicuique occupationes;

Digitized by Google

nes; aliæ ex neceſſitate, aliæ verò ex electione, nec ullus eſt, quicquid dicat, qui non habeat conditioni ſuæ proprias & accommodatas Sunt ſuæ fœminis ſunt ſuæ viris, etiam principibus. Quàm multa habes domi faciẽda circa liberos, circa domeſticos, circa familiã? An putas in ordinandâ familiâ nihil eſſe occupationis? Jam circa externos, ut negotia prætercam, quantum occupationis eſt in pacificandis inimicitiis, in juvandis pauperibus, viduis, afflictis, & oppreſſis? Et cum omnia deerunt, oportet eſſe induſtrium in ſeſe bene occupando: 1. ut in labore hominum ſis, & impleas illud. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo;* 2. Ne ſis otióſus: etenim ut ait Sapiens Prov. 11. *Manus in manu, non erit innocens malus:* 3. ut talentum tibi à Deo collatum expendas, & opus tibi commiſſum impleas. Quàm turpe eſt videre fœminas nobiles totâ die otioſas! rectè dixit Heſiodus, Iners otium, dedecus eſt atque infamia. Specta Veneris imagines, nunquam videas in manibus ejus telam, colum, aut aliquid operis: ſed otioſæ mulieri adeſt Cupido. Errant autem qui exiſtimant, egenis laborandum, aliis verò divitibus otiandum: Audiant Hieronymum Epiſt. 8. Cum omnibus laborandum eſt, ut per occaſionem operis, nihil aliud cogites, niſi quod manibus tuis ipſa confeceris. Memento mulieris fortis de quâ Salomon in Prov. cap. ult. *Manum ſuam miſit ad fortia & digiti eius apprehenderunt fuſum.* Quàm tibi honorificum ut tuis manibus Chriſto veſtem texueris, aut altaria labore tuo operueris. *Honora Deum de tua ſubſtantia* ait Sap. Proverb. 3. Vide Homerum quam occupationem donet principibus fœminis: De iisdem lege in Hiſtoriis: Sed virtutes ferè in ſolis libris remanſerunt, & in veterum memoriâ; vitia autem in moribus noſtris. Hoc ſuppoſito nullũ ſcilicet eſſe, qui ſuã nõ habeat occupationem, ſuumque negotiũ; vide quomodò in negotiis agendis te gerere debeas.

In illis tria ſunt obſervanda, Conſcientia, Diligentia, Sobrietas: Conſcientia, ne mala ſint, ne inutilia, ne illicita, ne nociva. Paulinus Epiſt. 20. de inutili opere: Hoc verò eſt in medio dierum inanium, texere operibus vacuis araneæ telam. Sed Chriſtus. *Quid prodeſt homini etiamſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationẽ pro anima ſua?* Quàm multa ſunt quæ ſociari nequeant cum ſalute? Diligentia, quia ſcilicet ſunt opus Dei. Sobrietas ne ſint nimia, ne animus opprimatur; immò poſt varias, & multiplices occupationes is ad ſe revocandus eſt: diſſipatur enim mens, & deperit ſenſim niſi ad ſe recipiatur.

Tertia pars ſpectat Ludum & recreationẽ, quæ communiter loquendo, in vitâ etiam ſeriâ eſt neceſſaria, quia nimia contentio vires frangit, remiſſio reparat. Ita Sapientes omnes judicarunt, Socrates, Plato, Ariſtoteles: Immò Chriſtus cum Apoſtoli rediiſſent à labore prædicationis, eos juſſit quieſcere uti dicitur Marci 6. *Et dicit illis. Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum:* Ita Ioannes Apoſtolus interdum cum perdice ave animum relaxabat: Sic viri Apoſtolici: ut Nazianzenus, qui ad littus maris animum remittebat: unde orat. 6. ita loquitur: Non interdictam volo animi relaxationem, ſed immoderationem coërceo. Sed tria in Ludo & recreatione ſunt obſervanda: 1. Innocentia, ne ſcilicet recreatio capiatur ex rebus turpibus & inhoneſtis; item ne per impietatem, ut ex rebus ſacris, aut perſonis: Ad hæc, ne ex illicitis ludis. Hinc multa SS. PP. dicunt contra ludum aleæ, quã S. Cyprianus appellat Diaboli laqueum manifeſtum. Itaque Imperator ad legem Aquileiam: ludus noxius in culpa eſt. 2. ut ſervetur Decorum: ut nimirum habeatur ratio perſonæ, loci, & temporis: Ita quædam licent ſæcularibus quæ non licent neque Religioſis, neque Clericis & perſonis illis quæ profeſſionem

Digitized by Google

nem peculiarem faciunt ſanctitatis, virtutis, & ſtrictioris diſciplinæ. 3. ut habeatur Moderatio; quæ iſta poſtulat: ut non totam vitam ludus impleat: ut enim ait Seneca Epiſt. 20. pleriſque agitur vita per luſum. Immò nec meliorem vitæ partem; quod expoſtulat Aug. ſerm. 27. de verbis Domini: Si quid de bonis deperit, triſtaris; dies perdis & gaudes. Ut ſic animus remittatur ut non diſſolvatur: quod ait Seneca Epiſt 15. Itaque dictum eſt Theophraſti in Laertio, ſapientiæ rumpi arcum ſi relaxetur: quâ ex occaſione quærit Ariſtoteles de Ludione 7. Ethic. cap. 7. an ſit intemperans, an mollis. Quia ſcilicet remiſſus animus ita emolleſcit, ut ea deinde fugiat quæ robur animi, & conſtantiam poſtulant. Denique ne quod in pleriſque reprehendit Ariſtotel. 8. Polit. cap. 5. Ludum & jocum, finem facias: nam ea tantum ratione ludus & recreatio permittuntur ut ad laborem ſufficiamus. Itaque ſic præcipit Anacharſis lude, ὅπως σπουδάζῃς ut res ſerias deinde agas: quaſi dicas; ludus opus ſequi debet, & præcedere: quod ſic explicat S. Auguſtinus in Pſal. 34. Memento peregiſſe te aliquid, reſtare aliquid, divertiſſe te ad refectionem, non ad defectionem. Unde magnorum hominum ludi non ſunt inutiles, uti de ſe Theodoricus Rex gloriatur apud Caſſiodorum lib. 1. Epiſt 45. Sit & pro republica & cum ludere videmur, nam ideò voluptuoſa quærimus, ut per ipſa, ſeria compleamus. Vide igitur quid de hodiernis moribus ſentiendum ſit, & an communes hominum recreationes & ludi ſint innoxii atque innocentes.

Diximus de natura actionum: nunc dicendum de modo: Tria dicit, Tempus, Ordinem, Methodum.

Tempus: 1. ut omnia fiant ſuis horis: Itaque duo potiſſimum extrema diei regenda ſunt, ſurgendi videlicet ac decumbendi opus: ſed iſtud maximè: quamobrem Deus ſemper numeravit dies ab hora ſeptima. Geneſ. 1. *Factumque eſt veſpere & mane dies unus.*

2. Singula, ſingulis horis deſtinanda: dixi ſingula, Quia omnium vitæ partium cura habenda eſt, ac nulla negligenda. Ambr. lib. 3. Ep. 25 Una hora totius vitæ portio eſt. Nam ut dicebat Socrates, in vita ut in ſimulachris τὰ μέρη καλὰ εἶναι δεῖ. Omnes partes pulchras eſſe oportet; uti enim nil eſt in mundo quod non ſit ordinatum, ita nihil eſſe debet in vita; ac ſicut non tantum Cœli & Aſtra ordinata & ornata ſunt, ſed etiam foliorum, & florum rationem natura habuit; ita & nos præſtare debemus: ac ſicut qui ſe curioſè induunt, non tantum rationem habent vultus, oculorum, oris veſtium, ſed etiam capillorum; ita nil eſt in vita tam exiguum quod negligere debeas.

Cæterum ſic dies implenda eſt variis occupationibus, ut ſemper pars aliqua relinquatur vacua, ut rebus extraordinariis deſtinetur.

Ordo poſtulat ut non ſimul omnia fiant, ſed ſucceſſivè. Ut in actione incipias unde oportet, pergas eodem modo, neque miſceas omnia; & cum hora præteriit deſtinata alicui operi, etiamſi non ſit opus abſolutum, illud deſeras, ſi non ſit abſolutè neceſſarium: quia uti dicebat Chriſtus, *ſufficit diei malitia ſua*: & ita etiam cuilibet horæ ſua ſufficit; alioqui fieret mira noſtrarum actionum confuſio. Id verò dico ordinariè, nam alioqui nolo eſſe tyrannidem actionum; ſed ut non facile deſeras quod eſt propoſitum.

Methodus 3. ut ſcias rationem agendi. Et in genere quidem. Obſerva 1. ut non agas ex conſuetudine, ſed ex propoſito.

1. Ut debitam habeas intentionem: & ideò ſubſiſte paulisper antequam incipias. Eſt quælibet particularis cujuſque actionis actionis ex ſua natura ſecundùm virtutem à qua regitur, intentio; Eſt alia etiam reſpectu ſtatus, perſonæ, & præſentis diſpoſitionis: aliquando offer Deo ad ſatisfactionem, aliquando ad

gratia

Digitized by Google

gratiarum actionem, aliquando ad aliquid impetrandum, *&c.* Eſt alia aſcititia: S. Paulus vult omnia fieri in nomine Jeſu: Theologi volunt ex motivo charitatis Dei: Patres ſpirituales in unione actionum Chriſti, S. Ignatius ad majorem Dei gloriam: alii aſſumendo omnes intentiones, atque affectiones omnium Sanctorum, & piè viventium, in utraque Eccleſia, militante, & triumphante. Ita actiones merè naturales, ut ſomnus: refectio, ludus fiunt morales: quæ autem ſunt morales, fiunt ſupernaturales ex motivo.

3. Ut perſeverantiam habeas atque impleas: Væ ijs qui perdiderunt ſuſtinentiam: Chriſtus Dominus ſic Patrē alloquitur Joan. 17. *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*: nec prius mori voluit, quàm diceret, *Conſummatum eſt.*

4. Cohibe in initio imprudentem æſtimationem: Ut enim ait Ambroſ. qui diu facere aliquid vult, debet moderatè facere. In progreſſu præcipitem & inquietam anxietatem devita: fac ut agas, non ut egeris. Huc pertinet quod Chriſtus admonuit. Matth. 6. *Sufficit diei malitia ſua*, præſertim quia peracta una actione, ad aliam tranſeundum eſt: Itaque ſi agendum eſt, age, nec velis extra tempus egiſſe: 5. Cave tibi à motu indignationis ſi accidit ut quæ aggrederis & facis fœlici eventu careant: nam rerum exitus non pendent à nobis, ſed à Deo.

Denique videndum ut non tantum bene: ſed etiam ut decenter, & pulchrè facias: ut ferè in omnibus non tantum attendis ut habeas neceſſaria, ſed etiam quæris ornatum: neque requiritur tantum in milite, ut bona ſint arma, & integra, ſed etiam ut nitida ſint, & lucentia. Et ideò in particulari ſcias quomodo res ſingulæ ſint agendæ.

Hactenus dicta pertinent ad diei conſtitutionem, quæ ſequuntur ſunt ad ejus obſervationem. Nam multi, ſibi regulas præſcribunt, nec eas aliter ſervant, quam uti tabellas egregiè pictas, vel ut eas ſe habere glorientur vel ut ſpectent ad delectationem: In obſervatione igitur hæc tibi cuſtodienda ſunt.

1. Ut neceſſaria & obligatoria aliis præferantur: in quo multi agunt præpoſterè, & Chriſtus paſſim vocat hypocriſim.

2. Ne id agas ſerviliter, ſed mutes pro ratione temporum & occaſionū: rectè dixit Apoſtolus 1. Cor. 14. *Spiritus Prophetarum ſubjecti ſunt prophetis*, quia tacere poterant & loqui cū volebant; eodē modo qui ſibi legē poſuerunt.

3. Vt impedimentis frequentibus aut extraordinariis quid tibi faciendum ſit ſtatuas: certè quæ ſunt impedita aliquo negotiorum interventu, niſi ſint neceſſaria, eo die ſunt omittenda: quæ neceſſaria ſunt, alterius non neceſſarii loco ponenda.

Hoc unum ſupereſt, ut evitetur horū omniū neglectus, qui ferè oritur 1. ex parva ſalutis cura: Si Medicus præſcripſerit tibi definitam rationem temporis, non eam prætermittis: Quidni etiam pro animæ tuæ ſalute illam adhibeas?

2. Ex nimia vivendi libertate; rectè monet Apoſtolus, ad Galat. 5. *Tantum ne libertatem detis, in occaſionem carnis.*

3. Quia multis videtur hæc minuta cura indigna homine magni ingenii: Nunquid tu Chriſto ſapientior, cujus omnes actiones ſuis temporibus erant determinatæ? Non habuit Angelum cuſtodem, quia pro ſua ſapientia nō indiguit illius directione; habuit tamen totā vitam ſuā ſub regula in omnibus circūſtantiis.

Memento itaque hunc diem eſſe ut diem mortis; ut diem nundinarum; ut totam vitam; ut ſigillum vitæ; ut totam æternitatem. Et liceat ſaltem unū diem ex Dei præſcripto tranſigere. Nam quid erit ſub vitæ finem, ſi illa nobis exhibetur penitus inordinata, & nullis legibus aſtricta? Sed nimirum filii Belial, hoc eſt ſine jugo, omnem legem aſpernantur. Veniet, veniet ille dies, cum unum

diem optabis qui tibi denegabitur. Finio cum Apoſtolo Epheſiorum 5. *Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes; ſed ut ſapientes, redimentes tempus quoniam dies mali ſunt: Propterea nolite fieri imprudentes ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.*

Certè ſapientes tempus vocavêre ſumptuoſum impendium: Seneca de Brevit. vitæ cap. 8. Temporis nullum pretium eſt: Sed uti ſubdit. Re omnium pretioſiſſima luditur. Memento in tempore eſſe æternitatem: & quale tempus habueris, talem te illam habiturum. Vide ut habeas beatam, Amen.

FERIA QVARTA DOMINICÆ PASSIONIS.

CONCIO PRIMA.

DE PRÆDESTINATIONE.

Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Ioannis 10.

CUm Judæi cauſam ſuæ incredulitatis in Chriſtum rejeciſſent, quaſi non ſatis eis fuiſſet locutus, nec ſatis expreſsè dixiſſet ſe eſſe Chriſtũ, poſtquàm eos mendacii arguit, eò quòd abundè ſe eis manifeſtaſſet verbo, & opere, veram cauſam incredulitatis eorum aperit, nempe eorum malitiam, qua factum eſt ut ab ovium ipſius numero excluderentur. Itaque *non creditis quia non eſtis ex ovibus meis*, alioqui enim, *oves meæ vocem audiunt*, Sic enim enim vocantur ut audiant. Per oves autem Chriſti, interprete S. Auguſtino tract. 48. in Ioan intelliguntur Prædeſtinati: juxta illud Actor. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternã*; Vnde ſignanter dicit de ovibus ſuis: *& eo cognoſco eas*, quibus verbis earũ prædeſtinationẽ ſignificat: Quia uti Verbum Divinum cognitione gignitur; ita & Electi, ſeu Prædeſtinati gignuntur cognitione, non merè ſpeculativa, & ſterili, ſed fœcunda, & practica. Vti enim Pater cognoſcendo Filium, (terminus enim cognitionis ipſius eſt Filius) ſuam ei tribuit eſſentiam, & perfectiones omnes; ita ſuos

Digitized by Google

ſuos cognoſcendo, omnia dona eis largitur. Itaque Apoſtolus Rom 3. *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit*: præſcire idem eſt atque ante diligere, & in bonum præordinare: verbum enim *cognoſco*, non ſolam cognitionem intellectus, ſed etiam affectum, & dilectionem ſignificat, uti Amos 3. *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ*: Contra verò ignorare, idem eſt ac non approbare, non curare: Ita Pſal. 100. *Declinantem à me malignum non cognoſcebam*: Quid eſt, non agnoſcebam, ait Auguſtinus, id eſt, non approbabam, non laudabam, non mihi placebat: cognoſcere enim invenimus aliquando in Scripturis dici, pro eo, quod eſt placere nobis: Ita Deus ad Moyſem Exodi 33. *Novi te ex nomine, & inveniſti gratiam coram me*: & Paulus 2. ad Tim. 2. *Cognovit Dominus qui ſunt ejus*: Itaque *quos præſcivit*, hoc eſt quos ſpeciali præintentione dilexit, & quibus gloriam voluit, non tantum ſecundum ſe ſolam, ſed ut connexam cum vocationibus congruis, & perſeverantia in gratia; *hos & prædeſtinavit*: hoc eſt pro eis elegit actu diſtincto, & conſequenter ad illam intentionem, hæc eadem auxilia efficacia; quibus ſuos prædeſtinatos cõfirmavit in patientia: Nam ſicut Deus Chriſti paſſiones convertit in ejus gloriam, ita facit perſecutiones prædeſtinatorum, converti in ipſorum bonũ: Illos itaque ſingulariter diligit per præſcientiam, tum eos ſingulariter prædeſtinat, atque ordinat per media ſingularia, quæ terminantur ad glorificationem: cujus rei occaſione nobis hodie Sermo erit de re omnium difficillima, hoc eſt de prædeſtinatione: Si priùs gratiam popoſcerimus à cœlo. AVE MARIA.

NOndum plus habui cauſæ quam nunc uſurpandi verba S. Joannis Chryſoſt inchoantis explicationem libri Geneſeos: ubi ait tempeſtatem jejunii & quadrageſimæ tribuere ſibi majorem facultatem loquendi de rebus difficillimis, quoniam auditorum ſuorum animi tunc meliùs quàm aliàs unquam diſpoſiti erant ad præſtantiſſima, abditiſſimaque comprehendenda: Nam ſi nunc non fecimus (ait Homil. 2.) quando eſt jejunium, & gulæ contemptus, & tanta bonarum cogitationum ſerenitas, quomodo talia charitati veſtræ apponere poterimus, quando delitiæ, comeſſationes, & magna deſidia? Quin tunc neque ipſi, ut par eſt, hoc faciemus, neque vos aliquid eorum, quæ dicuntur, accipere poteritis, utpote à tenebris, cogitationumque fluctibus ſubmerſi. Mihi verò minimè nunc exponendus eſt vobis mundi ortus, ſed differendum eſt de argumento longè ſublimiori difficiliorique, ſcilicet de prædeſtinatione quam Apoſtolus appellat, Conſilium Dei, Rom. 11. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* neque adeò unquam de illo loquitur, niſi cum teſtimoniis incomprehenſibilitatis, & cum ſenſu pleno ſtuporis atque admirationis: *ô altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia eius: & inveſtigabiles viæ ejus!* Quod expendens S. Ambroſ. lib. 1. de vocat. Gent cap. 5. Cum ergo hæc divinorum operum myſteria, ſupra menſuras humanæ intelligentiæ excellentia, quòdam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu, totam expoſitionis rationem, tranſtulit ad ſtuporem: & admiratur eorum quæ protulerat, exclamavit, & dixit: *ô altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*: Nihil omittens de his, quæ non oportet ignorari: nihil contrectans de his, quæ non licet ſcire: Cujus rei occaſione, dicere etiam poſſum quod de eodem argumento dixit Auguſtinus, Ser. 224. de Tempore. Novi cum Paulo Apoſtolo expaveſcere, quod etiam ille, cum conſideraret, expavit, & expaveſcens exclamavit, *ô altitudo Sapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia eius!* & quidem ſi tanta ingenia

Digitized by Google

tanto argumento ſuccubuêre, quis ego ſum qui confidam me poſſe tanti Oceani profunda penetrare? Hoc equidem agere non aggredior, ſed tantùm quædam vobis indicare, quæ ad prædeſtinationem pertinentia noſtro in Evangelio hodierno continentur: quæ ad quatuor puncta, reduci poſſunt.

1. Eſt dari Prædeſtinationem, ſecundùm illud: *Ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ:* Significat autem prædeſtinatio, peculiarem Dei Providentiam circá ſalvandos, quæ deſignatur per ovium cognitionem, quæ non tantum ſignificat, ut dixi, cognitionem intellectus, ſed amorem etiam & curam peculiarem.

2. Quid Deus agat circa prædeſtinatos, quod non facit circa reprobos: quod continetur in illis verbis. *Vocem meam audiunt & ego cognoſco eas;* &c. *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

3. Quid prædeſtinati faciant ſupra reprobos: quod continetur in illis verbis. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me,* &c. *& non rapiet eas, quiſquam de manu mea.*

4. Quibus modis dignoſcant prædeſtinati, à reprobis; ſecundùm illud, *& ego cognoſco eas:* Item *non eſtis ex ovibus meis:* ad quæ puncta, reduci poſſunt omnia, quæ de Prædeſtinatione dici poſſunt: Sed quoniam omnia iſta non poſſunt eſſe unius diſcurſus, de ſingulis ſeparatim agemus; incipiamus à 1.

Dico 1. Dari Prædeſtinationem in Deo, Hanc unus Joannes Erigene negavit, cùm in cap. 8. ſui libelli ſcripſit præſcientiam & prædeſtinationem ſimilitudine rerum temporalium ad Deum transferri; ſed verè in Deo non eſſe præſcientiam rerum humanarum: Cujus errorem rectè confutavit Eccleſia Lugdunenſis in peculiari libro contra illum. Verum; ut rectè dixit S. Proſper ad capita Gallor. cap. 1. Prædeſtinationis fides, multâ ſanctarum authoritate Scripturarum munita eſt: Rom. 8. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui,* &c. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit:* Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem,* &c. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Eodem pertinet cum mentio fit in variis locis libri vitæ, in quo dicuntur ſcripta eſſe nomina aliquorum: Item iſtud Chriſti. *Nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis:* Item hoc aliud, quo dicit aliquos eſſe electos: *multi vocati, pauci verò electi:* Item quòd dicit aliquos à Patre trahi, & dari Filio: Item quòd aſſerit eis paratum eſſe regnum ab origine mundi: Item, quòd dicitur diverſis in locis; Deum quibus vult miſereri, vel indurare quos vult; & mercedem vel bravium aliquibus polliceri. Nam ex omnibus illis, conſtat plures homines pervenire ad finem ultimum ſupernaturalis felicitatis, ad quem non potuerunt niſi viribus ſupernaturalibus à Deo collatis: At verò, ſine præſcientiâ Dei & providentiâ diſponente, & ordinante, nec vires ſupernaturales potuiſſent hominibus infundi, nec potuiſſet præmiu beatitudinis dignis potius concedi quàm indignis. Hæc autem providentia, & præſcientia quæ præſtat hos effectus, eſt ipſiſſima prædeſtinatio: Ipſius enim eſt ea diſponere, & ordinare quæ hominibus conducunt ad ſalutem. Rationem reddit S. Thom. 1. p. quæſt. 23. art. 1. in corp. Quia cum Deus ſit prima cauſa rerũ omnium, omnia ſubjacent Divinæ providentiæ; ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare, eſt enim providentia ratio ordinis in finem: finis autem ad quem res creatæ ordinantur eſt duplex; unus qui excedit proportionem naturæ creatæ, ejuſque facultatem, & hic finis eſt vitæ æternæ, quæ excedit vim creaturæ rationalis, cui viſio Dei non competit

Digitized by Google

perit naturaliter; alter autem finis eſt naturæ creatæ proportionatus, quem ſcilicet res creata poteſt attingere ſecundum virtutem ſuę naturę ad illud autem ad quod non poteſt ſuis virib⁹ pertingere, oportet ut ab alio tranſmittatur, ſicut ſagitta in ſcopum tranſmittitur ad ſignum: unde propriè loquendo creatura rationalis quæ eſt capax vitæ æternæ ad ipſam à Deo tranſmittitur: cuius tranſmiſſionis ratio in Deo præexiſtit, ſicut eſt in eo ratio ordinis omnium in finem, quæ providentia nominatur; ratio autem tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem appellatur prædeſtinatio: unde patet prædeſtinationem eſſe partem providentiæ, & eôdem mdô procedere prædeſtinationē quo modo procedit providentia, nempe per directionem mediorum ad finem; ſeu per electionem conducibilium, & voluntatem certam ea media parandi: Cùm verò conſtet ex fide hominem creatum eſſe propter beatitudinem acquirendam, illa autem ſit ſupernaturalis; oportuit media parata eſſe proportionata, & conſequenter ſupernaturalia: quorum ratio cùm ſit in Deo, & voluntas ea concedendi, oportet in Deo eſſe prædeſtinationem. Id patet ex ipſo facto: nam aliqui perveniunt ad vitam æternam, idque non caſu, neque temerè; igitur per media certa & conducibilia: cùmque ea ſint ſupernaturalia, ab alio parati debuerunt & ordinari: non ab ullo alio, quàm à Deo; igitur ab eo: priuſquam autem dentur, ſunt parata; igitur præordinata ſunt hæc autem præordinatio, ſeu præcedens diſpoſitio, communi nomine prædeſtinatio appellatur. Igitur certum eſt quod diximus dari in Deo Prædeſtinationem.

Hic duplex evitari debet ſcopulus: Primus eſt ſcandali: nam plurimi ex doctrinâ prædeſtinationis ſcandalizantur, & peſſimas trahunt conſequentias, quidam præſumptionis, alij deſperationis, ut de quodam Monacho refert S. Auguſtinus lib. de Bono perſever. cap. 15. qui ex mala conſequentia petita ex prædeſtinatione relicta vita Monaſtica, repetiit ſæculum, & periit. Verùm unicuique ſufficere debet, cùm prædeſtinatio ſit in Deo, nihil poſſe eſſe niſi ſanctum, itaque nihil injuſtum, nihil iniquum, nihil contra rationem, nihil contra æquitatem nihil repugnans ſummæ bonitati, ſummæ juſtitiæ, ſummæ miſericordiæ, aut ulli perfectioni; alioqui Deus non eſſet Deus. Hoc ſignificavit Apoſtolus ad Rom. cap. 9. agens de prædeſtinatione: cùm enim aliquas in contrarium attuliſſet difficultates, uno verbo reſpondet, *ô homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Sufficit enim homini Dei authoritas, quidquid homini tandem videatur, quidquid opponatur, quidquid comprehendat, aut non comprehendat homo: Hoc autem pendet ex juſtâ de Deo apprehenſione, & magnitudinis ipſius cogitatione; nam ſola Dei majeſtas, & authoritas tibi & mihi ſufficere debet: & certè ſi in omnibus aliis myſteriis tibi ſufficit, cur non in ſuâ diſpoſitione, cur non in ordine providentiæ ſuæ?

2. Scopulus in quem aliqui impingunt, eſt, quòd ex aliquibus difficultatibus quas habent in materia prædeſtinationis, quia illis ſatisfacere non poſſunt, aut potius quia ſibi ſatisfacere nequeunt, ideo negant prædeſtinationem in Deo: quaſi verò ex aliqua difficultate cui non potes reſpondere, liceat tibi evidentem veritatem reijcere? Hoc eſt quod damnat Auguſtinus lib. de bono perſever. c. 4. in fine. Nunquid ideò negandũ eſt, quod apertũ eſt, quia cõprehendi nõ poteſt, quod occultũ eſt? Nunquid, inquã, proptereà dicturi ſumus, quod ita eſſe percipimus, non ita eſſe; quoniã cur ita ſit, non poſſumus invenire? Ita enim ſe res habet, Auditores, quotidie certa & aperta negantur ob aliquas difficultates, quibus imbecilla ingenia ſatisfacere nõ poſſunt: imbecilla dico, 1. quia non poſſunt ſolvere: 2. quia nec ſolutiones intelligere: 3. & maximè,

quia

quia ex illa impotentia, negant apertiſſima, vel apertiſſimè revelata, itaque ex ignorantia incidunt in errorem; atque hinc ferè natæ ſunt omnes hæreſes uti patet enumerando; In quo ſumma culpa eſt; cum advertere debuiſſent ſemper in rebus fidei, eſſe aliquid quod lateat, itaque quod comprehendi non poſſit; unde præclarè monet Ambroſ. lib. 1. de vocat. gentium, cap 5. Multa ſunt in diſpoſitione operum divinorum, quorum cauſis latentibus ſoli monſtrantur effectus, ut cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur; negotio in medium deducto, & in occulto ratione ſubducta; ut in eadem re, & de inſcrutabilibus præſumptio, de manifeſtis falſitas refutetur. In præſenti itaque materia, illud nobis certum ſit dari prædeſtinationem. Nam ſi datur Deus, datur providentia, ſi datur providentia, datur prædeſtinatio, cum illa ſit providentia circa creaturam rationalem: ſi datur prædeſtinatio, cum ipſa ſit in Deo, nihil me turbare debet; nam ſi prædeſtinatio eſt Dei providentia circa naturam rationalem in ordine ad ſalutem, igitur eſt peculiaris cura Dei erga meipſum: ut me ad ſalutem æternam perducat: Quid me igitur obturbet ſi Deus tam ſedulò incumbat in meam ſalutem? Cum id faciat per prædeſtinationem, tantum abeſt ut conſideratio prædeſtinationis me habere debeat anxium, ut multò magis me ſolari debeat: ſecundum illud 1. Petri 5. *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum; quoniam ipſi cura eſt de vobis:*

Dico 2. Prædeſtinationem Dei eſſe ab æterno, ſecundum illud Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo*, id eſt Chriſto, *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti*: Item, 1. Cor. 2. ubi de Chriſti prædeſtinatione loquitur: *Loquimur Dei ſapientiam, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula:* Jerem. 31. *In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te, miſerans*: Ratio autem eſt evidens; Quia cum prædeſtinatio ſit actus immanens Dei, & Deus nullum actum immanentem habere poſſit novum in tempore, ne ſit in Deo vel levitas, vel mutatio, ſequitur prædeſtinationem eſſe æternam. Confirmatur, quia quod fit in tempore, illud eſt quia Deus decrevit ante tempus; in tempore autem eſt donatio, in æternitate verò eſt doni præparatio: unde Auguſtinus de prædeſt Sanct. cap. 10. Inter gratiam porrò & prædeſtinationem, hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia verò jam ipſa donatio: addamus; atqui donatio fit in tempore, ſed præparatio fit ante tempora; igitur prædeſtinatio eſt æterna: ut ſcias quantum debeas Deo qui de te ab æterno cogitavit, & tui curam habuit antequam eſſes. Quid moraris eum diligere qui te tantum dilexit, cum diligere non poteras? Ioan, 1. c. 4. *Nos ergò diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Sed vide qua prioritate, tot ſæculis, immò æternitate. Quantum illud eſt, quod Deus non ſe prius quàm te dilexit, quia in æternitate nihil eſt prius, nihil poſterius: hoc ſaltem effice, ut quia hactenus non amaſti, ſic ames deinceps ut ſemper ames.

Dico 3. In prædeſtinatione intercedere actus divini intellectus, & voluntatis, unde providentia & prædeſtinatio iis vocibus ſignificantur à Sanctis Patribus, quæ nunc ſignificant actum mentis ſeu intellectus, nunc actum voluntatis. De actibus intellectus ſic loquitur Dionyſ. de divin. nomin. cap. 12. Veritas proſpicit cuncta, providentia mirabili: at veritas eſt in intellectu, & proſpicere pertinet ad mentem. Boëtius lib. 4 de conſolat. proſa 6. Modus rerum, cum in ipſa divinæ intelligentiæ puritate conſpicitur, providentia nominatur: Intelligentia eſt intellectus, & conſpectio, actus ipſius: S. Auguſtinus lib. 83. qq. q. 31. Providentia eſt qua aliquid videtur futurum antequam factum ſit: Idem lib. de dono Perſev. cap. 17. Prædeſtinationem definiens,

Digitized by Google

niens; vocat præſcientiam. Favet D. Paul. ad Rom 8. *Quos præſcivit hos & prædeſtinavit*, & cap 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit*: In quæ verba S. Auguſtinus loc. cit. cap. 18. Hoc quod ait præſcivit, non rectè intelligitur, niſi prædeſtinavit. Vnde multi Theologi prædeſtinationis naturam ponunt in imperio, quod dicunt eſſe actum intellectus, quod exprimit voluntatem Dei: illa autem expreſſio pertinet ad intellectum, cujus eſt præcipere, imperare, dirigere, & movere; quod certum eſt reſpectu alterius, igitur etiam reſpectu ejuſdem perſonæ. Eodem modô paſſim Sancti Patres Providentiam, & Prædeſtinationem explicant per actus voluntatis: Itaque S. Auguſtinus in illo cap. 17. de dono Perſev. non ſolùm dixit prædeſtinationem eſſe præſcire, ſed etiam diſponere; diſpoſitio verò rerum, ad præſcientiam addit actum voluntatis: itaque ſic loquitur: prædeſtinatio, eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei: Præparatio verò aliquid addit ad præſcientiam, ne ſit inutilis repetitio; Igitur addit actum voluntatis. Id innuit Paulus dùm dicit. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*: ultima vox aliquid addit ad primam, ſed prima ſpectat mentem, igitur altera ſpectat prædeſtinationis alium actum, nempe voluntatis actionem. S. Damaſc. l. 2. de fide Orthod. cap. 29. Providentia eſt voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congruéque gubernantur. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 7. utrumque prædeſtinando præparavit, in illa incommutabili voluntate. Itaque paſſim Theologi prædeſtinationem explicant per Electionem creaturæ rationalis ad gratiam & gloriam: Electio autem eſt actus voluntatis. Et confirmatur; Quia prædeſtinatio eſt actus liber, & opus eximiæ miſericordiæ, igitur non conſiſtit in ſolo actu intellectus, ſed etiam requirit actum voluntatis: unde qui optimè concipiunt prædeſtinationem, dicunt eſſe, conceptionem mediorum aptorum, & perducentium ad finem, & voluntatem ea exequendi: nam ſola conceptio mediorum communis eſt reſpectu prædeſtinatorum, & non prædeſtinatorum; ſola autem voluntas propria eſt prædeſtinatorum; & propterea cùm dicitur in noſtro Evangelio. *Ego cognoſco eas* ſermo eſt de cognitione approbationis ut dictum eſt ſuprà, quæ non tantùm comprehendit actum intellectus, ſed etiam actum voluntatis.

Ex his patet quid de prædeſtinatione à nobis ſentiendum ſit, quæcunque tandem rationes, aut intelligendi difficultates in contrariũ ſe opponant. Cùm enim ſit actus divini intellectus, non poteſt non eſſe actus ſummæ ſapientiæ atque prudentiæ; non poteſt non eſſe actus ſummæ rationis, quem præferre debemus omnibus humanis rationibus: hæ enim omnes fallibiles ſunt, & decipere, & errare poſſunt, divina autem, nec fallere ut decipiat, aut deducat in errorem, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes ſed non ut lex tua.* Itaque omnibus hominum ſubdôlis argumentis, qualia tandem ſint, unam divinam authoritatem oppono. Item cùm Prædeſtinatio contineat actum divinæ voluntatis, non poteſt non continere ſummam æquitatem, juſtitiam, miſericordiam, erga ſuam creaturam amorem, & ſummam ſanctitatem.

Porrò ex actibus divini intellectus qui pertinent ad prædeſtinationem, quidam ſtrictim & propriè prærequiruntur ad eam, alii autem ingrediuntur ejus eſſentiam: primi generis eſt ſcientia poſſibilium omnium, quam Theologi appellant ſimplicis intelligentiæ, quâ Deus novit omnes modos & omnia media quibus prædeſtinatus, immò omnes homines perduci poſſunt ad vitam æternam: Dicitur autem præcedere ſecundum modum noſtrum intelligendi, quia eſt alia ſcientia propior, & immediatior dirigens voluntatem, & eſt

Digitized by Google

eſt ſcientia conditionalium, qua Deus novit fore, ut prædeſtinatus de facto vitam æternã conſequatur ſi per illa media vocetur, & contra non conſenſurum, & non conſecuturum ſi per alia media. Hæc autem ſcientia cum ſit directiva voluntatis divinæ prædeſtinantis, intrinſecè pertinet ad prædeſtinationem: dicitur autem dirigere voluntatem divinam, ne cæco modo, & fortuito, quædam media eligat & præferat aliis, quod pertinet ad providentiam, & conſequenter ad prædeſtinationem. Tum ſuppoſita voluntate dandi ejuſmodi media, ex quibus infallibiliter ſequitur talis cooperatio, ſequitur ſcientia viſionis effectuum certò futurorum; donationis gratiæ, cooperationis creaturæ, perſeverantiæ uſque in finem, & mortis dandæ opportuno tempore, & conſequenter deceſſus in gratia: ex quo ſequitur voluntas abſoluta dandi gloriam, & ſcientia viſionis, illius dandæ; quæ ultima ſubſequitur prædeſtinationem, niſi prædeſtinatio ſumatur completa, prout ipſo termino ſuo finitur: ſed minus propriè tunc ſumitur, uti dicemus cum prædeſtinationis definitionem afferemus.

Jam quoad voluntates divinas, illæ omnes pertinent ad prædeſtinationem, quæ reſpiciunt ejus effectus, quicunque ſint, à primo ad maximum, ſeu ſpectant ipſum finem, ſeu media: diſtinguuntur autem illæ omnes voluntates inter ſe ratione, ſecundum diverſitatem effectuum: unde inter ſe habent prioritatem, aut poſterioritatem, ſecundum prioritatem, aut poſterioritatem effectuum: in quibus prioritas ſumenda eſt ex independentia, poſterioritas ex dependentia: & ita prior eſt finis intentio quàm mediorum: unde prior eſt voluntas hominis ſalvandi, quàm voluntas dandi gratiam: Iam prior eſt voluntas dandæ perſeverantiæ, quàm voluntas abſoluta dandi gloriam: Item inter media, illa prius ſunt in voluntate quæ priora ſunt in ſe; unde voluntas dandi ſecundas gratias ſupponit voluntatem dandi primas: Denique omnis voluntas quæ nullo modo pendet à libero arbitrio, aut ab ejus cooperatione, antecedens eſt; ea verò quæ in ſuo effectu pendet à cooperatione voluntatis, non eſt abſoluta, neque antecedenter efficax, ſed eſt conſequens, aut inefficax, aut pendens à conditione: qua ratione ſatisfit omnibus difficultatibus quæ proponi poſſunt contra prædeſtinationis exiſtentiam: Ita enim ſervatur præexiſtentia prædeſtinationis, & conſervatur libertatis humanæ integritas: Ita ſalvatur certitudo, & infallibilitas prædeſtinationis, & voluntatis noſtræ libertas: Ita intelligimus gloriam dari hominibus miſericorditer, & tamen dari juſtè, & ut præmium atque mercedem.

Liquet ex his omnibus quid verè ſit prædeſtinatio: quam rectè definivit S. Auguſt lib. de bono Perſever. c. 14. & paſſim approbatur à Sancto Proſpero Fulgentio, Anſelmo, Beda, S. Thoma & aliis Theologis Hæc eſt autem ejus definitio. Hæc prædeſtinatio Sanctorum, nihil eſt aliud quàm præſcientia, & & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur. In quibus verbis illud innuitur quod diximus, in prædeſtinatione includi actus intellectus, & voluntatis; nam præſcientia pertinet ad intellectum, præparatio autem ad voluntatem: eſt enim illa præparatio ordinatio voluntatis, ſeu decretũ & propoſitũ voluntatis, ſeu voluntas decernens ea dare, quibus prævidet hominẽ perventurũ ad vitam æternam: per beneficia autem quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberantur, intelligitur omnis illa ſeries gratiarũ quibus homines perducuntur ad ſalutẽ: tota igitur prædeſtinatio conſiſtit in huius ſeriei præparatione, hoc eſt voluntate conferendi; & in eius præſcientia: nam Deus novit opus ſuum; itaque non eſt ſola præſcientia operũ

qu

quæ homo eſt facturus, ſed etiam præparatio beneficiorum, & voluntas ea conferendi: niſi enim Deus eá præparaſſet, homo ea non poſſet habere: Per hanc autem ſeriem dicimur certiſſimè liberari, quia in ea continentur non ſolùm auxilia prævenientia, ſed etiam adjuvantia, & bona opera, & perſeverantia in finem; hæc enim omnia beneficia ſunt Dei, quibus libertatem gloriæ filiorum Dei aſſequimur ut ibid. docet Auguſtinus. Alioqui ſi ſermo tantum ſit de auxiliis prævenientibus, non ita certiſſimè liberamur, ea certitudine quæ oriatur præcisè ex vi auxiliorum: neque enim ex illorum nuda efficacia in actu primo, certitudinem habent, quia à ſuo effectu impediri poſſunt à libero arbitrio, quod liberè ita concurrit, ut poſſit non concurrere, ac ſi nihil concurrat, nihil efficietur: ſed tota eventus illius certitudo oritur ex vi divinæ ſcientiæ quæ falli non poteſt quæque ſe extendit ad omnes eventus liberos, ſive abſolutè, ſive ex hypotheſi futuros: Unde per eam Deus certiſſimè novit, quid voluntas humana, tali gratiarum ſerie, ſi eam haberet, eſſet factura: Poſita autem conditione ſeu hypotheſi, nimirum Dei voluntate dandi talem ſeriem auxiliorum, illa ſcientia conditionata tranſit in abſolutam, & jam per illam ſcitur, quid reipſa eventurum ſit. Hinc nata illa differentia quam modò attulimus & quam ſæpe affert Auguſtinus inter gratiam & prædeſtinationẽ, quod prædeſtinatio ſit præparatio gratiæ; gratia autem ipſa donatio: quare ſi ſit reſpectus tantum ad aliquas gratias, ut ad primam juſtificationem, erit prædeſtinatio inchoata & incompleta: ſi autem ſit reſpectus ad omnes gratias uſque ad ſalutem & gloriam, erit perfecta & conſummata prædeſtinatio: unde aliqui dicunt prædeſtinationem in univerſum complecti & gratiam & gloriam, quia complectitur & media & finem, cum providentia ſit ratio ordinis in finem, & ratio ordinis ſit in ordinatione mediorum.

Ex hac definitione 1. conſtat ſolum Deum prædeſtinare poſſe, quia ſolus poteſt gratiam conferre in ordine ad gloriam, itaque in ea re nos à ſolo Deo pendere, quod nobis utilius eſt quàm ſi vel à nobis, vel ab alia creatura penderemus: plus enim certi eſſe debemus de Dei erga nos amore, ejuſque de noſtra ſalute cura, & ſollicitudine, quàm de noſtro erga nos ipſos amore noſtro & cura. Certè ſi mea prædeſtinatio à me uno penderet, quàm ego diffiderem; cum quotidie experiar me Dei gratia adjutum, & tot divinis præſidiis ſuffultum, & auxiliis præventum mihi deeſſe? Quid de me fieret, ſi ſolus eſſem, in tanta rerum ignoratione, inter tot hoſtes & pericula, in tanta imbecillitate virium, cogitationum varietate, judiciorum diverſitate, animi levitate, & voluntatum inconſtantia? Quis non habeat uberes & multiplices de ſe conquerendi cauſas & occaſiones? Quàm tutius ergo in Dei cura vivimus & dicimus cum Propheta, *In manibus tuis ſortes meæ*?

Conſtat 2. Cum duplex ſit prædeſtinatio, una incompleta quam S. Damaſcenus vocat antecedentem, & terminatur ad juſtificationem; altera completa quæ terminatur ad gloriam, cujus definitionem dedimus ex Auguſtino: prima complectitur ſeriem auxiliorũ prævenientium, quæ dantur uſque ad juſtificationem incluſivè; præparatio enim ejuſmodi auxiliorum ſæpe vocatur in Scripturis prædeſtinatio, ſed tantum inchoata & incompleta: altera complectitur omnem ſeriem auxiliorum prævenientium uſque ad finẽ vitæ, gratiæ comitantis, & bonorũ operum, & ultimi auxilii prævenientis, quo vita finitur in gratia, per quod ultimò completur prædeſtinatio: eſt enim prædeſtinatio præparatio omniũ beneficiorũ Dei, quibus certiſſimè liberantur hoc eſt ſalvantur quicunque liberantur uti dictum eſt. Ac primæ quidem effectus ſunt omnes gratiæ quæ dantur, & omnia opera bona quæ fiunt, etiam à repro-

Digitized by Google

bis, quia proveniunt ex ſyncero affectu, & amore Dei, quo cupit homines adducere ad ſalutem; neque enim dantur à Deo, alia mente, etiamſi novit iſta in multis fore irrita; hoc enim ipſi diſplicet, neque propterea non vult eorum ſalutem; unde ad eam illos ſyncero affectu excitat, invitat, & auxilium offert, ne cauſari poſſint ſibi aliquid ex parte Dei fuiſſe, cujus defectu ab eâ exciderint. Alterius autem prædeſtinationis hoc eſt completæ, effectus, ſunt quæcunque efficaciter conducunt ad ſalutem, quæcunque illa ſint, & ad hoc hominibus à Deo dantur, & ordinantur, cùm Deus ſit author prædeſtinationis. Vnde omnes eventus proſperi & adverſi, omnia bona ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, quæ hominem ad beatitudinem obtinendam perducunt, effectus ſunt prædeſtinationis; & cùm omnia juvare nos poſſint ad ſalutem conſequendam, omnes qualitates corporis & animæ, omnes occaſiones, & opportunitates, & quælibet alia adjumenta, omnes item actiones naturales & ſupernaturales, idque ex Dei ordinatione, ſanè hæc omnia ſunt ejus effectus: non autem peccata; quia à Deo ordinari non poſſunt ad eum finem, licet per accidens, aliquando homines lucrum capiant ex peccatis, ut occaſionem plus amandi Deum, aut pœnitentiæ; ſed Deus ad hunc effectum non vult peccatum; iterum, ſuppoſito peccato, Deus ſecundâ intentione vult pœnitentiam, & amorem majorem: itaque peccatum benè ordinari non poteſt: ſed ſuppoſitâ peccati inordinatione, Deus alio ordine illam corrigit. Cætera autem omnia ordinantur à Deo, & ex illâ ordinatione fiunt beneficia Dei quibus homines ad ſalutem ſuaviſſimè perducuntur, ſecundum illud Apoſtoli, *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Sed quid dicit Apoſtolus diligentibus Deum, dicamus etiam cum eodem *dilectu à Deo*: nam ſi ille non diligeret, quomodo diligerent? quia *ipſe prior dilexit nos.*

Hic, mi Auditor, teipſum conſule, teipſum proſpice: Quid eſt quod tibi omnia cooperantur in malum? vide enim quo omnia robis vertant, ſpecta ſingula. Si Deus te proſperis demulcet, omnia vertis in malum: Aut extolleris; aut te voluptatibus immergis: Si adverſis caſtigat, quàm es animi fracti, & abjecti? Si augeat opes, auges crimina: Si minuit, murmuras: Si ſanus es, abuteris: Si æger, impatientiâ tuâ Deum offendis: Si tibi proponatur Deus ut miſericors, bonitate abuteris: Si ut juſtus, blaſphemas. Quid dicam quòd omnes creaturæ, ut ait Sapiens, *factæ ſunt in odium, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Ex hoc colligere potes ad quem ordinem pertineas, an ad prædeſtinatos, an ad reprobos: An ſis ex ovibus Chriſti, & ad dexteram collocandus, an verò rejiciendus ad ſiniſtram cum hœdis. Certè neceſſe eſt te ad alterutrum ordinem pertinere. Hoc potiſſimum tuâ intereſt, quia id pertinet ad æternitatem. Cætera ſunt hujus temporis, & finem habebunt aliquando: At prædeſtinatio originem habet ab æterno; nam præſcientia, & præparatio æterna eſt; quod autem ante ſæcula præparatur, datur in tempore; quod autem datur ſunt beneficia Dei; terminus autem eſt id quod terminum neſcit, nempe ſalus æterna: audi enim; beneficia quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur: In illis autem beneficiis includitur tua cooperatio, ut ſcias in tua prædeſtinatione tuam includi voluntatem; ut intelligas te non invitum ſed volentem futurum beatum. Attende igitur & cooperare, ut voluntati Dei reſpondeas; & ita pervenias ad gloriam quam tibi paravit, & quam nobis concedat Jeſus Chriſtus Dominus noſter qui eſt beatus in ſæcula, Amen.

Digitized by Google

FERIA QUARTA

DOMINICÆ PASSIONIS:

CONCIO SECUNDA.

DE PRÆDESTINATIONE.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Ioan. 10.

QVod populi quidam ſapientiâ cõmendabiles nobis de Sapientiâ Dei exhibuerunt, poſitâ in Templorum ſuorum veſtibulo ſtatuâ Minervæ, ingenti velo coopertæ cum hac inſcriptione; Nemo adhuc mortalium peplum meum revelare potuit; Id ego poſſum ponere in hoc ſermonis ingreſſu, cum de prædeſtinatione vobis locuturus ſim, quam Apoſtolus nominat Conſilium Dei, ad quod neminẽ ipſe unquam vocavit. Rom. 11. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Propoſitum mihi non eſt retegere illud velum, ſed perſequendo explicationem Evangelii, quod aggreſſi ſumus, ubi ſub ovium nomine habetur ſermo de prædeſtinatis; poſtquam vobis locutus ſum de exiſtentiâ naturâque prædeſtinationis, dicere vobis hodie de iis quæ Deus operatur erga prædeſtinatos, & non præſtat Reprobis, quod quidem comprehenditur hiſce verbis: *Ego cognoſco eas, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Verum quo materia difficilior eſt, eo majori divinæ gratiæ adjutorio egemus. AVE MARIA.

IN priori diſcurſu oſtendimus dari in Deo prædeſtinationẽ; cũ hæc ratiocinatio id cõcludat; Si eſt Deus, eſt etiam providentia, ſi eſt providentia, multò magis prædeſtinatio, hoc eſt peculiaris providentia circa hominũ ſalutem. Nunc ordine ſequitur dicendum, quo peculiari modo Deus ſe habeat circa Prædeſtinatos, quâ in re quod occurrit primum eſt Electio, unde paſſim in Scriptura prædeſtinati appellantur Electi: *Multi vocati pauci vero Electi*: Matth. 20. *Elegit nos in ipſo, &c.* Epheſ. 1. *Congregabunt Electos ejus, &c.* Matth. 24. quibus verbis ſignificatur electio prædeſtinatorum, quæ nihil aliud eſt niſi delectus & diſcrimen quod Deus facit electorum repro-

borum,ſin Evangelii noſtri hiſce verbis notatum: *Vos non creditis,quia non eſtis ex ovibus meis: oves meæ, vocem meam audiunt:* Nam ex iſtis inferendum eſt; non igitur omnes ſunt oves: ait enim, *Vos non eſtis ex ovibus meis*: Aliqui autem inter oves cenſentur,nam dicit, *oves meæ vocem meam audiunt.* Quemadmodum ergo Deus olim Ægyptios, & Iſraëlitas, diviſit luce, & tenebris Exodi 10. *Et facta ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus: ubicumque autem habitabant, filii Iſraël,lux erat*: Ita per electionem Deus quoſdam aſſumit, & alios deſerit; Eſt enim Electio, unius aſſumptio,& alterius derelictio.

Porrò in illâ ſeparatione duo mihi difficillima occurrunt,primum in genere,alterum in particulari: In genere quidem circa hunc modum agendi Dei, cur ſcilicet uſus eſt electione aliquorum, & differentiâ, ut alios ſalvare voluerit, alios reprobare, cùm omnes homines ſalvare potuiſſet ſi voluiſſet, neque enim Deo deeſſe poterant modi omnes homines ſalvandi, ſed voluit inæqualiter erga homines ſe gerere,ex qua inæqualitate accidit ut quidam ſalventur, alii verò damnentur: qui enim electi ſunt, ſalvantur, qui relicti ſunt, damnantur. Jam quod in particulari maximam habet difficultatem illud eſt, unde accidat ut iſte cenſeatur inter prædeſtinatos, alter inter reprobos: cur Paulus Electus eſt, & factus vas electionis; Judas autem derelictus, & factus filius perditionis, ut eum vocat Chriſtus Dominus. Unde enim petitur cauſa huius ſeparationis, atque diſcriminis,ut ſcilicet unus eligatur præ alio? ſecundum illud Matth.24. *Duo erunt in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur: Duæ molentes in mola,una aſſumetur, & una relinquetur.*

Incipiamus à primo, ac conſideremus divinum illud decretum quo Deus non in ſingulari, & determinatè,ſed in generali & vagè ſtatuit eum modum providendi, quô non omnes prædeſtinentur,ſed tantum aliqui,relictis aliis,cum eſſet in poteſtate Dei, omnes ſalvare,ſi voluiſſet; hoc ego ſequentibus concluſionibus explicare aggredior.

Dico itaque 1. licet huius rei tantæ nulla cauſa reddi poſſet, ab ullo homine vel ab Angelo,tamen id nobis ſatis eſſe deberet,cum ita ſe res habeat, non id factum fuiſſe ſine Deo, cùm ejus rei procuratio ad præcipuam Providentiæ Dei partem pertineat, atque inde ſequatur id eſſe juſtiſſimum, æquiſſimum, & ſanctiſſimum, & ſuppoſito præſenti rerum creatarum ordine, id fieri debuiſſe. Ratio eſt quia Dei providentia eſt omnium perfectiſſima: nam in nullo alio reperiri poteſt,aut plus ſapientiæ,aut plus bonitatis,aut major aliqua potentia; itaque in Deo nec deeſt ſapientia, ut norit, non bonitas, ut velit, non potentia, ut exequatur,adeò ut nulla re impediri poſſit; Et hæc fuit Apoſtoli reſponſio Rom. 9. dum ait: *ô homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem aliud verò in contumeliam?* Item: *Nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit*, & cap. 11. *ô altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Dei aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: In quibus verbis, inſinuatur 1. eſſe aliquas cauſas huius diſpoſitionis. Nam ſi nullæ eſſent cauſæ prædeſtinandi potius hunc hominem, quàm alium,facile fuiſſet Apoſtolo dicere rationem huius diſcriminis ad divinum beneplacitum revocari, nullo præſuppoſito examine futurarum actionum, quare nihil aliud reſtaret admirandum, & exclamandum in altitudine, & incomprehenſibilitate iudiciorum Dei, circa prædictum modum providendi, Inſinuatur 2. illas cauſas eſ-

occultas in Deo, & conſequenter homini imperſcrutabiles, & incomprehenſibiles, unde Auguſtinus eas appellat judiciorum Dei altum profundum, Epiſtola 105. ad Sixtum, & lib. de Gratia, & lib. Arb. cap. 22. occultam Dei Providentiam. *Inſinuatur* 3. id tamen eſſe æquiſſimum, licet ſic occultum: Unde idem Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. vocat æquitatem occultiſſimam & ab humanis ſenſibus remotiſſimam: Et Laurentius Juſtinianus ſic ait in faſciculo amoris cap. 17. Nemo igitur prædeſtinationis altitudinem, & prædeſtinatorum cauſas, curioſa perſcrutatione præſumat inquirere, quæ in ſola æternæ ſapientiæ cognitione abſque errore ſunt poſita: Quiſque in dubio fateatur veriſſima, & rationabilia eſſe Dei judicia quamvis occulta. Et hæc ratio ſatisfacit ignaris, & ſapientibus: omnes enim homines ſunt, unde Apoſtolus in univerſum, *ô homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?*

Dico 2. Ita non dari certam aliquam & determinatam cauſam hujus providentiæ, quaſi aliquis aſſerere poſſet hanc eſſe hujus rei veram cauſam, & non aliam, quia id pertinet ad profundum Dei, uti hunc locum Apoſtoli Sancti Patres interpretantur, ut tamen ſubindicetur aliquam eſſe cauſam; nam qui dicit aliquid eſſe occultum, & imperſcrutabile, nó dicit nullam eſſe cauſam, ſed illam eſſe occultam. Et propterea iidem Sancti Patres illos reprehendunt qui dicebant Apoſtolum inopia rationis confugiſſe ad admirationem, & exclamationem, quod cauſam neſciret, aut nulla eſſet: nam ideò id fecit, ut oſtenderet cauſam eſſe occultam, neque debere homines de illâ temerè aſſerere, & neminem poſſe reſpondere Deo hoc eſt conqueri; ſi enim cauſam neſciat non eſt quod Deo reſpondeat, cum ignoret, ſi ſciat juſtiſſimam videbit; itaque nec habebit quod Deo reſpondeat. Chryſoſt. in cap. 9. Epiſtolæ ad Rom. Homil. 16. Non dicit Apoſtolus quod iſta ſolvere ſit impoſſibile: Sed quid? iniquum eſſe de iſtis quærere: S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 99. Quidam ſtulti putant Apoſtolum in reſponſione defeciſſe, & inopia reddendæ rationis, repreſſiſſe contradictoris audaciam: Sed magnum habet pondus quod dictum eſt, *ô homo tu quis es?* & in talibus quæſtionibus, ad ſuæ capacitatis conſiderationem revocat hominem, verbo quidem brevi, ſed reipſa magna eſt redditio rationis: Si enim non capit hæc, quis eſt qui reſpondeat Deo? Si autem capit, magis non inveniet, quid reſpondeat.

Dico 3. Præter plurimas cauſas nobis occultas & ſoli Deo notas plurimas aſſignari poſſe, tùm ex parte Dei, tùm ex parte hominum. Ex innumeris quæ poſſunt afferri nos aliquas ſeligemus. Incipiamus ab iis quæ ſunt ex parte Dei. Nam cum Deus in omnibus operibus ſe reſpiciat ut finem, idem fecit in reprobatione, ſecundum illud Prov. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*: quia in decernendo ſupplicio impii, divina attributa manifeſtantur: in tantum enim ſe reſpicit Deus ut finem, & reprobatione, & in aliis, ſuæ providentiæ partibus, quatenus ex ſuis operibus elicit oſtenſionem, ſeu notitiam ſuorum attributorum, & hæc eſt gloria Dei extrinſeca.

1. Itaque ex iſta inæquali gratiarum ſuarũ partitione, ex qua fit ut aliqui inter prædeſtinatos cenſeantur, alii autem inter derelictos, oſtendit Deus ſe eſſe Dominum ſuorum donorum, & gratiarum, & jure ſummo agere; cum negat, quibus vult, abundantiora beneficia naturæ, & gratiæ: qua ratione inter homines dicitur ille uti ſuo jure, qui debitum ſuum exigit, & rem indebitam negat petenti, & deſideranti. Certè ſi Deus æqualiter omnes tractaret, videretur idem omnibus debere: ut autem ſcias nemini debere, confert quibus vult; & quibus non

non vult, illis denegat: Hanc rationem tangit Apoſtolus cum dicit Roman. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*: quibus verbis ſignificatur, quòd ſi creatura habet plenam ſui operis poteſtatem, ita ut figulus poſſit ex eodem luto pro ſuo arbitratu facere quod vult (unde mentionem fecit ejuſdem maſſæ, & luti, ut ſcias operis inæqualitatem non provenire ex materia inæquali, cum ſit idem lutum) multò magis hanc poteſtatem eſſe in Deo, cujus potentia eſt ſuprema, & qui de hominibus, & de omnibus rebus, uti poteſt ad libitum, ſine ulla injuſtitia, quia nulli debitor eſt, ſed agit omnia, pro ſummo ſuo dominio. Itaque in illa diſpoſitione, nullum locum habet juſtitia, quia in eo nullum eſt debitum, ſed totum opus pertinet ad agentis poteſtatem, quæ cùm ſit ſuprema, relinquit artifici omnem faciendi, aut non faciendi, vel faciendi illô, vel illô modô, libertatem, ita ut totum negotium pertineat ad ejus arbitriũ, & liberum agendi modum; contra quam poteſtatem nulla relinquitur poteſtas creaturæ, conquerendi de artifice, aut aliquid recuſandi: ad quam poteſtatem oſtendendam inæqualiter tractat: Itaque ſi homo, Dominus Ligni, aut Lapidis, poteſt ex ligno, aut lapide, facere quidquid ei placet, aut comburere, aut comminuere, aut ſtatuam vilem, aut honorificam conficere, multò magis Deus id poteſt, cujus dominium eſt plenum, & abſolutum. Cæterùm Apoſtolus intelligit per vaſa in contumeliam eos quos majoribus donis privat; per vaſa autem in honorem eos quos majoribus donis, & gratiis afficit: Idem adhuc ſignificat cùm ait ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ut ſcias nihil in creaturâ præcedere, ratione cujus Deus moveatur, ut quibuſdam majora donet, quaſi id illi eſſent meriti, aliis autem neget, quòd hi non merentur; nam omnibus prior dedit: igitur ex ſe hoc fecit, non neceſſitate, ſed voluntate, & pro ſuo arbitrio: & cùm tribuat, non verò retribuat, certè liberè facit, non autem ex debito, & proinde ut oſtendat ſe liberè facere, & ſe nihil debere, inæqualiter donat. Finis itaque generalis Dei in quâcunque gratiâ denegatâ, eſt planum facere, ſe Dominum eſſe ſuæ gratiæ, ut cui voluerit negare poſſit, ſicut cùm donat, liberè dat, cui dare vult.

2. Ratio eſt; Quia Deus circa Reprobos oſtendit Omnipotentiam ſuam; unde ſic loquitur Pharaoni Exod. 9. *Idcircò poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam*: quem locum ſic reddit Paulus ad Rom. 9. *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra*: quaſi diceret; In hunc finem ego volui ut eſſes, & in regnum eveheretis, teque permiſi in populũ meum inſurgere, ut eſſes occaſio mihi manifeſtandi potentiam ac fortitudinem meam; dum enim pertinacia tua mihi obſiſtis & populum meum non vis dimittere, ego opera divinitatis meæ prodo; & faciam opus mirabile quo te, & tuos perdam naufragio, ex quo fiet ut nomen meum celebre, & venerabile fiat in gentibus. Iterum ibidem ſic pergit: *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta interitum, &c.* Indurationem dicit reproborum; per patientiam, & dilationem ſupplicii; non per impotentiam; ſed ut majori ſupplicio oſtendat ſuam potentiam & iræ magnitudinem. Vide autem hunc eventum in Reprobis & quomodo in illis eluceat potentia Dei, idque variis modis.

1. Quia infinitæ eſt potentiæ ex malis bona elicere: ut notat S. Auguſtinus Epiſtol. 106. Unde Boëtius de Conſolat. lib. 4. proſâ 6. Sola divina vis eſt, cui etiam mala, bona ſunt, cùm eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum. Clemens Alexand. 1. Stroma-

Digitized by Google

Stromatum: Divinæ ſapientiæ, virtutis, & potentiæ officium eſt, non ſolum bona facere, ſed illud maximè, ut id quod per malos aliquos excogitatum eſt, ad bonum aliquem, & utilem finem deducat. Et certè magna eſt Dei potentia, quòd omnia convertat in ſuum ordinem, ut ſerviant efficaci ejus voluntati, quæcunque contra ipſius voluntatem antecedentem fiunt à quibuſcunque Dæmonibus, & hominibus; ſive ſciant ſive neſciant, ſive velint, ſive nolint; creaturâ ſemper Deo ſerviente.

2. Quia licet Reprobi ſuæ voluntati, contra Dei voluntatem multa agant, atque moliantur; non tamen id fit ſupra menſuram permiſſionis divinæ, & impediuntur ne plus noceant aut aliter, quàm permittuntur: quibus ideò Deus præſcribit & fines, & modos, & circunſtantias.

3. Oſtenditur Dei Potentia in punitione Reproborum: nam licet ſupergrediantur ordinem legis, qui non tenetur niſi obedientiâ, quæ liber eſt actus, retinentur tamen in ordine pœnæ, quæ etiam nolentibus irrogatur: præſertim cum nullâ aliâ re magis ſe formidabilem exhibeat Deus, quàm caſtigatione impiorum: quod ex ſuprà dictis ab eo ad Pharaonem, patet; ut ex iis quæ Gabaonitæ ita dicebant, Joſue 9. *Audivimus famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto, &c.* & ex ijs quæ Moyſes in Cantico; Deuteron. cap. 15. *Aſcenderunt populi, & irati ſunt; dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim. Tunc conturbati ſunt Principes Edom: robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan: Irruat ſuper eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui.*

3. Manifeſtatio fit Juſtitiæ punitivæ Dei, quam amare potuit propter honeſtatẽ quam habet, & conformitatem cum rectâ ratione. Nam ſicut honeſtum Miſericordiæ volitum eſt à Deo, per actum prædeſtinationis, ita honeſtum Juſtitiæ punitivæ amari debuit ab ipſo. Siquidem congruentius eſt Deum velle, & exercere varia honeſtorum genera, quàm unum, aut alterum ſolum. Neque enim tantùm decuit ut manifeſtaretur ſolum attributum Miſericordiæ, neque ſolum attributum Juſtitiæ diſtributivæ, commutativæ, & remunerativæ; ſed oportuit etiam manifeſtari attributum Juſtitiæ punitivæ operibus ad extra; idque per inſignem, & Deo dignam manifeſtationem, ſcilicet ſupplicio æterno: ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram*: quæ oſtenſio ſi ſola eſſet certè ſufficeret, cum creaturæ ſint propter Deum. Id ſignificavit idem Paulus 2. ad Timoth. 2. *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*; unde quamvis vaſa aurea, & argentea, meliora ſint vaſis ligneis, & fictilibus, expedit tamen ad domus magnificentiam, & plenitudinem ut non ſolum aurea & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia habeantur ad varios uſus.

4. Oſtenditur eximia Miſericordia in Prædeſtinatos ob multiplices utilitates ex Reprobis in alios provenientes; Nam licet Deo ſufficere poſſet in reproborum creatione, & punitione, quòd oſtendat in eis iram ſuam, & juſtitiam punitivam, non tamen ejus bonitati ſufficeret hæc ratio, niſi hoc faceret in bonum prædeſtinatorum; ſecundum illud Apoſtoli ad Rom 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti.* ex quo loco deducit S. Auguſt. lib 18. de Civ. Dei cap 51. Reprobos à Deo creari, & tolerari ut cooperentur in bonum Prædeſtinatorum; Itaque ſic loquitur lib. 11. de Geneſ. ad liter. cap. 7. Num quia præſciti ſunt, ideo creari minimè debuerunt? habent enim & ipſi locum ſuum, quem in rebus impleant pro utilitatibus Sanctorum. Et eodem

dem ſenſu S.Proſper in Sentent. ad 11. caput Gallorum. Qui ſibi ſua iniquitate nocituri ſunt, ad utilitatem naſcuntur aliorum. Ratio eſt: Quia infinita bonitas, & ſapientia, non permitteret mala, niſi propter majus bonum, & licet videatur ſatis magnum bonum in manifeſtatione Iuſtitiæ punitivæ, in punitione reproborum, ſolet tamen Deus inferiora bona ordinare ad ſuperiora, ſicque omnia reducere ad ſeipſum; & ita reprobi non ſolũ congruenter ordinantur ad oſtenſionem Iuſtitiæ, quæ oſtenſio eſt minus bonum; ſed hæc etiam oſtenſio, ordinatur ad oſtenſionem majorem Miſericordiæ in prædeſtinatos, quæ eſt longè altiùs bonũ, quam Apoſt. ad Rom. 9. vocat divitias gloriæ Dei, cùm ait, *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*: (nam ex illâ patientiâ indurantur, unde ex dilatione creſcit ſupplicium, & ita Deus notam facit iram ſuam & vindictam, & per talem vindictam manifeſtat potentiam ſuam) *ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: Id eſt, magnitudinem gratiæ in vaſis miſericordiæ; ſive in ſuis electis, & juſtis: ex pœnâ enim & gravi vindictâ malorum, nota fit magnitudo gratiæ & gloriæ electorum: multi ſiquidem ex eis peccarunt, quos Deus, ſi voluiſſet induraſſet, & puniviſſet. Atqui prædeſtinati omnes, ordinantur ad Chriſtum Deum & hominem: Chriſtus verò in quantum homo, ordinatur ad Deum: Unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt ſive Paulus, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura*: (In illis autem futuris non tantùm includitur gloria Prædeſtinatorum, ſed etiam futura pœna Reproborum) Tùm ſic concludit: *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*: Ex utilitatibus verò quæ ex Reprobis in Prædeſtinatos redundant, paucas ſubjicio.

1. Eſſe poteſt. Quia Prædeſtinati ex Reproborum peccatis, & pœnâ conſequente, agnoſcunt 1. ſe nihil ex propriis viribus, agere poſſe, nihilque habere virtutis, vel gratiæ. 2. propter peccatũ originale, & peccata actualia, ſe non minùs dignos fuiſſe æterno ſupplicio, quàm reprobos, quos vident ignibus æternis torreri: unde ſequitur, 1. ut evidentiùs agnoſcant ſummam erga ſe miſericordiam, & merè gratuitam: 2. ut ferventiùs gratias agant Deo: 3. ut in Domino, non in ſe glorientur: quæ omnia collegit Apoſtolus ex loco citato; & ex hôc aliô ad Rom. 11. *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, &c.* Id ſignificavit David cùm dixit Pſal. 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, &c. *Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis*: Unde, quot ſunt reprobi, & illorum caſus, & pœnæ, tot ſunt prædeſtinatorum beneficia, non ſolùm ex comparatione; ſed quia nullos tales eſſe permiſiſſet niſi prædeſtinati inde proficerent, in quo ſummum eſt beneficium.

2. Utilitas eſt: Quia Reproborum periculis ac ruinis, Prædeſtinati cautiores, & ſecuriores redduntur, humilitate diffidentiâ ſui; timore divinorum judiciorum, prudentiâ, & circumſpectione: ad Rom. 11. *Si autem Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte, nec tibi parcat*: & Proverb. 21. *Mulctato peſtilente, ſapientior erit parvulus.* In hunc ſenſum Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. explicat illud Pſalm. 57. *Manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris*, ut prædeſtinati, in ſupplicio reproborũ, per timorem ſua opera curent eſſe puriora. Sunt enim aliqui, quos ut ait idem Auguſt. lib. 11. de Geneſi ad lit. cap. 11. ita Deus creavit, ut ad bonum proficere, niſi malorum comparatione non poſſent. Ita multi ex caſu Dæmonum profecerunt. Itaque Chriſtus hoc exemplo Apoſtolos admonuit humilitatis,

tatis,

Digitized by Google

tatis, & cautelæ Lucæ 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*: quem locum Gregorius lib 23. Moral. cap. 4. ſic ponderat: Mirè Dominus ut in diſcipulorum cordibus electionem premeret, judicium ruinæ retulit, quod ipſe magiſter elationis accepit, ut in authore ſuperbiæ diſcerent, quid de elationis vitio formidarent.

3. Utilitas. Quia Reprobi Prædeſtinatis materiam præbent maximarum virtutum, eos perſequendo: hinc enim prædeſtinati.

1. Circa difficiliora nitentes, exercent actus heroïcos.

2. Profundiores jaciunt virtutis radices, ne tentationum turbine convelli poſſint, & cadere.

3. Purius ſerviunt Deo, purificata eorum intentione ab omni ſiniſtro affectu, uti quotidie experimur.

4. Demum ſoliditatem virtutis eô modo detegunt, ut & alii ſuam hypocriſin: propterea zizania permittuntur creſcere in medio tritici uſque ad meſſem: Ita Iudicum 2. & 3. relicti ſunt inter Iſraëlitas habitatores antiqui in terra promiſſionis, ut Deus Iſraëlem experiretur, utrum in via Dei ambularet, ac ne otio torperet. Hoc ſenſu dictus eſt Eſaü ſerviſſe Jacob, quod ſic explicat Auguſtinus Serm. 78. *Major ſerviet minori*, quô, inquit, ordine? illô utique quo mali ſerviunt bonis, non utique obſequendo, ſed perſequendo: Quomodò ergo mali ſerviunt bonis? quomodo perſecutores martyribus; quomodò limæ, vel mallei auro, quomodò molæ tritico; quomodò panibus coquendis clibanus, ut illi coquantur, iſti conſumantur. Quomodò inquam mali ſerviunt? quomodò in fornace aurificis palea ſervit auro, ubi ſine dubio, palea conſumitur, aurum probatur: Itaque rectè Gregor. 2. Moral cap. 29. Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. Ita Pharao, Nabuchodonoſor, & cæteri perſecutores populi Iſraëlitici ei deſerviebant, ut fideles oppreſſi, vel imminente timore perculſi ad Deum confugerent. Nonne etiam hoc ab hæreticis emolumenti accipitur, quod per ipſos veri fideles cognoſcantur? ſecundum illud 1. Cor. 11. *Oportet hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*, ut fides Catholica magis roboretur, hæreticorũ diſſenſione: ut docet Auguſt. lib. 18 de Civit. Dei cap. 51. Nam per hæreticorum acumina vanitatis excitantur prædeſtinati, ait lib. 1. contra adverſarium Legis, & Prophetarum cap. 6. ut diligentius arcana veritatis inquirant.

4. Utilitas eſſe poteſt, quòd Reprobi ſerviunt etiam temporalibus commodis Prædeſtinatorum: Ita Deuteron. 24. dicitur de antiquis Palæſtinæ habitatoribus. *Non ejiciam eos à facie tua, anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ agri: paulatim expellam eos, de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram.* Ita in ſenſu myſtico, permittuntur Gabaonitæ vivere, Ioſue 9. *Ut in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent*: Itaque Gabaonitæ ſemper viventes in terra promiſſionis, & nunquam in ea ſortem conſecuti, eos denotant, ait Origen. Homil. 10. in Ioſue, qui licet ſint in Eccleſia nunquam tamen ad Electorum ſortem pervenient. Mitto dicere ex multis reprobis parentibus multos naſci filios prædeſtinatos, ut maxima pars fidelium deſcendit ex Gentibus & Idololatris. Ita ab Eſaü tertius ortus eſt Iob. Nam ut ait S. Chryſoſt Homil. 5. de Pœnit. Eſau genuit Raguëlem: Raguël, Zaran: Zara, Iobum. Addo etiam plurimis operibus augere Reprobos, utilitatem Reipublicæ, quoniam ſe totos rebus tẽporalibus impendunt, & pluribus artibus, & omnibus modis, quos ſæpe Prædeſtinati non adhiberent. Præterquam quod Deus ſic apparentem virtutem Reproborum, illis fictis bo-

nis remunerat. Ex quibus omnibus patet, quod diximus elucere eximiam Dei miſericordiam in Prædeſtinatos, quorum cauſa patitur Reprobos, ob multas ab illis profectas utilitates in Prædeſtinatos.

5. Manifeſtatio fit Liberalitatis Dei in Reprobos conferendo illis vitam, & bona temporalia, nec non auxilia ſupernaturalia, ex voluntate antecedenti ſalutis: quod beneficium tanto eſt majoris liberalitatis, quanto magis indignis confertur, S. Hieron. lib. 3. adverſus Pelagianos, Deus non condemnat ex præſcientiâ, quem noverit talem fore qui ſibi poſteà diſpliceat; ſed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurũ, dans ei poteſtatem converſionis, & pœnitentiæ. Audi quid dicat Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit, ſuper bonos, & malos & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*, cujus eximiæ bonitatis exemplo, perſuadet poſt pauca. *Eſtote ergo, & perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Et Lucæ 6. *Eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.* Finis igitur creandi & conſervandi præſcitos, eſt exercere beneficentiam conferendo beneficia corporis, & animæ rerumque omnium, quæ ad vitæ commoditatem, & jucunditatem pertinent. Hæc enim omnia veriſſimè ſunt beneficia, ex non ſimulata benevolentia, ſed veriſſima dilectione profecta, quamvis Deus ſimul velit permittere damnationem æternam hujuſmodi hominum, quibus hæc beneficia conferuntur. Quare Reprobi non modò non poſſunt conqueri de ſua creatione, ſed etiam, pro illa, cæteriſque rebus tenentur gratias agere Deo immortales. Ideò ſic habet Chryſoſt. Homil. 5. de Anathemate: Mortuus eſt pro inimicis, pro tyrannis, *&c.* quos tales fore ante mundi conſtitutionem ſciebat, eoſque præſcius formavit vincente præſcientiam bonitate. Et Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum c. 8. Quos ignibus æternis præſcivit arſuros, creare non deſinit, nec ei, quia eos creat, niſi bonitas imputatur. Nec verò iſta præſcientia debuit Deum impedire. Rationem dat S. Damaſcenus Dialogo contra Manichæos, Nam alioqui bonum, malo cederet.

6 Oſtendit Longanimitatem, Benignitatem, Lenitatem, & Patientiam ſuam, diu tolerando reprobandos in hâc vitâ, & ad pœnitentiam invitando: Rom. 2. *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* & cap. 9. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ*, &c.

7. Oſtendit Miſericordiam ſuam in Reprobos, in donis, & in pœnis: in donis quidem, quia eo major eſt miſericordia, quo inferior eſt, qui recipit: In pœnis autem. Quia reprobi puniuntur citra condignum.

8. Oſtenditur mira ſuavitas Sapientiæ & Providentiæ Divinæ, quæ permittit cauſas liberas agere motus ſuos, neque omnes vult evehere per auxilia ſupernaturalia copioſa, & opportuna, ſed ſinit aliquas ſuis viribus agere, ut innoteſcat, quid natura ex ſe agat, licet omnes præveniantur ſufficientibus gratiis. Ad hæc, in eo eſt ſuavitas, quod permittit particulare malum Reproborum, propter univerſale bonum: nam multa bona non eſſent, niſi hoc malum eſſe permitteretur. Denique ne impediatur ordo generationis humanæ, creat, & infundit animas quas præſcit damnandas; ut ait S. Thom. in Opuſc. de Prædeſtinatione cap. 7. ratione 2.

Hactenus oſtendimus varias cauſas ex parte Dei, cur permiſerit aliquos homines damnari, & aliquos eſſe Reprobos. Nunc paucæ hoc eſt duæ à nobis afferendæ ſunt, ex parte hominum. 1. Petitur ex peccato originali, 2. Ex libertate hominis.

Quod ad primam cauſam attinet. Cùm ex fide conſtet omnes homines contraxiſſe peccatum

Digitized by Google

peccatum originale, hinc conſtat omnes reprobari potuiſſe omnibuſque gratiam denegari. Nam ut, ait Apoſtolus Epheſ. 2. *Eramus natura filii irâ, ſicut & cæteri*, hoc eſt digni irâ, itaque indigni gratiâ; & digni damnatione ſaltem negativâ: unde ſequitur quod ait S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 99 ut etiamſi nullus liberaretur, nemo rectè poſſet Dei vituperare juſtitiam; & qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione juſtiſſimâ derelictis, oſtenderetur quid meruiſſet univerſa conſperſio, & quò etiam iſtos debitum Dei judicium duceret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret. Ideò idem lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 9. ſic loquitur, agens de fide: Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes eſſe in condemnationem, ſine dubio juſtiſſimam, ita ut nulla Dei eſſet juſta reprehenſio, etiam ſi nullus inde liberaretur. Et Epiſtolâ 205. ad Sixtum: Ubi univerſa maſſa, meritò damnata eſt, contumeliam debitam reddit juſtitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativa: & proinde negat figmentum dicere poſſe, quare ſic me feciſti? cùm habeat poteſtatem ex eâdem maſſa, facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Et ea cauſa eſt cur ſint plures Reprobi, quàm Prædeſtinati. Id notavit Auguſtinus lib. 21. de Civit. cap. 12. Si omnes remanerent in pœnis juſtæ damnationis, in nullo appareret miſericors gratia redimentis: rurſùs ſi omnes à tenebris transferrentur ad lucem, in nullo appareret ſeveritas ultionis: in quâ propterea multò plures, quàm in illâ ſunt, ut ſic oſtendatur quid omnibus deberetur. Idem in Epiſt. 157. ad Optatum. Tam multos naſci voluit, quos ad ſuam gratiam non pertinere præſcivit, ut multitudine incomparabili, plures ſint illis quos in regni ſui gloriam, filios ſuos promiſſionis, prædeſtinare dignatus eſt; ut etiam ipsâ rejectorum multitudine oſtenderetur, quàm nullius momenti ſit apud Deũ juſtum, quantalibet numeroſitas juſtiſſimè damnatorum; atque ut hinc quoque intelligant, qui ex ipsâ damnatione redimuntur, hoc eſſe debitum maſſæ illi univerſæ, quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent.

Quoad alteram cauſam quæ petitur ex libertate: Cum Deus voluerit homines ſalvare per merita, voluit etiam eorum ſalutem, eorum libertati gratia adjutæ relinquere: nam ſi deeſſet libertas, nullum eſſet meritum; ſi deeſſet gratia, nulla eſſet potentia. En quomodò ſequitur multos damnari abuſu libertatis. Hoc ſignificavit Chriſtus parabolâ invitatorum ad cœnam, de quorum maximâ parte dictum eſt: *Et cœperunt omnes ſimul excuſare*, hoc eſt, noluerunt venire. Hic autem modus eſt omnium perfectiſſimus, & convenientiſſimus, licet per accidens ſequatur multorum damnatio: ſed uti dicitur Oſée 13. *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum.* Hactenus de cauſis.

Dico 4. Sic homines inter ſe diviſos eſſe prædeſtinatione, ut tamen nullus ſit inter homines ſeu Prædeſtinatos ſeu Reprobos, cui Deus ſincerè non voluerit ſalutem æternam, & cui non dederit media convenientia ad ſalutem conſequendam.

1. Pars de Prædeſtinatis facilè patet: Quia Prædeſtinati perveniunt ad gloriam, quæ cũ eorum vires ſuperet, ad eam tranſmitti debent, non poſſunt autem ab alio, niſi à Deo: quia illa finis eſt ſupernaturalis, nullus autem finis acquiritur, niſi per media, illa verò debent eſſe proportionata fini, igitur debent eſſe ſupernaturalia, & conſequenter ſuperant & vires, & meritum creaturæ, & propterea à Deo dari debent. Proinde verum eſt quod dixi, Deum prædeſtinatis ſincerè voluiſſe ſalutem, & illis dediſſe media apta ad eam aſſequendam; & hoc eſt quod dixit Evangelium

Digitized by Google

noſtrum. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.*

2. Pars probatur, de Reprobis: 1. Ex variis locis Scripturæ Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* & in fine capitis. *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini, & vivite*: Ibid cap. 33. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat: convertimini*, &c. *quare moriemini?* in quibus verbis non ſolùm continetur declaratio Divinæ voluntatis circa ſalutem etiam reproborum, ſed etiam promiſſio ſalutis. Vnde Cæleſtinus I. Epiſt. 2. ad Epiſcop Gall cap. 2. colligit Deum ſemper eſſe paratiſſimum ad ſubveniendum & provocandum ad pœnitentiam. Matth. 18. *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis*: ubi Hieronymus: Quotieſcunque perierit aliquis ex puſillis, nõ voluntate Patris perit. S. Thom. in comment. proprio: Minus dicit, & potius ſignificat, quia voluntas ejus eſt, ut ſalventur: Id patet ex contextu, eſt enim concluſio collecta ex parabolâ de centũ ovibus & unâ errante. 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*; ubi notandum eſt negationem poſitam cum affirmatione, nullum pati exceptionem 1 ad Timoth. 4 *Qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium*: unde conſtat non fuiſſe tantùm Salvatorem eorum qui crediderunt, ſed etiam aliorum, licet peculiari modo fuerit fidelium. Iſaiæ 65. *Expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*: Jobi 24 *Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur ad ſuperbiam*: Et Apocal. 2. *Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere*: 2. Reg. cap. 4. *Neque vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitùs pereat, qui abjectus eſt.*

2. Probatur, Quia loca allata ex Scripturis neminem excipiunt ab illâ generalitate, quam verba continent, ſed ſine exceptione loquuntur de omnibus hominibus, de eorum ſalute, converſione, & æterna vita.

3. Probatur. Quia quando & Paulus 1. ad Tim. 2. Iubet orationes fieri pro omnibus hominibus, non ſunt excipiendi Reprobi, ſed pro illis etiam orandum eſt, igitur non minus eſt univerſalis voluntas Dei, omnes homines ſalvandi. Conſequentia probatur. Quia ab univerſalitate hujuſmodi voluntatis divinæ Paulus probat univerſalitatem orationis, dicens, *Obſecro* &c. *fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt*, &c. *hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: Chryſoſt. homil. 7. in 1. ad Tim. 2. Imitare Deum, ſi omnes ille vult ſalvos fieri, pro omnibus oportet orare: illius & tu concorda voluntati.

4 Probatur: Quia SS. PP. agentes de præcipuis quibuſdam reprobis, ut de Pharaone, Eſau, rebellibus Iſraëlitis, Juda, Gentilibus, Idololatris, docent Deum illis non defuiſſe, ſed modis omnibus eorum procuraſſe ſalutem verùm illos id noluiſſe: ſecundum illud Iſaiæ 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruſcas* & cap 65. *Expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi*: Et Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas: & noluiſti?* Certè Ambroſ. lib. de Parad. cap. 8. ex vocatione Judæ ad Apoſtolatum ait Chriſtũ oſtendiſſe, quod voluerit omnes ſalvare. Venerat (ait) Dominus Jeſus, omnes ſalvos facere peccatores: etiam circa impios oſtendere debuit ſuam voluntatem, & ideò nec proditurum debuit præterire, ut adverterent omnes quod in electione etiam proditoris ſui,

ſer-

Digitized by Google

ſervandorum omnium inſigne prætendit. Et poſt pauca. Quod in Deo fuit, omnibus oſtendit; quòd omnes voluit liberare.

5. Probatur. Quia omnes affectus quos Scriptura metaphoricè tribuit Deo, circa Reproborum damnationem, ut ſunt ira, triſtitia, coactio ſeu compulſio, zelus, odium, pœnitentia; oſtendunt Deum præoptaſſe ſalutem eorum qui damnantur, quos invitus damnavit.

6. Probatur. Quia etiam Reprobis præcipitur ut curam agant ſuæ ſalutis, & graviter peccant, cum id non faciunt: Sed hæc obligatio & cura, per ſe tendit ad conſecutionem vitæ æternæ: igitur ad hanc diriguntur.

Jam quod illa voluntas Dei ſalvandi Reprobos fuerit ſincera & efficax. Probatur 1. Quia illa voluntas eſt vera & ſincera quæ ex parte volentis & deſiderantis tribuit efficaciter quidquid requiritur ad obtinendũ effectum, ita ut per Deum non ſtet quò minus ſequatur effectus: Itaque hæc Dei voluntas, non tantum terminatur ad media, ſed etiam intendit finem, quantum eſt ex parte Dei efficaciter, ita ut veriſſimum ſit nihil deeſſe volitioni divinæ, quò minus efficaciter obtineretur ſalus, ſi homo vellet divinam voluntatem ſequi.

Probatur 2. Quoniam omnia media ſalutis, non ſolum Prædeſtinatis, ſed etiam Præſcitis Deus concedere voluit, nec tantum materialiter, ſed etiam formaliter, prout ex ſe ſunt media ſalutis: ergo voluntas ſalvandi homines, etiam Præſcitos fuit, efficax, quantum fuit præcisè ex parte Dei. Et certè illis omnia paravit media, & communiſſima, ut Redemptionem, Chriſti mortem, merita ejus & orationem, mandata, Sacramenta, conſilia, *&c.* & particularia, ut ſunt gratiæ exteriores, & interiores, quæ nulli unquam denegantur.

Vnde ſequitur 1. Nullum poſſe de Deo conqueri: Nam nihil omiſit quod eſſet neceſſarium, ſecundum illud Iſaïæ 5. *Quid eſt quòd ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci?*

2. Nullum eſſe qui non ſit plurimum Deo obnoxius: Nam ſimpliciter loquendo Deus nulli debebat vel gloriam vel gratiam, tum propter peccatum originale tum propter actuale.

3. Nullum damnari niſi culpa ſua: quia nemo niſi volens damnatur: unde ait Propheta, *Perditio tua ex te Iſraël.*

4. Itaque unicuique connitendum eſſe ut ſalvetur, ſecundum illud 1. Cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis*: quod dicit Apoſtolus, poſtquam dixit, *multi quidem currunt*, *ſed unus accipit bravium*: ut oſtendat omnibus propoſitam eſſe palmam, ſed ab illis auferri qui benè currunt, ad quod ipſe omnes hortatur. Hoc ipſum dicere voluit Chriſtus Matth. 11. cum dixit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, quibus verbis ſignificatur non ad unam gentem aut ad paucos redactum eſſe regnum cœlorum, ſed omnibus eſſe apertum & expoſitum: Vnde Lucas cap. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Ioannem: ex eo regnum Evangelizatur, & omnis in illud vim fecit.* Vtinam & nos, cum gratia Chriſti nos ad illud vocantis, faciamus.

Amen.

* * *

FERIA

FERIA QUARTA

DOMINICÆ PASSIONIS,

CONCIO TERTIA,

DE PRÆDESTINATIONE.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Ioan, 10.

PRædeſtinationem, ut iam dixi, rem eſſe difficillimam & obſcuriſſimam, omnes Scripturæ & Sancti Patres aſſerunt: *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Illud autem in ea occultiſſimum eſt, quod ſpectat ad Electionem, nempè cur quoſdam aliis ita præferat, ut illos aſſumat, iſtos verò deſerat. Auguſtinus Epiſt. 105. ad Sixtum. Cur illum potius, quàm illum liberet, aut non liberet; ſcrutetur qui poteſt iudiciorum eius tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium. In Enchirid. cap. 95. loquens de æterna beatitudine; Tunc non latebit, quod nunc latet, cur iſte potius, quàm ille fuerit aſſumptus, cum cauſa una eſſet ambobus. Item exponens illa verba, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei:* Cur autem hunc trahat, & illum non trahat, noli curioſius quærere, ſi non vis errare. Cæterum in illa ſeparatione difficillimum eſt dicere, quæ cauſa ſit ut iſti ſint Prædeſtinati, alii verò Præſciti; cur Paulus electus ſit, & factus vas electionis, Judas autem derelictus, & factus filius perditionis. Et de hac re nobis agendum eſt, & quærenda cauſa huius ſeparationis, unde planius fiet in quo conſiſtat prædeſtinatio, & unde fiat ut quidam ſint oves, alii autem non ſint oves, ſecundum illud, *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt.* Ave Maria.

DIco 1. Cauſa huius ſeparationis non petitur ex natura, aut ex aliquo naturali: Etenim reſpectu naturæ, & naturaliũ conditionum ita loquitur Apoſtolus Roman. 9 *an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Singulariter, luti fecit mentionem Apoſtolus, tum quia luti partes ſunt æquales, ut ſcias nihil eſſe unde petatur differentia, tum quia adeò vilis eſt materia, ut nihil ſit cauſæ, cur tam vilis materiæ fiat conſideratio, in materia enim lutea, quælibet pars lutum eſt, & ideò

ideò quælibet pars contemnenda eſt. In univerſum itaque loquendo, in naturâ Angelicâ alii prædeſtinati ſunt, alii verò reprobati: Idem factum in naturâ humanâ: Item, inter homines ex omnibus conditionibus nonnulli prædeſtinati ſunt, alii verò reprobati; ut ſcires prædeſtinationem non fieri reſpectu rerum naturalium. Certè ſi natura nihil facit ad gratiam, multò minus ad gloriam: unde prædeſtinatio dicitur, quod ſuprà notatum eſt, tranſmiſſio creaturæ rationalis; debet enim tranſmitti aliunde, & evehi, ſupra non ſolum meritum, ſed etiam dignitatem naturæ.

Dico 2. Non peti cauſam hujus diſcriminis ex voluntate Dei conditionatâ quam habet homines ſalvandi. Quia Deus pro omnibus hominibus ſimilem habuit voluntatē: Et ad minimùm in hoc ſenſu accipienda ſunt verba Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines ſalv s fieri, & ad agnitionem veritatis venire* Uti itaque nemo ab illâ voluntate excluditur, ſic nemo etiam eligitur: nam electio dicitur aſſumptionem, & alterius derelictionem. Itaque aliquo modo dici poſſunt omnes prædeſtinati, ſed non omnes electi: nam omnibus parata eſt gloria; electio autem dicit diſtinctionem, & differentiam, quia prælationem: hæc autem volitio conditionata omnes æqualiter ſpectat; omnes enim deſtinantur ad gloriam, quam, ſi velint, & gratiæ cooperentur, & perſeverent, cōſequētur.

Dico 3. Nec hujus diſcriminis cauſam peti ex duplici voluntate Dei, quâ fiat, ſicut impiè cenſuit Calvinus, ut quoſdam ad gloriam, ita quoſdam ad pœnam & damnationem Deus deſtinarit. 1. Quia Deus nullam habuit voluntatem antecedentem ullum damnandi: hoc enim impium eſt. Et certè nullum damnat ex tali voluntate, ſed tantùm ob peccata & demerita, quæ non modò non vult antecedenter, ſed etiam ea prohibet, & punit. 2. Quia neminem excludit à voluntate ſalvandi, ſed potiùs, ut ait Apoſtolus loco cit. 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: unde pro omnibus mortuus eſt, ut ibidem dicitur: *Unus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum, pro omnibus*: Itaque omnibus meritus eſt ſalutem. Quod S. Petrus Epiſt. 2. cap. 3. exprimit per propoſitionem negantem: *Nolens aliquem perire, ſed ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Cum itaque hæc voluntas ſalvandi dicatur eſſe generalis, ex ipſa non poteſt oriri diſtinctio: & cum altera voluntas nulla ſit, non poteſt afferri pro cauſâ hujus ſeparationis.

Dico 4. Neque illam diſtinctionem oriri ex Dei voluntate antecedente abſoluta aliquos ſalvandi, cum pro aliis, aut nullam habeat voluntatem, ſed tantum negativè ſe habeat, aut habeat tantum voluntatem inefficacem, & ſimplicis complacentiæ, aut conditionatam, ſed non abſolutam:

Probatur 1. Quia Deus nullam talem habuit voluntatem abſolutam aliquos ſalvandi, loquendo de adultis: Quia ejuſmodi voluntas repugnat decreto dandi gloriam propter merita; quod tamen in Deo eſſe, nullus poteſt negare; cum illud doceant omnes Scripturæ. Hæc enim inter ſe pugnant decretum abſolutum dandi gloriam ante merita præviſa, & voluntas dandi gloriam propter merita: nam abſoluta voluntas nullam includit conditionem, voluntas autem dandi gloriam ex meritis, ponit conditionem, ſcilicet meritorum. Cum itaque conſtet ex Scripturis dari gloriam propter merita; ſequitur nullam fuiſſe in Deo voluntatem abſolutum dandi gloriam: Nam abſolutam dicimus voluntatem quæ omnem excludit conditionem.

2. Probatur, Quia nullius rei largitio poteſt ſimul eſſe ex actu efficaci, conſtituto in ſpecie liberalitatis, & in ſpecie actus remuneratorii; hoc eſt, juſtitiæ, aut fidelitatis, aut gratitu-

gratitudinis, aut aliarum ſimilium virtutum, quæ eſſentialiter exigunt rationem debiti ex parte conferentis, obſtrictam obligationem fundatam in eo debito. Atqui electio ad gloriam ante præviſa merita, & ex ſeſe abſoluta purè eſt liberalis; igitur non poteſt eſſe remuneratoria: hæc enim ſupponit debitum, quod altera negat.

3. Probatur ex doctrinâ Sancti Fulgentii, lib. de Incarnatione & gratiâ: Deus (inquit) non aliter perficit in opere, quàm in ſuâ ſempiternâ, atque incommutabili habet voluntate diſpoſitum: quaſi diceret Deum illud facere in tempore, quod facere voluit ante tempus, id ipſum eſſe quod facit in tempore; quia eadem & non alia voluntate, efficit, quam vult; præſertim cùm Dei voluntas reſpiciat ipſum tempus, quo facit, & cum Deus non agat niſi ſuâ voluntate: Atqui in tempore neminem adultum ſalvat voluntate illa abſoluta, id eſt, independente ab omni conditione? quia ſalvat ex meritis? igitur neminem ſalvare voluit voluntate abſoluta independente.

4. Probatur: Quia ex adultis nemo ſalvatur neceſſariò, ſed liberè; At ſi in Deo eſſet talis voluntas abſoluta, cum illa poneretur independenter ab hominis voluntate, & libertate, effectum quoque haberet independentem ab ea & neceſſitatem contineret, quod dici non debet: Quod enim Deus vult abſolutè, ponitur independenter ab omni conditione; nemo autem ſalvatur ſine ſuo conſenſu, & cooperatione quæ ſemper libera eſt.

Confirmatur. Quia ſi talis eſſet voluntas abſoluta in Deo, nulla eſſet in Electis libertas conſequendi, vel amittendi beatitudinem: Nam ſi Deus ex ſeipſo, nullam habens rationem meritorum, aliquos beare efficaciter voluit, in nullius poteſtate eſt gloriam conſequi, ſeu damnari; cum nemo efficere irritum poſſit abſolutum Dei decretum: quod eſt planè abſurdum, & contra innumera loca Scripturarum.

5. Probatur. Quia ſequeretur in Electis nihil conferre merita ad gloriæ conſecutionem: Nam ſi Deus nulla habita ratione meritorum abſolutè decrevit aliquos ſalvare, non ex gratitudine, ſed ex ſola ſua gratuita liberalitate & miſericordia; ſanè ſi hunc hominem beare decrevit, etiam ſi poſteà ille homo merita habeat, nunquam tamen ei gloriam retribuet meritorum intuitu, ſed gratis & ex miſericordiâ; ſicut decrevit dare gloriam: immò quamvis merita non inveniat, nihilominus gloriam dabit; alioqui ſi daret intuitu meritorum, jam non ex vi prioris decreti id faceret, ſed ex altera voluntate: cum itaque decretum Dei ſemel poſitum mutari non poſſit, efficitur ut ex vi illius conferat ſuis Electis beatitudinem omnino gratis, non autem ex gratitudine, nec intuitu meritorum, etiamſi plurima reperiat; quin etiamſi plurima reperiat demerita, propterea dare non ommittet; ſi quidem tale decretum, omnino fuit ex pura liberalitate, & merè gratuitum: igitur merita nihil omnino conferent ad beatitudinem acquirendam.

Dico 5. Neque illam diſtinctionem Electorum & Reproborum originem habere ex præviſis quorumdam meritis, cum aliorum nulla prævideantur, unde fit ut Deus quoſdam ordinet ad præmium, alios autem ad pœnam.

1. Quoniam hæc voluntas non primò ſeparat Prædeſtinatos à Reprobis: ſed ſupponit jam illos, & meritis, & perſeverentia diſcretos: quo ſenſu ita loquitur Auguſt. lib. 5. ad Simplicianum quæſt. 2. Nemo eligitur, niſi jam diſtans ab eo qui ejicitur; ſcilicet nemo eligitur ad gloriam voluntate abſoluta, niſi meritis diſtans. Iam nemo ſeipſum primum ſeparavit, ſecundum illud 1. Cor 4. *Quis enim te diſcernit?* Itaque quos merita ſeparant, prius gratia ſeparavit, & ante gratiam, prædeſtinatio: eſt enim prædeſtinatio ait Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. gratiæ

Digitized by Google

tiæ præparatio: gratia vero ipſa donatio: Non ſunt igitur merita, prima ſeparatio.

2. Quoniam & ipſa merita ad prædeſtinationem pertinent; (eſt enim prima ipſorum cauſa per gratiæ præparationem) ea ſanè non poſſunt eſſe eius cauſa: Itaque rectè Apoſtolus ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* & ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti.* Non igitur uti benè concludit Auguſtinus: Quia vel fueramus ſancti, vel quia futuri eramus ſancti; ſed potius ut eſſemus. Nam ut diximus ſic definit prædeſtinationem: Eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur: non itaq; prædeſtinatio ordinat merita, ſed beneficia, qua voce ſignificantur gratiæ Dei.

2. Quia ante Deum nemo poteſt gloriari Rom. 3. *Vbi eſt ergo gloriatio tua?* unde nulla eſt in prædeſtinatis cauſa ſeparationis: ſupereſt itaque ut cauſa illa extra eligendos quæratur, nam ante electionem omnes in eadem maſſa conſiderantur.

Vera igitur cauſa huius ſeparationis in Deum referenda eſt, qui ex purâ miſericordia unũ præ alio elegit, quia ſic voluit ex merâ ſuâ voluntate ſine ullâ iniuſtitiâ, quia gratiæ ſuæ verus Dominus, eam partitus eſt uti voluit, ſecundũ illud ad Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti eadẽ maſſa facere aliud quidẽ vas in honorẽ, aliud verò in contumeliã;* hoc eſt inter homines alios prædeſtinare, alios relinquere?

Rem totam accipe in gemino exemplo: Primum deſumitur ex Apoſtolo ad Rom. 9. *Repecca ex uno concubitu Iſaac,* quos filios habuit gemellos, Eſaü, & Iacob, quos etiamſi natura multis modis conjunxiſſet, gratia tamen & electio plurimum ſeparavit: Verba ſunt: *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictũ eſt ei,* ſcilicet Matri Rebeccæ, *quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptũ eſt, Iacob dilexi, Eſaü autẽ odio habui.*

Nota 1. Inter quos factam eſſe electionem, electio autem illa pertinuit ad computationem liberorum in ſemine paterno, & conſequenter in hæreditate paternâ: à quâ, ſicut excluſus eſt Iſmaël, quanquam eſſet filius Abrahæ: & ſolus Iſaac admiſſus eſt ſecundum illud: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen* & illud aliud: *Ejice ancillam, & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ:* ita cum duo liberi nati eſſent Iſaac, non tamen ambo computati ſunt in ſemine, ſed unus tantum. Nunquid non ambo potuerunt computari? Ita ſanè: ſed tamen non ita viſum eſt Deo: ſed cum tantum duo eſſent fratres, facta tamen eſt unius electio, atque prælatio.

Nota 2. Ejuſmodi electionem ſeu prælationem non eſſe factam ratione ipſorum: eadem enim erat natura, ijdem parentes, idem conceptus, nam ex uno concubitu, eadem nativitas, neque enim totus prodivit primogenitus, quin etiam prodiret ſecundus, nam ſecundus primi plantam pedis manu tenebat: Immò quod amplius eſt, eadem moralis diſpoſitio utriuſque fuit, nam utrinque neque merita neque demerita præceſſerunt, quoniam nondum nati erant, imò uterque in peccato originali, & uterque in eodem originali demerito, ſed communi; Item neq; ſumptum eſt diſcrimen à futuris operibus, & voluntatibus, quaſi Deus per præſcientiam reſpexerit eorum actiones, ob quarũ diverſitatem, inæqualiter eos tractarit: Quia ut ait Apoſtolus. *Non ex operibus ſed ex vocante dictũ eſt ei, quia major ſerviet minori*: Verè enim Paulus intendit hanc ſeparationem factam ex electione divinæ voluntatis, nulla diſtinctione in ipſis præviſa, quæ cauſa eſſet, cur major alteri ſerviret, unde inter exiſtentes in utero hanc diſtinctionem fecit: quare hæc verba non tantum continent Prophetiam futurorum, ſed etiam ad tempus præſens referuntur, ut

Digitized by Google

ſit ſenſus, ex nunc præfero majori minorem, & unum ſub alterius poteſtate conſtituo, ut major ſit minoris ſervus, & ipſe cum ſua poſteritate ſerviat minori ejuſque poſteritati: atque in hoc ſenſu, unus alteri præfertur, etiamſi nulla adſint opera.

Nota 3. Majorem ſerviſſe minori, & dilectum fuiſſe Iacob, exoſum autem Eſau. 1. Quia primogenitura Eſau pervenit ad Iacob, ut ipſe Eſau agnovit, unde Iacob accepit benedictionem primogeniti, quam noluit Iſaac revocare, quidquid rogaret cum fletu Eſau. Itaque ſub fratre ſuo Iacobo conſtitutus eſt, ſecundum illud Iſaaci *Dominum tuum illũ conſtitui, & omnes fratres eius, ſervituti illius ſubjugavi*: ut etiam in ipſâ benedictione dixerat Jacobo, *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur antę te filii Matris tuæ*. 2. Quia poſteritas Eſau, nempe Idumæi, ſervierunt Jacob, id eſt Iſraëlitis, ſeu Jacobi poſteritati. 3 Quia præcipua Jſaaci hæreditas atque Abrahæ translata eſt ad Jacob, nempe terra Chanaan, fertilis, atque abundans, quæ non Idumæis, ſeu poſteris Eſau, ſed Judæis filiis Jacob data eſt: Idumæis autem data ſunt loca ſaxoſa, & ſterilia, ideoque dicitur Malachiæ 1. Deum odio habuiſſe Eſau, hoc eſt minus dilexiſſe, phraſi uſitatâ in Scripturâ, Iacobum autem dilexiſſe, & eum fratri in amore prætuliſſe.

Nota 4. Licet dilectio Iacob, & odium Eſau, in ſenſu literali uti legitur in Geneſi, & in Prophetiâ Malachiæ, intelligenda ſint de tẽporalibus, tamen apud Apoſtolum Paulum, qui ea loca ſumpſit ſecundum ſenſum Allegoricum, intelligi poſſe de prædeſtinatione, exemplo ſumpto à rebus temporalibus, & traducto ad res ſpiritales: ita enim paſſim SS. PP. interpretantur: ac licet ſub Iacobo, & Eſau, eorum poſteri poſſint intelligi, non ideò tamen capita, ſeu progenitores excluduntur: Immò quando dicitur Iacob eligi, prius intelligitur eius peſona, velut initium, & quaſi norma prædeſtinationis poſteritatis ipſius: Et patet ex contextu totius capitis noni Epiſt. ad Rom. ubi agitur de prædeſtinatione, & reprobatione, quam docet, nullam aliam cauſam habere, quàm Deum, unde ſubjungit, *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Neque enim voluntas Iſaac quidquam profecit, qui volebat benedicere Eſau primogenitum ſuum; neque aliquid profuit curſus Eſau, qui ſtatim ad venationem profectus eſt, ut Patri obſequeretur, & benedictionẽ mereretur; ſed totum opus fuit miſericordiæ Dei, qui ab initio id ſtatuerat: unde Apoſtolus, *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori*: ut ſcires, hoc totum profectum fuiſſe à merâ Dei voluntate.

Alterum exemplum accipio à S. Dorotheo doctr. 6. ubi iſta. Memoria teneo factum hujuſmodi me aliquando audiſſe. Navem, ſervorum, (ſeu quæ veheret ſervos) ad neſcio quam urbem applicuiſſe: erat autem in civitate illâ, Virgo quædam ſancta, ſalutis ſuæ admodum diligens, & ſtudioſa. Hæc ubi navigium illuc attuliſſe cognovit, gaviſa eſt; deſiderabat enim puellulam parvam ſibi comparare, quam ſuo arbitratu aleret, & enutriret in Dei cultu, nec ulla labe mundialis malitiæ ſineret contaminari. Mittens igitur qui navis illius gubernatorem accerſeret, duas ipſum habere puellas valde parvulas, quales animo ſuo deſtinarat ipſa Virgo, comperit, ſtatimque cum lætitiâ pretium ſolvit, atque unam puellam ſibi aſcivit. Vt igitur Nauclerus à Virgine ſanctâ receſſit, paululum progreſſus, obviam habuit ſcenicam quandam meretricem, cui poſcenti puellam alteram pretio dedit. Conſiderate obſecro myſterium Dei, judicium attendite. Quiſnam hujus rei rationem reddere poteſt? Accipit igitur Virgo ſancta parvulam illam, atque educat in timore Dei, ad omne opus bonum, ipſam informans, ac docens omnem mona-

Digitized by Google

monaſticam diſciplinam, oſtenditque ſanctorum Dei mandatorum ſuavitatem, atque fragrantiam. Scenica ſimiliter meretrix, cum alteram illam miſeram accepiſſet, effecit eam ergaſtulum diaboli: quid enim aliud furia iſta docere illam poterat, niſi animæ perditionē? Quid igitur dicere poſſumus de horrendo iſto judicio? Ambæ parvulæ erant, ambæ abductæ, neſcientes quò proficiſcerentur, & una inventa eſt in manibus Dei, altera verò incidit in manus diaboli. Nunquid igitur dicere poſſumus, quòd tàm unam, quàm alteram repoſcat Deus? Quomodò id fieri poteſt? Vtique ſi ambæ in fornicationem, aut in aliud ſimile vitium incidiſſent, liceret dicere, idem judicium ambas obtinere; cum idem ambabus error contigerit: quomodò igitur hoc fieri poſſit? Hæc dies atque noctes inter eloquia Dei, didicit ea quæ judicium, & regnum Dei ſpectant: illa verò miſera, nunquam ſcivit, aut audivit aliquid boni, ſed è diverſo omnia turpia, atque diabolica: quomodo igitur fieri poſſit, ut eadem ab utriſque exacta diligentia exigatur? In quo ſanè facto admirabilis exemplum electionis divinæ, & diſcretionis nobis relictum eſt: Neque enim temerè effectū eſt ut ita diſcernerentur. At in illis nulla eſt cauſa; igitur in Dei electione.

Sed in eâ re, illud in primis cavendum eſt: quod admonet Apoſtolus, ne in Deo judicemus eſſe iniquitatem, qui ſic diſcernat æquales. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas eſt apud Deum: abſit.*

Ratio eſt quia ſi Deus hujus diſcretionis cauſam ſumeret ex meritis atque operibus, profectò non poſſet ſine injuſtitiâ diſcernere eos, quorum & opera, & merita ſunt æqualia: ſed cum illa diſcretio fiat à ſolâ Dei voluntate, nulla poteſt eſſe injuſtitia. Vnde ſubdit Apoſtolus, *Moyſi enim dixit, miſerebor cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor.* Cum enim nemini debeat ullam gratiam, etiam ſi nullum eſſet peccatum, nemini planè facit injuriam, ſi unum diſcernit ab alio, quia opus non eſt Juſtitiæ, ſed Miſericordiæ: Itaq; multò magis jam id poteſt ubi homines obnoxii ſunt Deo, ratione peccati. Ita Chryſoſt. id dictum ait Moyſi, ne ipſi mirarentur, quod Deus, poſt adorationem vituli aurei, quoſdā gladio interemiſſet, aliis verò pepercíſſet: quod enim aliqui puniti ſunt, juſtitiæ fuit; quod aliqui liberati, miſericordiæ; Sed illa diſcretio nullam habuit iniquitatē. Quapropter ita concludit, *Igitur non eſt volentis neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei*: Non fuit volentis, quia dum Levitæ irent, & redirent à porta una caſtrorum, uſque ad alteram obvios quoſque interfecturi, nullo delectu id fecerunt, itaque nullos elegerunt, quos eximerent, ſicut nec alios quos interficerent, immò contigit multis ut chariſſimos interficerent, nam dixit Moyſes, *Conſecraſtis hodie manus veſtras Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo:* Item nec fuit currentis; hoc eſt, cujuſque fugientis, cum in modum ſerræ, fieret vindicta: ſic enim Moyſes præceperat: *Redite de porta, uſque ad portam per mediam caſtrorū, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum & proximū ſuū,* ut ſcilicet neſciretur quà eſſet fugiendum: igitur *miſerentis Dei,* ita rem diſponentis, ut quē perire vellet, gladio tranſeuntis objiceret; quē ſervare vellet, eriperet. Quod ſi etiam duorū fratrum reſpectu hæc verba dicuntur: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei,* idē eſt ac ſi diceret Paulus: patet Deum ex operibus non prælegiſſe Iacobum, quaſi meruiſſet ſua diligentia benedictionē paternam, quod Eſau ad venationem profectum, prior ipſe antevertiſſet; ſed ex ſuo propoſito: quia nimirum ſic Deo placuit qui Iacobi miſertus eſt, non autem Eſau.

Ex quibus omnibus concluditur Prædeſtinationē nihil eſſe aliud, quàm ſingularē, & eximium amorem Dei erga quoſdam, præ aliis,

Quid enim habes quod non accepiſti: ſi autem accepiſti quid gloriaris, quaſi non acceperis?

Verum noſtra repetamus. Atque ut nullam in animis dubitationem relinquam, hoc addo: quod ſicut hæc prima Electorum ac relictorum diſcretio, nullius eſt meritum, ac demeritum, ita non efficit immediatè & abſolutè ſalvationem Electorum & damnationem relictorum, ſed ambos ſuo relinquit arbitrio, unde nullum cogit, ac nemini neceſſitatem infert. Itaque relictos non excludit poſitivè à gloria, ſed intra communem voluntatem Dei omnes homines ſalvandi, deſerit. Sed illos non aſſumit peculiari voluntate & affectu; nullius ſanè iniuria: cum tamen aliquos aſſumit, id facit ſumma miſericordia; quemadmodum ex omnibus temporibus plenitudinem temporum elegit, ut homo fieret; ex omnibus populis filios Iſraël, ex quibus carnalem duceret originem; ex omnibus tribus, tribum Iudæ; ex familiis Iuda, domum David; ex omnibus urbibus, Bethlehem; ex omnibus fœminis, ut dictum eſt, Beatã Virginẽ in Matrẽ. Quod elegit, gratiæ fuit; quod nõ elegit voluntatis fuit liberæ, ſed non in juſtitiæ, aut injuriæ: Idem contingit in quorumdam electione, aut reprobatione.

2. Propoſitio: *Sicut huius diſcretionis initium diximus petendum eſſe à ſimplici Dei voluntate, & amore; Ita eius complementum & perfectio pendet amborum voluntate, & cooperatione.* Etenim *oves ſequuntur, & audiunt*: non ſequuntur autem, qui non ſunt oves. Oves ſequuntur, quoniam oves ſunt, & ſequi volunt; atque amant: qui verò non ſequuntur nec ſunt oves, nec ſequi volunt. Cauſa itaque adæquata diſcretionis integræ eſt Deus, & creatura: Et ita eſt una diſcretio ſeu ſeparatio ab electione Dei: *Ego cognoſco oves meas*: & altera eſt à cooperatione creaturæ, *& cognoſcunt me meæ*: ex utraque fit una totalis, cuius cauſa adæquata, eſt Deus, & creatura *oves meæ vocem meam audiunt*: neque enim oves audirent, niſi loqueretur ſed loquentem etiam non audirent niſi vellent; eſt enim auditus obedientiæ. Sicut itaque peccator per liberum arbitrium ſe diſcernit à juſto, ſecundum illud Iudæ in Epiſtola ſua: *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos*, ſed tanquam cauſa ſola, & totalis, quia ſolus ſe ad id determinat, quo ab alio ſeparatur; ſcilicet ad malas actiones: ita juſtus poſt datam gratiam, per illius uſum liberum, licet cooperante gratia ſe ab impio ipſe diſcernit. Confirmatur: Quia qui ex æqualibus facit inæquales, ille unum ab alio diſcernit; ſed non ſolum Deus per gratiam, & amorem ſpecialem, verum & homo per liberum arbitrium, licet ſecundariò, & minus principaliter facit ex æqualibus inæquales. Exemplum Auguſtinus poſuit lib. de Præ deſtin. & gratia cap. 15. inter Nabuchodonoſorem, & Pharaonem: Quid fines eorum fecit diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero arbitrio, contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit?

Hinc ſequitur 2. ex Leſſio de Prædeſtin. & Reprob. Angelorum & hominum, ſect. 6. n. 77. Eſſe in Iuſtorum poteſtate complere ſuam prædeſtinationem. Probatur, Quia complere ſuam prædeſtinationem eſt efficere, ut in Deo ſit præſcientia & præparatio reliquorum beneficiorum quibus reipſa homo perducitur ad ſalutem: atqui in hominis eſt poteſtate illud efficere per gratiam Dei. Major probatur ex definitione prædeſtinationis ex S. Auguſtino: Nam ſicut tota prædeſtinatio conſiſtit in præſcientia, & præparatione omnium beneficiorum, quæ ab initio conceptionis, vel vocationis, uſque ad ultimum vitæ conferuntur; ita complementum eius, conſiſtit in præſcientia, & præparatione eorum quæ conferuntur poſt juſtificationem.

Minor

Digitized by Google

Minor probatur ex Concil. Arauſicano c. 17. ubi ait omnes baptizatos Chriſto auxiliante, & cooperante quæ ad ſalutem pertinent, poſſe, & debere, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Et ex Trident. ſeſſ. 6. c. 11. ubi hæc: Deus ſua gratia juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur: Et ex eodem c. 13. ubi ita: De Perſeverantiæ munere, nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debeant: Deus enim, niſi ipſius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Denique ex hoc textu 2. Petri c. 1. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis:*

Inſuper: Deus præparavit omnibus iuſtis omnia auxilia & beneficia, quibus certiſſimè ſalvabuntur, ſi gratiæ non deſint: ſed in poteſtate juſtorum eſt non deeſſe ipſius gratiæ, & implere illam conditionem, qua impletâ, illa voluntas conditionata tranſit in abſolutam, ac proinde complet in Deo rationem prædeſtinationis.

Sequitur 2. Qua ratione intelligi debeat, quod à nonnullis tribuitur Auguſtino: Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris. Neque enim abſolutè loquendo, id vere dici poteſt; quia nemo ſibi cauſa eſſe poteſt primæ gratiæ, cuius tamen præparationem, nomẽ prædeſtinationis includit: ſed poteſt eſſe cauſa completionis, ſine qua prædeſtinatio completa eſſe non poteſt. Itaque Proſper in reſponſ. 3. ad Capitula Gallorum: Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideò prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntariâ prævaricatione præſciti ſunt. Et ad obiectiones Vincentii Reſponſ. 12. Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati, eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri. Hoc itaque certum habeamus neminem excludi ab ovium numero, & ad hœdos tranſire, niſi vitio ſuo, unumquemque autem ſi velit, poſſe bonis adhærer Dei gratiâ adiutum, quæ nulli unquam denegatur.

Eodem modo reſponderi facilè poteſt ad illud Dilemma, vel ſum prædeſtinatus, vel nõ ſum: Si 1. perire non poſſum, Si 2. ſalvari nequeo: Quo argumento, ut dictum eſt ſupra, inductus quidam ex Monachis S. Auguſtini, Monaſticam vitam deſeruit, ad ſæculum rediit, ibique periit, illo teſte l. de bono Perſ. c. 25. Dicetur enim; te eſſe prædeſtinatum, ſi tu es in gratia, non tamen completè, niſi poſita pręſcientia tuæ perſeverantię, quę pręſcientia, cùm à tuâ perſeverentiâ obiectivè, & tua perſeverentia à tua diligentia, divino adjuta auxilio, omni ope tibi conandum eſt, omneſque vires & naturæ intendendæ ut perſeverantiam præſtes: quod ſi Divinâ gratiâ neglectâ nõ præſtes, nõ eris prædeſtinatus ſed reprobus, at vitio tuo, & voluntate tuâ: nam ſuppoſita Dei gratia, quæ ſemper omnibus præſtò eſt, & ſuppoſita etiam omnium hominum ordinatione ad gloriam, à quâ ordinatione nemo excipitur, nemo reprobus eſt, nemo ab ovium numero excluditur niſi vitio ſuo. Hinc etiam patet quomodo concilianda ſit prædeſtinatio cum libero arbitrio, cum quo non magis pugnare poteſt quam gratia, quæ non modo non deſtruit liberum arbitrium, quin potius illud perficit, cum illi det poſſe, quod ſine illa non poſſet, ita tamen poteſt per illam, ut cum illa etiam operetur, ſecundum illud Apoſtoli: *Ego & gratia Dei mecum*: quod autem prædeſtinatio non magis lædat libertatem quà ipſa gratia, hinc patet quod ex Auguſt. prædeſtinato ſit gratię pręparatio, gratia verò ipſa donatio.

Vnica mihi occurrit concluſio quam habet Apoſtolus 2. ad Philippen. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate;*

Digitized by Google

Quid enim habes quod non accepiſti: ſi autem acce-piſti quid gloriaris, quaſi non acceperis?

Verum noſtra repetamus. Atque ut nullam in animis dubitationem relinquam, hoc addo: quod ſicut hæc prima Electorum ac relictorum diſcretio, nullius eſt meritum, ac demeritum, ita non efficit immediatè & abſolutè ſalvationem Electorum & damnationem relictorum, ſed ambos ſuo relinquit arbitrio, unde nullum cogit, ac nemini neceſſitatem infert. Itaque relictos non excludit poſitivè à gloria, ſed intra communem voluntatem Dei omnes homines ſalvandi, deſerit. Sed illos non aſſumit peculiari voluntate & affectu; nullius ſanè iniuria: cum tamen aliquos aſſumit, id facit ſumma miſericordia; quemadmodum ex omnibus temporibus plenitudinem temporum elegit, ut homo fieret; ex omnibus populis filios Iſraël, ex quibus carnalem duceret originem; ex omnibus tribus, tribum Iudæ; ex familiis Iuda, domum David; ex omnibus urbibus, Bethlehem; ex omnibus fœminis, ut dictum eſt, Beatã Virginẽ in Matrẽ. Quod elegit, gratiæ fuit; quod nõ elegit voluntatis fuit liberæ, ſed non in juſtitiæ, aut injuriæ: Idem contingit in quorumdam electione, aut reprobatione.

12. Propoſitio: *Sicut huius diſcretionis initium diximus petendum eſſe à ſimplici Dei voluntate, & amore; Ita eius complementum & perfectio pendet amborum voluntate, & cooperatione.* Etenim *oves ſequuntur, & audiunt*: non ſequuntur autem, qui non ſunt oves. Oves ſequuntur, quoniam oves ſunt, & ſequi volunt; atque amant: qui verò non ſequuntur nec ſunt oves, nec ſequi volunt. Cauſa itaque adæquata diſcretionis integræ eſt Deus, & creatura: Et ita eſt una diſcretio ſeu ſeparatio ab electione Dei: *Ego cognoſco oves meas*: & altera eſt à cooperatione creaturæ, *& cognoſcunt me meæ*: ex utraque fit una totalis, cuius cauſa adæquata, eſt Deus, & creatura *oves meæ vocem meam audiunt*: neque enim oves audirent, niſi loqueretur ſed loquentem etiam non audirent niſi vellent; eſt enim auditus obedientiæ. Sicut itaque peccator per liberum arbitrium ſe diſcernit à juſto, ſecundum illud Iudæ in Epiſtola ſua: *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos*, ſed tanquam cauſa ſola, & totalis, quia ſolus ſe ad id determinat, quo ab alio ſeparatur; ſcilicet ad malas actiones: ita juſtus poſt datam gratiam, per illius uſum liberum, licet cooperante gratia ſe ab impio ipſe diſcernit. Confirmatur: Quia qui ex æqualibus facit inæquales, ille unum ab alio diſcernit; ſed non ſolum Deus per gratiam, & amorem ſpecialem, verum & homo per liberum arbitrium, licet ſecundariò, & minus principaliter facit ex æqualibus inæquales. Exemplum Auguſtinus poſuit lib. de Prædeſtin. & gratia cap. 15. inter Nabuchodonoſorem, & Pharaonem: Quid fines eorum fecit diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero arbitrio, contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit?

Hinc ſequitur 2. ex Leſſio de Prædeſtin. & Reprob. Angelorum & hominum, ſect. 6. n. 77. Eſſe in Iuſtorum poteſtate complere ſuam prædeſtinationem. Probatur, Quia complere ſuam prædeſtinationem eſt efficere, ut in Deo ſit præſcientia & præparatio reliquorum beneficiorum quibus reipſa homo perducitur ad ſalutem: atqui in hominis eſt poteſtate illud efficere per gratiam Dei. Major probatur ex definitione prædeſtinationis ex S. Auguſtino: Nam ſicut tota prædeſtinatio conſiſtit in præſcientia, & præparatione omnium beneficiorum, quæ ab initio conceptionis, vel vocationis, uſque ad ultimum vitæ conferuntur; ita complementum eius, conſiſtit in præſcientia, & præparatione eorum quæ conferuntur poſt juſtificationem.

Minor

Digitized by Google

Minor probatur ex Concil. Arauſicano c. 17. ubi ait omnes baptizatos Chriſto auxiliante, & cooperante quæ ad ſalutem pertinent, poſſe, & debere, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Et ex Trident. ſeſſ. 6. c. 11. ubi hæc: Deus ſua gratia juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur: Et ex eodem c. 13. ubi ita: De Perſeverantiæ munere, nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debeant: Deus enim, niſi ipſius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Denique ex hoc textu 2. Petri c. 1. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis:*

Inſuper: Deus præparavit omnibus iuſtis omnia auxilia & beneficia, quibus certiſſimè ſalvabuntur, ſi gratiæ non deſint: ſed in poteſtate juſtorum eſt non deeſſe ipſius gratiæ, & implere illam conditionem, qua impletâ, illa voluntas conditionata tranſit in abſolutam, ac proinde complet in Deo rationem prædeſtinationis.

Sequitur 2. Qua ratione intelligi debeat, quod à nonnullis tribuitur Auguſtino: Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris. Neque enim abſolutè loquendo, id verè dici poteſt; quia nemo ſibi cauſa eſſe poteſt primæ gratiæ, cuius tamen præparationem, nomē prædeſtinationis includit; ſed poteſt eſſe cauſa completionis, ſine qua prædeſtinatio completa eſſe non poteſt. Itaque Proſper in reſponſ. 3. ad Capitula Gallorum: Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideò prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt. Et ad obiectiones Vincentii Reſponſ. 12. Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati, eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri. Hoc itaque certum habeamus neminem excludi ab ovium numero, & ad hœdos tranſire, niſi vitio ſuo, unumquemque autem ſi velit, poſſe bonis adhærere Dei gratiâ adiutum, quæ nulli unquam denegatur.

Eodem modo reſponderi facilè poteſt ad illud Dilemma, vel ſum prædeſtinatus, vel nō ſum: Si 1. perire non poſſum. Si 2. ſalvari nequeo: Quo argumento, ut dictum eſt ſupra, inductus quidam ex Monachis S. Auguſtini, Monaſticam vitam deſeruit, ad ſæculum rediit, ibique periit, illo teſte l. de bono Perſ. c. 25. Dicetur enim; te eſſe prædeſtinatum, ſi tu es in gratia, non tamen completè, niſi poſita præſentia tuæ perſeverantię, quę præſcientia, cùm à tuâ perſeverentiâ obiectivè, & tua perſeverentia à tua diligentia, divino adjuta auxilio, omni ope tibi conandum eſt, omneſque vires & naturæ intendendæ ut perſeverantiam præſtes: quod ſi Divinâ gratiâ neglectâ nō præſtes, nō eris prædeſtinatus ſed reprobus, at vitio tuo, & voluntate tuâ: nam ſuppoſita Dei gratia, quæ ſemper omnibus præſtò eſt, & ſuppoſita etiam omnium hominum ordinatione ad gloriam, à quâ ordinatione nemo excipitur, nemo reprobus eſt, nemo ab ovium numero excluditur niſi vitio ſuo. Hinc etiam patet quomodo concilianda ſit prædeſtinatio cum libero arbitrio, cum quo non magis pugnare poteſt quam gratia, quæ non modo non deſtruit liberum arbitrium, quin potius illud perficit, cum illi det poſſe, quod ſine illa non poſſet, ita tamen poteſt per illam, ut cum illa etiam operetur, ſecundum illud Apoſtoli: *Ego & gratia Dei mecum*: quod autem prædeſtinatio non magis lædat libertatem quà ipſa gratia, hinc patet quod ex Auguſt. prædeſtinato ſit gratię præparatio, gratia verò ipſa donatio.

Vnica mihi occurrit concluſio quam habet Apoſtolus 2. ad Philippen. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate:*

& tremore ſalutem veſtram operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate: Vide quid velit Apoſtolus, 1. vult unumquemque ſalutem ſuam operari, ut nemo confidat prædeſtinationi, quaſi ſolus Deus ſalutem operetur illam; neque enim ita ſe res habet, nam ipſe ſic eam operatur, ut noſtrum etiam ſit operari: ille enim gratiam & præparat & donat: nos gratiam recipimus, & ea utimur. 2. Nos vult operari cum timore & tremore, quia *neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit*: unde nemo præſumere poteſt, ſicut nemo deſperare; ſed omnes timere debent ac contremiſcere. Deinde rationem ſubdit: Quia *ipſe eſt qui operatur in nobis velle & perficere*, ut ſciamus ab ipſo pendère, quod velimus & quod faciamus, non quod ipſe ſolus ſit in nobis qui velit, & perficiat, alioqui malè dixiſſet, ut operaremur; ſed quia ipſe per gratiam efficit ut velimùs, & ut faciamus: ipſe enim exſuſcitat ut velimus, neque hoc tantùm, ſed primum velle efficit in uobis ante libertatem, & ipſum liberum velle efficit in nobis, ſed nobiſcum. Quia verò non ſufficit, ut velimus, quaſi poſitâ voluntate, ipſi per nos efficiamus, nam ipſius adjutorio indigemus ut perficiamus; ipſa enim efficit in nobis velle & perficere; ideò timere debemus, ne nos deſerat, ſi ejus gratia abutamur. Quare oportet operari cum timore & tremore, ne ſi non operemur, deſeramur ab eo qui operatur in nobis velle, & perficere; & quo recedente, neque in nobis eſſe poteſt voluntas, neque opus: præſertim cùm id faciat pro bona voluntate, hoc eſt liberè, ſeu ex pura liberalitate; ut qui gratiam nemini debet, & propterea ſine injuſtitia privare ea quemlibet poteſt: unde ſequitur illa utendum cum timore.

Nemo itaque ſcientia prædeſtinationis abutatur, Audit, nemo extollatur; quia nemo ſcit qualis ſit: nemo animum dejiciat; quia Deus neminem poſitivè excluſit: ſed unuſquiſque in ſalutem ſuam maxima diligentia incumbat; quia quilibet ad gloriam ordinatus eſt, quilibet vocatus, quilibet ad eam capeſſendam gratias neceſſarias, & ſufficientia habet auxilia, quilibet in ſuo prædeſtinationis ordine ſalvari poteſt, ſi velit, ſi gratiæ reſpondeat, ſi Deo non deſit. Non te prima ſeparatio damnat, ſed ſecunda: In primam, nullam habes poteſtatem; habes in ſecundam; ex qua venitur in tertiam, de qua S. Matthæus cap. 25. *Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis: hædos autem ſiniſtris*: deinde Iudicis ſententia accedente, *Venite, & diſcedite: Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*: in qua ſeparatione omnium ſuppliciorum maximum. Hæc enim demùm eſt perfecta reprobatio; cujus tota eſſentia conſiſtit in judicio indignitatis reprobi, propter peccata in quibus deceſſit, & in conſequente voluntate Iudicis deputante ipſum ad carentiam viſionis, atque ignes æternos: Hoc unum cogita oportere te eſſe aut in ovium numero, aut in hœdorum grege, aut in dextra, aut in ſiniſtra: cogita ad quorum mores propiùs accedas, innocentia, manſuetudine, caſtitate, ut utilitate ad omnia: An verò ſis moribus noxiis, an petulcus, an impurus, an petulans. Quælibet vitæ præſentis differentia ut diximus nuper, non magni facienda eſt, neque ratione objecti, neque durationis: Altera differentia & res omnes, & omnem durationem complectitur. Diſcrimen eſt aut ſummæ felicitatis, aut ſummæ miſeriæ; aut cœli, aut damnationis, aut æternitatis in ſuppliciis, aut æternitatis in gloria: ad quam nos deducat Ieſus Chriſtus. Amen.

***

FERIA

FERIA QVARTA vel QVINTA.

DOMINICÆ PASSIONIS:

CONCIO QUARTA,

DE PRÆDESTINATIONE.

Vocatio Prædeſtinatorum, in exemplo Magdalenæ.

Oves meæ vocem meam audiunt. Ioan. 10.

IN Chriſto Domino duæ ſunt Naturæ; una viſibilis, alia inviſibilis, ſecundùm ejus nomen, Emmanuel, *Nobiſcum Deus.* Viſibilis fuit natura humana, de quâ dictum eſt, *Verbum caro factum eſt*: Item, *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*: Inviſibilis fuit natura divina, *Deum* enim *nemo vidit unquam.* Et ratione hujus duplicis ſtatus Chriſtus duplicis generis miracula perpetravit, alia viſibilia, alia inviſibilia. Ex viſibilibus omniũ maximũ fuit ſuſcitatio Lazari ad preces & lachrymas Magdalenæ: ex inviſibilibus, omniũ maximum, cùm eam convertit. Nobis de ultimo eſt ſermo. Sed quia ad ejuſdem lachrymas totum gratiæ fuit, nihil de illo ſine gratiâ dicere poſſumus. Ave Maria.

IN Evangelio de Chriſti ovibus propoſito, & nuper à nobis expoſito omnem Prædeſtinationis doctrinam agnovimus, quam omnem ad quatuor capita reduximus. De primo tribus Concionibus diximus: nimirùm de diſcretione Electorum à Reprobis, nihilque eſſe aliud oſtendimus niſi majorẽ quendam, & ſpecialem erga nonnullos, amorem Dei, quô quibuſdam vult magis gloriam quàm aliis, unde illis majora & meliora præparat dona, quibus certiſſime liberantur: addidi autem iſtam ſeparationem perfici atque compleri liberâ hominum voluntate, & cooperatione, qui ſe etiam per bonum gratiæ uſum ſeparant, ſed conſummari in extremo judicio per ultimam Iudicis ſententiam, quæ ſuum habet effectum Matth. 25. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*: ex quo infertur; Igitur alii ſunt oves, alii non ſunt oves: *Vos non eſtis de ovibus meis.* & Matth. 25. *Et ſeparabit eos ab invicem ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis: hædos autem à ſiniſtris*; De quâ re nihil ampliùs nobis dicendum eſt.

Digitized by Google

Alterum quod Deus agit circa prædeſtinatos, ſupra reprobos, illud eſt, quòd eos ita vocat ut audiant: neque enim omnes eodem modo vocat: ſiquidem ait Iudæis, *Loquor vobis & non creditis*, Et poſteà, *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt.*

Primum itaque quod Deus operatur extra ſe in prædeſtinatis, eſt Vocatio, ſecundum illud Apoſtoli, *quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*: In quo apparet ſumma Dei providentia, & cura circa Prædeſtinatos quos vocat, etiam modis extraordinariis, & per miracula, quando viæ ordinariæ non ſuppetunt; uti paſſim legimus in Hiſtoriis & Vitis Sanctorum.

In eâ autem Vocatione hæc ſpectanda ſunt: 1. Neceſſitas: quod ipſa Evangelii verba ſignificant, quando dicitur, *Oves meæ vocem meam audiunt*: ſignificatur enim ipſum prius loqui, ſeu prius ad oves ſe convertere: Si enim Paſtor non ſe convertiſſet ad oves, ſi non vocaſſet, nunquam oves ſequutæ eſſent Paſtorem, immò nec adeſſe noviſſent: gratia enim homines prævenit: Neque tantum id intelligendum eſt de vocatione externa, de qua loquitur Apoſtolus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo autem prædicabunt, niſi mittantur: ſicut ſcriptum eſt, quàm ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona*: ſed etiam de vocatione interna: pergit enim, *ſed non omnes obediunt Evangilio: Iſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro*: cujus effectus cauſam notat Chriſtus, Ioan. 8. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*: Et ipſe Ioannes cap. 12. *Propterea non poterant credere quia iterùm dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*: Itaque ſic Chriſtus loquitur Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*: Certè quilibet ſua ſponte errare poteſt, atque à Deo diſcedere; *Erravi, ſicut ovis quæ periit*; ſed nemo venire, ac redire poteſt, niſi Pater traxerit eum. In quo Joannis loco duo advertit S. Hieronymus, dialogo adverſus Pelag. lib. 3. ubi hæc habet: Quando dicit, *Nemo venire poteſt ad me*, frangit ſuperbiē tē arbitrii libertatē: quod etiā ſi velit ad Chriſtū pergere, niſi fiat illud, quod ſequitur, *Niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, nequicquam cupiat, & fruſtrà nitatur: Simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non ſponte currit, ſed aut detrectans, & tardus, aut invitus adducitur. Hæc ille. Duo ſignificat: 1. impoſſibile eſſe ut per ſe veniat; 2. magnam indiſpoſitionem habere & tarditatem ad veniendum. Idem Chriſtus ſuis diſcipulis ſignificavit, ſcilicet illos nihil poſſe ſine ejus auxilio; *Sine me nihil poteſtis facere*: non dixit, ait Auguſtinus, nihil magnum poteſtis ſed nihil omninò, neque parvum, neque magnum: Itē, non dixit facilè non poteſtis, ſed omninò negavit illos quidquam poſſe: Unde hujus dependentiæ ſimilitudinem affert apud Ioan. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis*: quibus & aliis locis penè innumeris, colligunt Patres neceſſitatem gratiæ ad omnia opera bona, ſed præcipuè ad converſionem.

Vide exemplum inſigne in Magdalenâ, cujus errores varios & miſerabilem ſtatum uno verbo complectitur Scriptura Lucæ 7. *Et ecce Mulier quæ erat in civitate peccatrix*, quæ vox, ex uſu antiquorum famoſam mulierem ſignificat: Chryſol. ſer. 93. Non peccatrix ſolùm, ſed totius civitatis facta fuerat ipſa peccatum. Quid hic memorem minora peccata, Vanitatem, Superbiam, animi levitatem, Inconſtantiam, Impudentiam; nihil in vita, nihil in moribus, nihil in oculis, nihil in totius corporis compoſitione moderatum: quantum illud eſt in ſummis ſceleribus fuiſſe projectiſſimam: quod vox illa ſignificat *Mulier in civitate peccatrix*: Quid quod non ſibi ſoli nocuit ſed

paſſim

paſſim omnibus? *Mulier in civitate peccatrix*, id eſt, cuius erat ſcandalum publicum. Sed quantum illud eſt, quod omnia virtutum ſemina in ea erant extincta, pudor, timor, ſpes, amor honeſtatis: immò prima principia; nempe reſpectus Dei, eius amor, cogitatio de ipſo? Quin & ea omnia contraria, incogitantia, præcipitatio, amor ſui, æternitatis oblivio, amor ſæculi? hæc enim omnia miſerabilem hunc ſtatum comitantur. Quid ei virtutem proponas & honeſti ſpeciem, quam odit, & verſatur? Quid futurum judicium, quid pœnas Inferni, quid æternitatem proponas, cum in ea ſit earum omnium rerum oblivio? Atque inde judicia, num per ſe ipſa redire potuiſſet. Itaque opus fuit, ut à Deo potentiſſimè vocaretur, quod Chriſtus ſumma erga eam uſus miſericordia præſtitit. Quare de ea dicitur *ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi*, &c. Non tantum exterius fuit admonita, ſed potiſſimum interius. Vnde S. Gregor homil. 13. Quid miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? ſuſcipientem dicam, an trahentem ipſe per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris. Neceſſe itaque fuit, ut Chriſtus eam abſentem gratia ſua ſollicitaret, ac præveniret. Nempe ut ovis errabat, ſtolidum animal, quod ſemper progrediendo & paſcendo recedit à Paſtore: unde oves, Græci προβατα nuncuparunt, ἀπὸ τοῦ προβαίνειν à progrediendo: & ideo opus fuit ut Paſtor requireret.

Hinc igitur patet Vocationis neceſſitas. Et hæc omnium reſpectu locum habet, tam Electorum quam Reproborum, dicente Apoſtolo. Quòd omnes *indigent gloria Dei*, ſeu gratia.

II. Quod in Vocatione illa ſpectatur eſt efficacitas, quæ in eo conſiſtit, quod Deus neminem ita vocet ut non ſequatur, ſecundum illud, *Oves meæ vocem meam audiunt:* Et illud Ioan cap. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Item, *Et erunt omnes docibiles Dei:* & alibi *faciam ut in præceptis meis ambuletis*, etiamſi multorum indoles & ingenium intractabile & inflexibile videatur. Vt hoc melius intelligatur.

Nota 1. Omnem vocationem dici poſſe efficacem. 1. quia omnis poteſt habere effectum, cum omnis qui vocatur, venire poſſit. Sicut enim nullus venire poteſt niſi vocetur; ita omnis vocatus venire poteſt ſi velit: nam vocatio quæ eſt gratia, dat, dat veniendi poteſtatem & facultatem; cum ille qui vocatur, ſyncere vocetur, nempe ut veniat; & ideo qui non venit, ſua culpa non venit: itaque in actu primo aliqua ratione omnis vocatio eſt efficax, nam ſi non poſſet habere effectum, illuſoria eſſet, & qui non veniret, non eſſet in culpa, quia venire non potuiſſet. 2 Quia quæ non habet effectum, ex hoc tantum non habet, quia voluntas venire noluit: igitur ſi ſit inefficax non hoc petitur à gratia, & vocatione, ſed à voluntate. Id ſignificavit Apoſt. 2. Cor. 6. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: nam iſta vacuitas nil aliud ſignificat quàm non habere effectũ: ſi itaque à libertate pendet vel oritur, quod non habeat effectum, certe culpa erit libertatis non defectus vocationis. Et proinde verum eſt quod dixi omnem vocationem dici poſſe efficacem, ſaltem in actu primo, ſeu per modum potentiæ.

Nota 2. ſingulari quodam modo Prædeſtinatorũ vocationẽ eſſe efficacem, quia ſcilicet *Oves meæ vocem meam audiunt*, quam alii non audiunt: ſecundũ illud *Propterea vos non auditis, quia non eſtis ex ovibus meis*, Et Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* Nam Prædeſtinatus quem dat Pater Filio, non tantum venire poteſt, ſed actualiter & infallibiliter venit ad Patrem, nec ullus eſt à Patre datus qui non veniat. Vnde magnũ eſt in Vocationibus diſcrimen:

Digitized by Google

ſit ſenſus, ex nunc præfero majori minorem, & unum ſub alterius poteſtate conſtituo, ut major ſit minoris ſervus, & ipſe cum ſua poſteritate ſerviat minori ejuſque poſteritati: atque in hoc ſenſu, unus alteri præfertur, etiamſi nulla adſint opera.

Nota 3. Majorem ſerviſſe minori, & dilectum fuiſſe Iacob, exoſum autem Eſau. 1. Quia primogenitura Eſau pervenit ad Iacob, ut ipſe Eſau agnovit, unde Iacob accepit benedictionem primogeniti, quam noluit Iſaac revocare, quidquid rogaret cum fletu Eſau. Itaque ſub fratre ſuo Iacobo conſtitutus eſt, ſecundum illud Iſaaci *Dominum tuum illũ conſtitui, & omnes fratres eius, ſervituti illius ſubjugavi*: ut etiam in ipſâ benedictione dixerat Jacobo, *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii Matris tuæ.* 2. Quia poſteritas Eſau, nempe Idumæi, ſervierunt Jacob, id eſt Iſraëlitis, ſeu Jacobi poſteritati. 3 Quia præcipua Jſaaci hæreditas atque Abrahæ translata eſt ad Jacob, nempe terra Chanaan, fertilis, atque abundans, quæ non Idumæis, ſeu poſteris Eſau, ſed Judæis filiis Jacob data eſt: Idumæis autem data ſunt loca ſaxoſa, & ſterilia, ideoque dicitur Malachiæ 1. Deum odio habuiſſe Eſau, hoc eſt minus dilexiſſe, phraſi uſitatâ in Scripturâ, Iacobum autem dilexiſſe, & eum fratri in amore prætuliſſe.

Nota 4. Licet dilectio Iacob, & odium Eſau, in ſenſu literali uti legitur in Geneſi, & in Prophetiâ Malachiæ, intelligenda ſint de tẽporalibus, tamen apud Apoſtolum Paulum, qui ea loca ſumpſit ſecundum ſenſum Allegoricum, intelligi poſſe de prædeſtinatione, exemplo ſumpto à rebus temporalibus, & traducto ad res ſpiritales: ita enim paſſim SS. PP. interpretantur: ac licet ſub Iacobo, & Eſau, eorum poſteri poſſint intelligi, non ideò tamen capita, ſeu progenitores excluduntur: Immò quando dicitur Iacob eligi, prius intelligitur eius peſona, velut initium, & quaſi norma prædeſtinationis poſteritatis ipſius: Et patet ex contextu totius capitis noni Epiſt. ad Rom. ubi agitur de prædeſtinatione, & reprobatione, quam docet, nullam aliam cauſam habere, quàm Deum; unde ſubjungit, *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Neque enim voluntas Iſaac quidquam profecit, qui volebat benedicere Eſau primogenitum ſuum; neque aliquid profuit curſus Eſau, qui ſtatim ad venationem profectus eſt, ut Patri obſequeretur, & benedictionẽ mereretur; ſed totum opus fuit miſericordiæ Dei, qui ab initio id ſtatuerat: unde Apoſtolus, *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori*: ut ſcires, hæc totum profectum fuiſſe à merâ Dei voluntate.

Alterum exemplum accipio à S. Dorotheo doctr. 6. ubi iſta. Memoria teneo factum hujuſmodi me aliquando audiſſe. Navem, ſervorum, (ſeu quæ veheret ſervos) ad neſcio quam urbem applicuiſſe: erat autem in civitate illâ, Virgo quædam ſancta, ſalutis ſuæ admodum diligens, & ſtudioſa. Hæc ubi navigium illuc attuliſſe cognovit, gaviſa eſt; deſiderabat enim puellulam parvam ſibi comparare; quam ſuo arbitratu aleret, & enutriret in Dei cultu, nec ulla labe mundialis malitiæ ſineret contaminari. Mittens igitur qui navis illius gubernatorem accerſeret, duas ipſum habere puellas valde parvulas, quales animo ſuo deſtinarat ipſa Virgo, comperit, ſtatimque cum lætitiâ pretium ſolvit, atque unam puellam ſibi aſcivit. Vt igitur Nauclerus à Virgine ſanctâ receſſit, paululum progreſſus, obviam habuit ſcenicam quandam meretricem, cui poſcenti puellam alteram pretio dedit. Conſiderate obſecro myſterium Dei, judicium attendite. Quiſnam hujus rei rationem reddere poteſt? Accipit igitur Virgo ſancta parvulam illam, atque educat in timore Dei, ad omne opus bonum, ipſam informans, ac docens omnem mona-

monaſticam diſciplinam, oſtenditque ſanctorum Dei mandatorum ſuavitatem, atque fragrantiam. Scenica ſimiliter meretrix, cum alteram illam miſeram accepiſſet, effecit eam ergaſtulum diaboli: quid enim aliud furia iſta docere illam poterat, niſi animæ perditionē? Quid igitur dicere poſſumus de horrendo iſto judicio? Ambæ parvulæ erant, ambæ abductæ, neſcientes quò proficiſcerentur, & una inventa eſt in manibus Dei, altera verò incidit in manus diaboli. Nunquid igitur dicere poſſumus, quòd tam unam, quàm alteram repoſcat Deus? Quomodò id fieri poteſt? Vtique ſi ambæ in fornicationem, aut in aliud ſimile vitium incidiſſent, liceret dicere, idem judicium ambas obtinere; cum idem ambabus error contigerit: quomodò igitur hoc fieri poſſit? Hæc dies atque noctes inter eloquia Dei, didicit ea quæ judicium, & regnum Dei ſpectant: illa verò miſera, nunquam ſcivit, aut audivit aliquid boni, ſed è diverſo omnia turpia, atque diabolica: quomodo igitur fieri poſſit, ut eadem ab utriſque exacta diligentia exigatur? In quo ſanè facto admirabile exemplum electionis divinæ, & diſcretionis nobis relictum eſt: Neque enim temerè effectū eſt ut ita diſcernerentur. At in illis nulla eſt cauſa; igitur in Dei electione.

Sed meâ re, illud in primis cavendum eſt: quod admonet Apoſtolus, ne in Deo judicemus eſſe iniquitatem, qui ſic diſcernat æquales. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas eſt apud Deum: abſit.*

Ratio eſt quia ſi Deus hujus diſcretionis cauſam ſumeret ex meritis atque operibus, profectò non poſſet ſine injuſtitiâ diſcernere eos, quorum & opera, & merita ſunt æqualia: ſed cum illa diſcretio fiat à ſolâ Dei voluntate, nulla poteſt eſſe injuſtitia. Vnde ſubdit Apoſtolus, *Moyſi enim dixit, miſerebor cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor.* Cum enim nemini debeat ullam gratiam, etiam ſi nullum eſſet peccatum, nemini planè facit injuriam, ſi unum diſcernit ab alio, quia opus non eſt Juſtitiæ, ſed Miſericordiæ: Itaq; multò magis jam id poteſt ubi homines obnoxii ſunt Deo, ratione peccati. Ita Chryſoſt. id dictum ait Moyſi, ne ipſi mirarentur, quod Deus, poſt adorationem vituli aurei, quoſdā gladio interemiſſet, aliis verò pepercíſſet: quod enim aliqui puniti ſunt, juſtitiæ fuit; quod aliqui liberati, miſericordiæ; Sed illa diſcretio nullam habuit iniquitatē. Quapropter ita concludit, *Igitur non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Non fuit volentis, quia dum Levitæ irent, & redirent à porta una caſtrorum, uſque ad alteram obvios quoſque interfecturi, nullo delectu id fecerunt, itaque nullos elegerunt, quos eximerent, ſicut nec alios quos interficerent, immò contigit multis ut chariſſimos interficerent, nam dixit Moyſes, *Conſecraſtis hodie manus veſtras Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo*: Item nec fuit currentis; hoc eſt, cujuſque fugientis, cum in modum ſerræ, fieret vindicta: ſic enim Moyſes præceperat: *Redite de porta, uſque ad portam per mediam caſtrorū, & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum & proximū ſuū*, ut ſcilicet neſciretur quā eſſet fugiendum: igitur *miſerentis Dei*, ita rem diſponentis, ut quē perire vellet, gladio tranſeuntis objiceret; quē ſervare vellet, eriperet. Quod ſi etiam duorū fratrum reſpectu hæc verba dicuntur: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, idē eſt ac ſi diceret Paulus: patet Deum ex operibus non præelegiſſe Iacobum, quaſi meruiſſet ſua diligentia benedictionē paternam, quod Eſau ad venationem profectum, prior ipſe antevertiſſet; ſed ex ſuo propoſito: quia nimirum ſic Deo placuit qui Iacobi miſertus eſt, non autem Eſau.

Ex quibus omnibus concluditur Prædeſtinationē nihil eſſe aliud quàm ſingularē, & eximium amorem Dei erga quoſdam, præ aliis,

T 3 quibus

Digitized by Google

quibus præcipua quadam ratione vult gloriã, & conſequenter quibus ex illo ſingulari affectu ordinat media, quibus prævidet connectendam perſeverantiam, ſeu deceſſum in gratiâ, & gloriæ conſecutionem. In quo Deus nullam committit injuſtitiam; nam omnibus vult gloriam, & media donat apta ad eam cõſequendam: ſed quibuſdam magis vult gloriam, & media, itaque & majora, & meliora præparat; non quidem ratione ipſorum, quia ante Dei voluntatem, omnes ſunt æquales, id eſt, æqualiter omnes indigni; ſed ratione ſui, quia ſuorum donorum eſt Dominus, quod oſtendit inæquali largitione. Sicut itaque Deus quoſdam homines creavit, non alios, idque ſine injuſtitia; quoſdam Angelos, non alios, eoſq; innumeros, quos creatis meliores creare potuit; hunc mundum, non alium; hunc Solem, non alium, & ita in cæteris: Sicut ex omnibus populis Judæos elegit, non alios, Sicut quoſdã facit divites, alios inopes; quoſdã ingenioſos, alios ſtupidos; quoſdã pulchros, alios deformes: Sicut ex omnibus mulieribus, unã elegit in matrẽ, ſine aliarum offenſione: Sicut ex omnibus naturis, humanã tantũ aſſumpſit: Sicut ex individuis naturæ humanæ, unam tantum Humanitatem: Sicut ex omnibus Judæis, paucos, id eſt, 72. elegit in diſcipulos; ex iſtis, duodecim tantum in Apoſtolos; ex duodecim Apoſtolis, unum Petrum in caput Eccleſiæ; & alia id genus; Ita quoſdam ſingulari amore diligit ad gloriam, eoſdemque elegit in prædeſtinatos ſeu ſingulariter dilectos. In quo nihil efficit, quod nõ efficere poſſit quilibet de vulgo. Non itaque unius prædeſtinatio eſt alterius reprobatio, ſed unius amor, præ alio: *Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare* Et ut ſcripſit Caſſiod lib. 1. variarum, Epiſtolâ 12. de ijs qui à Rege Theodorico exaltati fuerant: Pompa meritorũ eſt, regale judiciũ: Ita in cauſa prædeſtinationis electorũ nihil verius dici poteſt quã illud Chriſti, *quoniam ſic placitum fuit ante te.* Sic Eccli. 33. *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à Sole? A Domini ſcientia ſeparati ſunt facto Sole, & præceptum cuſtodiente. Et immutavit tempora, & dies feſtos ipſorum, & in illis dies feſtos celebraverunt ad horam: ex ipſis exaltavit & magnificavit Deus, & ex ipſis poſuit in numerum dierum: Et omnes homines de ſolô & ex terra, unde creatus eſt Adã. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit eos, & immutavit vias eorum. Ex ipſis benedixit, & exaltavit: & ex ipſis ſanctificavit, & ad ſe applicavit: & ex ipſis maledixit, & humiliavit, & convertit illos à ſeparatione ipſorũ.* Quærit Sapiens cur cũ omnes dies ſint à Sole, alii tamen ſint aliis lucidiores & placidiores? unde annus unus alio eſt fertilior & ſalubrior? Item unde ejuſdẽ anni dies alii, ut feſti, ſanctique obſervantur? alii verò in rebus ſervilibus teruntur ut prophani? Primi cauſa eſt Deus, præſcribens Soli curſum ſuum: Idem etiam voluit quoſdam ſibi ſacros eſſe dies, alios verò communes, nulla re notabiles, niſi ſolo numero, quem diverſum efficiunt: ſic homines ab eodem ortos principio, & ex eadem materia, diſſimiles eſſe voluit ſuis beneficiis: quoſdam enim fecit divites ac beatos; Reges, & potentes; alios Sacerdotes & prophetas, & ſanctos: alios verò fecit inopes, & humiles, atque abjectos, *Et convertit illos à ſeparatione ipſorum*, Id eſt, dejecit à ſublimi gradu, & ordine dignitatis, quam vocat ſeparationem: uti eximii illi dicuntur, qui nõ in vulgo, ſeu numero relinquuntur. Ita dicitur de diebus dignioribus, *à Domini ſcientia ſeparati ſunt*: & David dicitur, *Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic David à filiis Iſraël*, & Num. 10. Moſes ad Levitas: *Num parum eſt vobis, quod ſeparavit vos Dominus, & junxit ſibi.* Hæc autem ſeparatio, ſeu ſecretio, nullam aliam habet cauſam quàm Dei beneplacitum, & voluntatem: *εὐδοκίαν* appellat Apoſtolus Paulus.

Ex hac conſideratione hîc duplex in me ſenſus oritur.

Primus eſt, Præ illa ſecretione, & ſeparatione

Digitized by Google

tione aliam omnem nihili faciendam: Nam hominum alii ſunt Reges, alii ſubditi; alii divites, alii pauperes; alii ſano corpore, alii ſemper ægro; alii pulchri, alii deformes; alii proſpera uſi fortuna, alii adverſa; quidam beati, quidam miſeri: Sed quantū illa poſſunt prodeſſe? hæc autem, quãtum obeſſe? Quàm exiguum eſt diſcrimen, quàm breve, quàm inutile, quàm contemnendum? Quorſum hinc nobis ineſt faſtus, & aliorum contemptus? Illa unica diſcretio magnifacienda eſt, quod unus ſit ex Electis, alter inter Reprobos. Hic fortaſſis quem contemnis electus eſt: Tu verò unus ex Reprobis: Ille qui nunc jacet in vitiis electus eſt: Qui autem nunc ſtat, erit aliquando caſurus, *&c.*

Neque etiam illud præterire poſſum, quàm magnam habet admirationem, nempe quod Deus ferè eos qui in rebus exterioribus præcellebant, reprobavit. In prima mundi familia major natu reprobatus eſt, Caïn ſcilicet, quãvis primogenitus, fortior & robuſtior, & induſtrior: Abel autem electus poſterior natu, tenerior, & minus gnarus. In Abrahæ domo Iſraël primogenitus à domo & hæreditate rejectus eſt, ſecundùm illud: *Ejice ancillam, & filiū ejus, non enim heres erit filius ancillæ, cum filio liberæ*, nimirum Iſaac, in quo Abrahæ vocatum eſt ſemen: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*: In iſtius domo rejectus eſt Eſau primogenitus, electus eſt Iacob; cùm tamen ita utrumque componat Scriptura Geneſ. 25. *Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo Agricola, Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis*, hoc eſt vitam agebat quietam, domi commorans: ut ſcilicet intelligas mundanas & externas prærogativas tibi eſſe debere ſuſpectas; tantùm abeſt ut hinc ſumere debeas occaſionē teipſum extollendi. *Quæ mihi fuerunt lucra*, ait Apoſtolus ad Phil. 3. *Hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.*

2. Senſus eſt Quanti unuſquiſque peculiarem illum in ſe amorem facere debeat, quicunque tandem illius eſt particeps ut eum Deus inter tot creaturas, tot dotibus, atque donis inſignes, nullo ejus merito elegerit, tot aliis prætermiſſis. Audi quid in ſimili caſu populo Iſraël, Moyſes conſiderandum propoſuerit: Deut. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram*; Id eſt, non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus eſt Dominus, & elegit vos, cùm omnibus ſitis populis pauciores, ſed quia dilexit vos Dominus. Ego certè non dubito, ſi anima hæc interius audiret à Domino, quin tota in amorem ſolveretur: Tu me Domine ſingulariter dilexiſti, & præ tam multis amaviſti? Quis ego ſum Domine, & quæ domus Patris mei? Non hoc ego vehementer admiror, quod hic anima deficiat, & primò quod præ admiratione extra ſe feratur, tum quod præ amore colliqueſcat. Ille te præ tàm innumeris? Tu verò non illum præ omnibus? *Dilectus meus mihi, & ego illi*: *Ego dilecto, & ad me converſio ejus*: & Cant. 6. *Ego dilecto meo: & dilectus meus mihi.* Quàm putas hoc te aliquando commovebit ac tanget, cum iſta mortalia tranſierint, atque jam in portu & in gloria poſitus cognoſces te præ innumeris mortalibus dilectum, electumque? Quantū putas te dilecturum Deū tuū? Quid illius cauſa feciſſe non deſiderabis, quid nō pertuliſſe?

Sed quia nemo hunc amorem ſpecialem arrogare ſibi poteſt, nam *neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit:* Hoc ſaltem & conſidera, & æſtima; quantum debeas Deo quòd te Chriſtianum, & ſui ipſius gnarum fecerit, cum interim tàm multas nationes & nobiles populos ignorantiæ tenebris obvolverit, & teneat in infidelitate; ut ſcias quæ à Deo donata ſint tibi. Atque in univerſum agnoſce ea beneficia quibus alteri prælatus es. Quis enim es tu, ut tui aliquam rationem peculiarem Deus habuerit? Quis es ut te Deus alteri cuicunque prætulerit es?

Quid

Digitized by Google

Quid enim habes quod non accepiſti: ſi autem accepiſti quid gloriaris, quaſi non acceperis?

Verum noſtra repetamus. Atque ut nullam in animis dubitationem relinquam, hoc addo: quod ſicut hæc prima Electorum ac relictorum diſcretio, nullius eſt meritum, ac demeritum, ita non efficit immediatè & abſolutè ſalvationem Electorum & damnationem relictorum, ſed ambos ſuo relinquit arbitrio, unde nullum cogit, ac nemini neceſſitatem infert. Itaque relictos non excludit poſitivè à gloria, ſed intra communem voluntatem Dei omnes homines ſalvandi, deſerit. Sed illos non aſſumit peculiari voluntate & affectu; nullius ſanè iniuria: cum tamen aliquos aſſumit, id facit ſumma miſericordia; quemadmodum ex omnibus temporibus plenitudinem temporum elegit, ut homo fieret; ex omnibus populis filios Iſraël, ex quibus carnalem duceret originem; ex omnibus tribus, tribum Iudæ; ex familiis Iuda, domum David; ex omnibus urbibus, Bethlehem; ex omnibus fœminis, ut dictum eſt, Beatã Virginẽ in Matrẽ. Quod elegit, gratiæ fuit; quod nõ elegit voluntatis fuit liberæ, ſed non in juſtitiæ, aut injuriæ: Idem contingit in quorumdam electione, aut reprobatione.

2. Propoſitio: *Sicut huius diſcretionis initium diximus petendum eſſe à ſimplici Dei voluntate, & amore; Ita eius complementum & perfectio pendet amborum voluntate, & cooperatione.* Etenim *oves ſequuntur, & audiunt*: non ſequuntur autem, qui non ſunt oves. Oves ſequuntur, quoniam oves ſunt, & ſequi volunt; atque amant: qui verò non ſequuntur nec ſunt oves, nec ſequi volunt. Cauſa itaque adæquata diſcretionis integræ eſt Deus, & creatura: Et ita eſt una diſcretio ſeu ſeparatio ab electione Dei: *Ego cognoſco oves meas*: & altera eſt à cooperatione creaturæ, *& cognoſcunt me meæ*: ex utraque fit una totalis, cuius cauſa adæquata, eſt Deus, & creatura *oves meæ vocem meam audiunt*: neque enim oves audirent, niſi loqueretur ſed loquentem etiam non audirent niſi vellent; eſt enim auditus obedientiæ. Sicut itaque peccator per liberum arbitrium ſe diſcernit à juſto, ſecundum illud Iudæ in Epiſtola ſua: *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos*, ſed tanquam cauſa ſola, & totalis, quia ſolus ſe ad id determinat, quo ab alio ſeparatur; ſcilicet ad malas actiones: ita juſtus poſt datam gratiam, per illius uſum liberum, licet cooperante gratia ſe ab impio ipſe diſcernit. Confirmatur: Quia qui ex æqualibus facit inæquales, ille unum ab alio diſcernit; ſed non ſolum Deus per gratiam, & amorem ſpecialem, verum & homo per liberum arbitrium, licet ſecundariò, & minus principaliter facit ex æqualibus inæquales. Exemplum Auguſtinus poſuit lib. de Præ- deſtin. & gratia cap. 15. inter Nabuchodonoſorem, & Pharaonem: Quid fines eorum fecit diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero arbitrio, contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit?

Hinc ſequitur 2. ex Leſſio de Prædeſtin. & Reprob. Angelorum & hominum, ſect. 6. n. 77. Eſſe in Iuſtorum poteſtate complere ſuam prædeſtinationem. Probatur, Quia complere ſuam prædeſtinationem eſt efficere, ut in Deo ſit præſcientia & præparatio reliquorum beneficiorum quibus reipſa homo perducitur ad ſalutem: atqui in hominis eſt poteſtate illud efficere per gratiam Dei. Major probatur ex definitione prædeſtinationis ex S. Auguſtino: Nam ſicut tota prædeſtinatio conſiſtit in præſcientia, & præparatione omnium beneficiorum, quæ ab initio conceptionis, vel vocationis, uſque ad ultimum vitæ conferuntur; ita complementum eius, conſiſtit in præſcientia, & præparatione eorum quæ conferuntur poſt juſtificationem.

Minor

Minor probatur ex Concil. Arauſicano c. 17. ubi ait omnes baptizatos Chriſto auxiliante, & cooperante quæ ad ſalutem pertinent, poſſe, & debere, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Et ex Trident. ſeſſ. 6. c. 11. ubi hæc: Deus ſua gratia juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur: Et ex eodem c. 13. ubi ita: De Perſeverantiæ munere, nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debeant: Deus enim, niſi ipſius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Denique ex hoc textu 2. Petri c. 1. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis:*

Inſuper: Deus præparavit omnibus iuſtis omnia auxilia & beneficia, quibus certiſſimè ſalvabuntur, ſi gratiæ non deſint: ſed in poteſtate juſtorum eſt non deeſſe ipſius gratiæ, & implere illam conditionem, quâ impletâ, illa voluntas conditionata tranſit in abſolutam, ac proinde complet in Deo rationem prædeſtinationis.

Sequitur 2. Qua ratione intelligi debeat, quod à nonnullis tribuitur Auguſtino: Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris. Neque enim abſolutè loquendo, id vere dici poteſt; quia nemo ſibi cauſa eſſe poteſt primæ gratiæ, cuius tamen præparationem, nomẽ prædeſtinationis includit; ſed poteſt eſſe cauſa completionis, ſine qua prædeſtinatio completa eſſe non poteſt. Itaque Proſper in reſponſ. 3. ad Capitula Gallorum: Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideò prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntariâ prævaricatione præſciti ſunt. Et ad obiectiones Vincentii Reſponſ. 12. Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati, eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate manſuri. Hoc itaque certum habeamus neminem excludi ab ovium numero, & ad hœdos tranſire, niſi vitio ſuo, unumquemque autem ſi velit, poſſe bonis adhærere Dei gratiâ adiutum, quæ nulli unquam denegatur.

Eodem modo reſponderi facilè poteſt ad illud Dilemma, vel ſum prædeſtinatus, vel nõ ſum: Si 1. perire non poſſum, Si 2. ſalvari nequeo: Quo argumento, ut dictum eſt ſupra, inductus quidam ex Monachis S. Auguſtini, Monaſticam vitam deſeruit, ad ſæculum rediit, ibique periit, illo teſte l. de bono Perſ. c. 25. Dicetur enim; te eſſe prædeſtinatum, ſi tu es in gratia, non tamen completè, niſi poſita præſentia tuæ perſeverantię, quę pręſcientia, cùm à tuâ perſeverentiâ obiectivè, & tua perſeverentia à tua diligentia, divino adjuta auxilio, omni ope tibi conandum eſt, omneſque vires & naturæ intendendæ ut perſeverantiam præſtes: quod ſi Divinâ gratiâ neglectâ nõ præſtes, nõ eris prædeſtinatus ſed reprobus, at vitio tuo, & voluntate tuâ: nam ſuppoſita Dei gratia, quæ ſemper omnibus præſtò eſt, & ſuppoſita etiam omnium hominum ordinatione ad gloriam, à quâ ordinatione nemo excipitur, nemo reprobus eſt, nemo ab ovium numero excluditur niſi vitio ſuo. Hinc etiam patet quomodo concilianda ſit prædeſtinatio cum libero arbitrio, cum quo non magis pugnare poteſt quam gratia, quæ non modo non deſtruit liberum arbitrium, quin potius illud perficit, cum illi det poſſe, quod ſine illa non poſſet, ita tamen poteſt per illam, ut cum illa etiam operetur, ſecundum illud Apoſtoli: *Ego & gratia Dei mecum*; quod autem prædeſtinatio non magis lædat libertatem quà ipſa gratia, hinc patet quod ex Auguſt. prædeſtinato ſit gratię pręparatio, gratia verò ipſa donatio.

Vnica mihi occurrit concluſio quam habet Apoſtolus 2. ad Philippen. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate;*

& tremore ſalutem veſtram operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate: Vide quid velit Apoſtolus, 1. vult unumquemque ſalutem ſuam operari, ut nemo confidat prædeſtinationi, quaſi ſolus Deus ſalutem operetur illam: neque enim ita ſe res habet, nam ipſe ſic eam operatur, ut noſtrum etiam ſit operari: ille enim gratiam & præparat & donat: nos gratiam recipimus, & ea utimur. 2. Nos vult operari cum timore & tremore, quia *neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit*: unde nemo præſumere poteſt, ſicut nemo deſperare; ſed omnes timere debent ac contremiſcere. Deinde rationem ſubdit: Quia *ipſe eſt qui operatur in nobis velle & perficere*, ut ſciamus ab ipſo pendêre, quod velimus & quod faciamus, non quod ipſe ſolus ſit in nobis qui velit, & perficiat, alioqui malè dixiſſet, ut operaremur; ſed quia ipſe per gratiam efficit ut velimus, & ut faciamus: ipſe enim exſuſcitat ut velimus, neque hoc tantùm, ſed primum velle efficit in nobis ante libertatem, & ipſum liberum velle efficit in nobis, ſed nobiſcum. Quia verò non ſufficit, ut velimus, quaſi poſitâ voluntate, ipſi per nos efficiamus, nam ipſius adjutorio indigemus ut perficiamus; ipſa enim efficit in nobis velle & perficere; ideò timere debemus, ne nos deſerat, ſi ejus gratia abutamur. Quare oportet operari cum timore & tremore, ne ſi non operemur, deſeramur ab eo qui operatur in nobis velle, & perficere; & quo recedente, neque in nobis eſſe poteſt voluntas, neque opus: præſertim cùm id faciat pro bona voluntate, hoc eſt liberè, ſeu ex pura liberalitate; ut qui gratiam nemini debet, & propterea ſine injuſtitia privare ea quemlibet poteſt: unde ſequitur illa utendum cum timore.

Nemo itaque ſcientia prædeſtinationis abutatur, Audit, nemo extollatur; quia nemo ſcit qualis ſit: nemo animum dejiciat; quia Deus neminem poſitivè excluſit: ſed unuſquiſque in ſalutem ſuam maxima diligentia incumbat; quia quilibet ad gloriam ordinatus eſt, quilibet vocatus, quilibet ad eam capeſſendam gratias neceſſarias, & ſufficientia habet auxilia, quilibet in ſuo prædeſtinationis ordine ſalvari poteſt, ſi velit, ſi gratiæ reſpondeat, ſi Deo non deſit. Non te prima ſeparatio damnat, ſed ſecunda: In primam, nullam habes poteſtatem; habes in ſecundam; ex qua venitur in tertiam, de qua S. Matthæus cap. 25. *Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis: hædos autem ſiniſtris*: deinde Iudicis ſententia accedente, *Venite, & diſcedite: Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*: in qua ſeparatione omnium ſuppliciorum maximum. Hæc enim demùm eſt perfecta reprobatio, cujus tota eſſentia conſiſtit in judicio indignitatis reprobi, propter peccata in quibus deceſſit, & in conſequente voluntate Iudicis deputante ipſum ad carentiam viſionis, atque ignes æternos: Hoc unum cogita oportere te eſſe aut in ovium numero, aut in hœdorum grege, aut in dextra, aut in ſiniſtra: cogita ad quorum mores propiùs accedas, innocentia, manſuetudine, caſtitate, ut utilitate ad omnia: An verò ſis moribus noxiis, an petulcus, an impurus, an petulans. Quælibet vitæ præſentis differentia ut diximus nuper, non magni facienda eſt, neque ratione objecti, neque durationis: Altera differentia & res omnes, & omnem durationem complectitur. Diſcrimen eſt aut ſummæ felicitatis, aut ſummæ miſeriæ; aut cœli, aut damnationis, aut æternitatis in ſuppliciis, aut æternitatis in gloria: ad quam nos deducat Ieſus Chriſtus. Amen.

* * *

FERIA

FERIA QVARTA vel QVINTA.

DOMINICÆ PASSIONIS:

CONCIO QUARTA,

DE PRÆDESTINATIONE.

Vocatio Prædeſtinatorum, in exemplo Magdalenæ.

Oves meæ vocem meam audiunt. Ioan. 10.

IN Chriſto Domino duæ ſunt Naturæ; una viſibilis, alia inviſibilis, ſecundùm ejus nomen, Emmanuel, *Nobiſcum Deus.* Viſibilis fuit natura humana, de quâ dictum eſt, *Verbum caro factum eſt*: Item, *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*: Inviſibilis fuit natura divina, *Deum enim nemo vidit unquam.* Et ratione hujus duplicis ſtatus Chriſtus duplicis generis miracula perpetravit, alia viſibilia, alia inviſibilia. Ex viſibilibus omniũ maximũ fuit ſuſcitatio Lazari ad preces & lachrymas Magdalenæ: ex inviſibilibus, omniũ maximum, cùm eam convertit. Nobis de ultimo eſt ſermo. Sed quia ad ejuſdem lachrymas totum gratiæ fuit, nihil de illo ſine gratiâ dicere poſſumus. Ave Maria.

IN Evangelio de Chriſti ovibus propoſito, & nuper à nobis expoſito omnem Prædeſtinationis doctrinam agnovimus, quam omnem ad quatuor capita reduximus. De primo tribus Concionibus diximus: nimirùm de diſcretione Electorum à Reprobis, nihilque eſſe aliud oſtendimus niſi majorẽ quendam, & ſpecialem erga nonnullos, amorem Dei, quô quibuſdam vult magis gloriam quàm aliis, unde illis majora & meliora præparat dona, quibus certiſſime liberantur: addidi autem iſtam ſeparationem perfici atque compleri liberâ hominum voluntate, & cooperatione, qui ſe etiam per bonum gratiæ uſum ſeparant, ſed conſummari in extremo judicio per ultimam Iudicis ſententiam, quæ ſuum habet effectum Matth. 25. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*: ex quo infertur: Igitur alii ſunt oves, alii non ſunt oves: *Vos non eſtis de ovibus meis.* & Matth. 25. *Et ſepa abit eos ab invicem ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis: hædos autem à ſiniſtris*; De quâ re nihil ampliùs nobis dicendum eſt.

Digitized by Google

Alterum quod Deus agit circa prædeſtinatos, ſupra reprobos, illud eſt, quòd eos ita vocat ut audiant: neque enim omnes eodem modo vocat: ſiquidem ait Iudæis, *Loquor vobis & non creditis*, Et poſteà, *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis: oves meæ vocem meam audiunt*.

Primum itaque quod Deus operatur extra ſe in prædeſtinatis, eſt Vocatio, ſecundum illud Apoſtoli, *quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*: In quo apparet ſumma Dei providentia, & cura circa Prædeſtinatos quos vocat, etiam modis extraordinariis, & per miracula, quando viæ ordinariæ non ſuppetunt; uti paſſim legimus in Hiſtoriis & Vitis Sanctorum.

In eâ autem Vocatione hæc ſpectanda ſunt: 1. Neceſſitas: quod ipſa Evangelii verba ſignificant, quando dicitur, *Oves meæ vocem meam audiunt*: ſignificatur enim ipſum prius loqui, ſeu prius ad oves ſe convertere: Si enim Paſtor non ſe convertiſſet ad oves, ſi non vocaſſet, nunquam oves ſequutæ eſſent Paſtorem, immò nec adeſſe noviſſent: gratia enim homines prævenit: Neque tamen id intelligendum eſt de vocatione externa, de qua loquitur Apoſtolus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo autem prædicabunt, niſi mittantur: ſicut ſcriptum eſt, quàm ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona*: ſed etiam de vocatione interna: pergit enim, *ſed non omnes obediunt Evangilio: Iſaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro*: cujus effectus cauſam notat Chriſtus, Ioan. 8. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*: Et ipſe Ioannes cap. 12. *Propterea non poterant credere quia iterùm dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*: Itaque ſic Chriſtus loquitur Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*: Certè quilibet ſua ſponte errare poteſt, atque à Deo diſcedere; *Erravi, ſicut ovis quæ periit*; ſed nemo venire, ac redire poteſt, niſi Pater traxerit eum. In quo Joannis loco duo advertit S. Hieronymus, dialogo adverſus Pelag. lib. 3. ubi hæc habet: Quando dicit, *Nemo venire poteſt ad me*, frangit ſuperbiẽ tẽ arbitrii libertatẽ: quod etiã ſi velit ad Chriſtũ pergere, niſi fiat illud, quod ſequitur, *Niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, nequicquam cupiat, & fruſtrà nitatur: Simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non ſponte currit, ſed aut detrectans, & tardus, aut invitus adducitur. Hæc ille. Duo ſignificat: 1. impoſſibile eſſe ut per ſe veniat; 2. magnam indiſpoſitionem habere & tarditatem ad veniendum. Idem Chriſtus ſuis diſcipulis ſignificavit, ſcilicet illos nihil poſſe ſine ejus auxilio: *Sine me nihil poteſtis facere*: non dixit, ait Auguſtinus, nihil magnum poteſtis ſed nihil omninò, neque parvum, neque magnum: Iſtẽ, non dixit facilè non poteſtis, ſed omninò negavit illos quidquam poſſe: Vnde hujus dependentiæ ſimilitudinem affert apud Ioan. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis*: quibus & aliis locis penè innumeris, colligunt Patres neceſſitatem gratiæ ad omnia opera bona, ſed præcipuè ad converſionem.

Vide exemplum inſigne in Magdalenâ, cujus errores varios & miſerabilem ſtatum uno verbo complectitur Scriptura Lucæ 7. *Et ecce Mulier quæ erat in civitate peccatrix*, quæ vox, ex uſu antiquorum famoſam mulierem ſignificat: Chryſol. ſer. 93. Non peccatrix ſolùm, ſed totius civitatis facta fuerat ipſa peccatum. Quid hic memorem minora peccata, Vanitatem, Superbiam, animi levitatem, Inconſtantiam, Impudentiam; nihil in vita, nihil in moribus, nihil in oculis, nihil in totius corporis compoſitione moderatum: quantum illud eſt in ſummis ſceleribus fuiſſe projectiſſimam; quod vox illa ſignificat *Mulier in civitate peccatrix*: Quid quod non ſibi ſoli nocuit ſed

Digitized by Google

paſſim omnibus? *Mulier in civitate peccatrix*, id eſt, cuius erat ſcandalum publicum. Sed quantum illud eſt, quod omnia virtutum ſemina in ea erant extincta, pudor, timor, ſpes, amor honeſtatis: immò prima principia; nempe reſpectus Dei, eius amor, cogitatio de ipſo? Quin & ea omnia contraria, incogitantia, præcipitatio, amor ſui, æternitatis oblivio, amor ſæculi? hæc enim omnia miſerabilem hunc ſtatum comitantur. Quid ei virtutem proponas & honeſti ſpeciem, quam odit, & verſatur? Quid futurum judicium, quid pœnas Inferni, quid æternitatem proponas, cum in ea ſit earum omnium rerum oblivio? Atque inde judicia, num per ſe ipſa redire potuiſſet. Itaque opus fuit, ut à Deo potentiſſimè vocaretur, quod Chriſtus ſumma erga eam uſus miſericordia præſtitit. Quare de ea dicitur *ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi*, &c. Non tantum exterius fuit admonita, ſed potiſſimum interius. Vnde S. Gregor homil. 13. Quid miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? ſuſcipientem dicam, an trahentem ipſe per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris. Neceſſe itaque fuit, ut Chriſtus eam abſentem gratia ſua ſolicitaret, ac præveniret. Nempe ut ovis errabat, ſtolidum animal, quod ſemper progrediendo & paſcendo recedit à Paſtore: unde oves, Græci προβατα nuncuparunt, ἀπὸ τῦ προβαίνειν à progrediendo: & ideo opus fuit ut Paſtor requireret.

Hinc igitur patet Vocationis neceſſitas. Et hæc omnium reſpectu locum habet, tam Electorum quam Reproborum, dicente Apoſtolo. Quòd omnes *indigent gloria Dei*, ſeu gratia.

II. Quod in Vocatione illa ſpectatur eſt efficacitas, quæ in eo conſiſtit, quod Deus neminem ita vocet ut non ſequatur, ſecundum illud, *Oves meæ vocem meam audiunt:* Et illud Ioan cap. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Item, *Et erunt omnes docibiles Dei*: & alibi *faciam ut in præceptis meis ambuletis*, etiamſi multorum indoles & ingenium intractabile & inflexibile videatur. Vt hoc melius intelligatur.

Nota 1. Omnem vocationem dici poſſe efficacem. 1. quia omnis poteſt habere effectum, cum omnis qui vocatur, venire poſſit. Sicut enim nullus venire poteſt niſi vocetur; ita omnis vocatus venire poteſt ſi velit: nam vocatio quæ eſt gratia, dat, dat veniendi poteſtatem & facultatem; cum ille qui vocatur, ſyncere vocetur, nempe ut veniat; & ideo qui non venit, ſua culpa non venit: itaque in actu primo aliqua ratione omnis vocatio eſt efficax, nam ſi non poſſet habere effectum, illuſoria eſſet, & qui non veniret, non eſſet in culpa, quia venire non potuiſſet. 2 Quia quæ non habet effectum, ex hoc tantum non habet, quia voluntas venire noluit: igitur ſi ſit inefficax non hoc petitur à gratia, & vocatione, ſed à voluntate. Id ſignificavit Apoſt. 2. Cor. 6. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: nam iſta vacuitas nil aliud ſignificat quàm non habere effectũ: ſi itaque à libertate pendet vel oritur, quod non habeat effectum, certe culpa erit libertatis non defectus vocationis. Et proinde verum eſt quod dixi omnem vocationem dici poſſe efficacem, ſaltem in actu primo, ſeu per modum potentiæ.

Nota 2. ſingulari quodam modo Prædeſtinatorũ vocationẽ eſſe efficacem, quia ſcilicet *Oves meæ vocem meam audiunt*, quam alii non audiunt: ſecundũ illud *Propterea vos non auditis, quia non eſtis ex ovibus meis*. Et Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* Nam Prædeſtinatus quem dat Pater Filio, non tantum venire poteſt, ſed actualiter & infallibiliter venit ad Patrem, nec ullus eſt à Patre datus qui non veniat. Vnde magnũ eſt in Vocationibus diſ-

Digitized by Google

crimen: Quædam enim ſunt adeo potentes ut illis ſemper obediatur; Aliæ verò, rejiciuntur ab iis qui illis pulſantur. De primis ſic loquitur Aug. l. de Prædeſt. Sanct. c. 8. ut jam nuper retulimus: Multos venire videmus ad Filiū, quia multos credere videmus in Chriſtū: ſed ubi & quomodo à Patre audierint, hoc didicerint, non videmus: nimirum gratia iſta ſecreta eſt: Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur. Has gratias vocare ſolet Apoſt. ad R. 8. ſecundum propoſitum: *Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*: uti exponit S. Aug. l. de Corr. & Grat. c. 9. Eſt enim propoſitū voluntas certa & determinata, quæ effectu ſuo nō caret unde differunt vocationes Reprobi & Prædeſtinati.

Porrò ut ſignificetur illa virtus & efficacitas Vocationis, quæ proprie eſt eius qualitas, Chriſtus, ut modo diximus, eam appellat tractionem. Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*: nam ut ſcias eo loco agi de prædeſtinatis, poſtquam dixit, *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet*: ſtatim ſubiungit: *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras* &c. *Hæc eſt autem voluntas eius qui miſit me, Patris ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem eum in noviſſimo die.* Non potuit verò ſignificantiùs exprimi illa efficacitas gratiæ, quàm per verbum tractionis, ut ſcias eum, qui venit, non tam ſuis paſſibus venire, quam alieno motu impelli: quod ut meliùs à nobis intelligatur.

Adverte nomen tractionis ex primaria ſua ſignificatione, eaque propria ac ſtricta, ſignificare impreſſionem factam non volenti, ſed coacto: Etenim tractio refertur ad eum, qui violenter loco movetur, nec eſt cauſa ſui motus, cuius is eſt cauſa qui motum in ipſo efficit: Vnde cùm nomen tractionis de gratia & de vocatione dicatur, oportet ut aliquam impreſſionem, & quandam quaſi coactionem importet, quam multiplicem aſſigno.

1. Violentia eſt quæ infertur diabolo, à quo invito & repugnante ſuos electos Deus eripit, ſecundum illud Ioann. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras: & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum?* Chryſoſt. homil. 66. in Ioan. Traham, inquit, tanquam à tyranno detentos, & per ſe minus potentes, eius manus effugere, utpote repugnantis. Alio loco, rapinam appellat Luc. 11. *Nemo poteſt ſpolia fortis rapere, niſi prius alliget eum, & tunc rapiat*; hæc autem ad illius oſtendendam vim dicit, ut illic tractionem appellaret: huic principio innititur tota Parabola de forti armato, quam aliàs Magdalenæ etas applicabimus; de qua Luc. cap. 11.

2. Violentia quæ ſignificatur, ea eſt, quam Deus vitiis facit & concupiſcentiis, homines incitando ad illas mortificandas: Nam ab exaltatione Chriſti Domini in Cruce, multò magis quam à diebus Ioan. Baptiſtæ, *regnū cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: in quibus verbis PP. paſſim intelligunt mortificationis violentiam. Quò enim Dei vocatio pertinet, niſi ut nos moveat ad mortificanda membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram? Et ſæpè dixit Chriſtus Dominus. *Non veni pacem mittere, ſed gladium.*

3. Violentia eſt propter gratiā prævenientem & excitantem: Etenim quantū ad producendas eas operationes, quæ fiunt in nobis uti loquuntur Theologi, poſt Auguſtinū, videlicet quantum ad illuſtrationes intellectus, & ſuavitates, ſeu delectationes voluntatis, in proprietate ſermonis, & rigore loquendi, affirmare poſſumus, hominē trahi, liberū enim nō ſe ad illas movere, ſed movetur tantum, & agitur à Deo, independenter à voluntate, quæ non agit Auguſtinus l. 2. contra duas Epiſtolas Pelagian. c. 19 Quis trahitur, ſi jam volebat?

itaque

Digitized by Google

taq; iſte motus nō ſequitur conſenſū, ſed præcedit, immò plerumq; libera voluntate renitente, contradicente, atq; conante expellere à ſe eiuſmodi illuſtrationes & ſuavitates Dei, ut terrenis voluptatibus inhæreat, nec in illis turbetur Exempla in nobis ſunt quotidiana. Itaq; licet in uſu gratia à nobis pēdeat, quoniā ut ait Trident. illam voluntas abjicere poteſt, tamē in productione gratiæ Deus ſumam habet poteſtatē, eamq; producit indepēdenter à libertate, quoniam libertatē antecedit: quare eiuſmodi motus non ſunt liberi, & pluribus etiam inviti, & omnibus inſcijs dantur: & pro quibuſdā etiam petit Eccleſia ut dentur etiam contradicentibus, & ut noſtras, etiam rebelles, Deus compellat propitiè voluntates.

4. Violentia eſt ratione diſpoſitionis contrariæ & reluctantis, quæ ſemper in peccatore contingit, & quam debellat victrix gratia. Et inde ex eo virtus eius cōmendatur, quòd licet gratia obſtacula reperiat, ac obnitentē contra ſe voluntatem, omnem tamē difficultatē perrumpat: dum enim nolentes aggreditur, ex nolentibus volentes facit, quod verbū tractionis rectè ſignificat, quandoquidē quandam coactionem importat. Vnde hic Chryſologus Serm. 10. in Pſal. 18. Attrahit & nolentes: Nemo dicat, non vult, quia & Abraham offerens filium, colligavit: & Loth, Angeli ut ſubtraherent flammis, extractum manibus ſuſtulerunt: & Petrum Dominus, ut iret ad martyrium, quo nolebat, auxilij ſui virtute præcinxit, dicens, *& alius te cinget, & ducet quò tu non vis*: Et Pater cœleſtis non ſolum volentes ſuſcipit, ſed attrahit, & nolentes, dicente Filio, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum*. Id ſignificatum in Parabolâ invitatorum ad cœnam, ad quam invitati noluerunt venire, alii autem qui coacti ſunt venerunt. Vbi à iverte Vocationum diſcrimen, nam qui venire noluerunt Reprobi fuerunt, de quibus dixit Paterfamilias, *Nemo virorum illorum qui vocati ſunt guſtabit cœnam meam*: Invitati ſimpliciter ſunt, & admoniti temporis veniendi, *Quia omnia parata ſunt*: potuerunt autem venire ſi voluiſſent, & hæc voluntas ejus fuerat qui invitavit: non tamen ſunt introducti nec coacti, Sed *iratus Pater-familias*, (ſignificatur illis verbis affectus ad ſuperandas difficultates) ſervo præcepit, *Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*; videlicet non jam expectans ut venirent ipſi ſola convivij propoſitione illecti: quia nec pauperes auderent, nec debiles & claudi incedere potuiſſent, & accurrere feſtinanter, nam dictum eſt, *exi cito*, nec cæci domum invenirent, & januam, ſi verus vel momento dimitterent, opus igitur fuit, ut manu traheret, donec ad cœnam venirent. Vnde vides modum trahendi prædeſtinatos, quos efficaciter compellit, differre à modo alios vocandi, data ſcilicet tantum veniendi facultate, & ſufficiente invitatione ad conviviū. Itaq; in illis elucet maioris virtutis Vocatio, qui plus habent reſiſtentiæ: ut qui in viis & ad ſepes erant, & intrare compelluntur, eos ſignificant, quos Deus permiſit maioribus retineri impedimentis, & vitiis, quibus poſteà coactionē infert ut mutentur. Plerumq; enī reluctantib' hominibus, à Deo, & ab eius miniſtris obtruditur opportunè, & importunè prædicatio veritatis, increpatio, ſuaſio, obſecratio, exempla, miracula, flagella, occaſiones ſalutis: ad hæc interiores illuſtrationes, vehementes impulſus, & exuberantes ſuavitates, quibus tandem efficitur, ut appetatur avidiſſimè quod antea faſtidium & nauſeam peccatori provocabat.

Origenes Homil. 25. in Numer. Liberi Arbitrii eſt anima, & in quā voluerit partē eſt ei liberum declinare: ſubiicit tamen de Chriſto. Quodamodò vim nobis facit, ut nos pertrahat ad ſalutē. Id probat infra: Quoſcunque inveneritis, cogite intrare. Sic ergo non ſolum invitamur à Deo, ſed & trahimur, & cogimur ad ſalutem. Quomodo autem id

fiat

fiat, quis explicet? Vnde Proſper lib. contra Collatorem cap. 1. Quis perſpicere aut enarrare poſſet per quos affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat; ac ſubitâ commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta; quæ onerōſa ſint levia; quæ amara ſint dulcia, quæ obſcura ſint lucida: *Hæc autem operatur omnia unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Certè id noſſe melius non poſſumus quàm ab effectu, & eventu. Quid hîc memorem innumeros ac mirabiles gratiæ victricis triumphos, quot habuit ipſa captivos, ſed quos inſigniores, niſi quos habuerat, & invenit hoſtes infenſiores? Exemplum S. Pauli affert S. Auguſtinus, ſed quod habemus in Magdalena non eſt minus admirabile.

Vide enim qualis olim fuerit, & qualis facta ſit mutante eam gratia, & omnia in ea mutante. Quid olim una vox teſtatur: *Mulier in civitate peccatrix.* Quid facta ſit, paucis explicat Evangeliſta: *ut cognovit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius & unguento ungebat*: Gregor. Homil. 33. in Evangelia. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot in ſe invenit holocauſta; convertit ad virtutum numerum, numerum criminum: ut totum ſerviret Deo in pœnitentia quidquid ex ſe Deum contempſerat, in culpâ. Vnde vis initium ducam? Vndique poſſum, quoniam ſingula ſumma ſunt, & in ſingulis tanta mutatio, ut non ſtatum mutatum, ſed perſonam mutatam eſſe diceres: Incipiamus ab oculis, &c. Vt autem hanc omnem mutationem, gratiæ deberi, intelligas; probat Parabola Chriſti, de duobus debitoribus, qui cum non haberent unde redderent creditori, oportuit utriuſque donaret, atque gratuito remitteret: quod Magdalenæ factum eſt, idque tanto amplius quàm plura ei remiſſa ſunt. Quando autem audis ei multa eſſe dimiſſa peccata, quia multum amavit; hinc ſcias eo plus præventam fuiſſe: enim ſemper *prior dilexit nos*: Quod autem plus amaverit Magdalena, teſtantur eius obſequia, lachrymæ fuſæ, pedes irrorati, ſparſi capilli, & pedes terſi, data crebrò oſcula pedibus, & unguentum effuſum in pedes, quæ omnia teſtimonia ſunt magnæ dilectionis: hæc verò aliud principium non habuit, quam gratiam Dei uberem, & potentiſſimam, quæ ſic mulierem peccatricem immutavit.

Sed ne doctrina de vocationis efficacitate aliquem offendat: III. quod in vocatione illa ſpeciali ſpectandum eſt, eiuſdem vocationis eſt ſuavitas, quæ tanta eſt ut nemo veniat invitus, immò ſe ita trahi, oret Sponſa, *Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* Vnde dicit Deus, Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, &c. & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*: Igitur ut ſponte & libere, hoc enim ad præcepta pertinet; & non tantum facit ut faciant, ſed etiam ut facere velint, ac ſponte faciant, qui nec facerent, niſi ipſi vellent, ſed neque facere voluiſſent, niſi ipſum velle Deus eis dediſſet, ſecundum illud Apoſtoli ad Philipp. 2. *Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Hinc licet verbum tractionis quoad gratiam prævenientem accipiatur in propria ſignificatione, temperatur tamen eius ſignificatio, & rigor, quantum ſpectat ad gratiam cooperantem, & adjuvantem actualiter communicandam, & exercendam, ſeu ad effectum conſequentem gratiam prævenientem, effectum dico non formalem, ſed productum ab ea: etenim

tantum

Digitized by Google

tantum ſignificat vehementem Dei motionem, quæ nihil aliud eſt præter impreſſionẽ gratiæ prævenientis, ſed quæ nullo modo tollat, aut lædat libertatem. Igitur propter præcedentem indiſpoſitionem, coactio eſt; ſed quia ex nolente volentem facit, non eſt læſio libertatis, ſed emendatio. Proſper lib. contra Collat. cap. 6. Pater vocatum hominem ad Filium trahit, non reſiſtentem, invitumque compellit, ſed ex invito volentem facit, & quibuſlibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat, ut cor audientis obediendi in ſe delectatione generatâ, ibi ſurgat, ubi premebatur; ibi diſcat, ubi ignorabat; ibi fiat, unde diffidebat; inde velit, unde nolebat: *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*. Et lib. 2. de vocatione gentium cap. 27. Qui in cordibus trahendorum, hoc egit ut crederent, hoc effecit, ut vellent. Modum autem ſubdens, ait, Qui ergo veniunt, amore ducuntur, unde qui trahũtur, ita veniunt, ut ſi vellent, poſſent non venire, nec venire, ſi venire nollent; nolle autem poſſunt, quia cum volunt, liberè volunt.

Et probatur 1. Quia qui trahuntur, ipſi veniunt: quo verbo ſignificatur poteſtas libera movendi ſeipſum, ſuppoſito auxilio Dei, quo ſi velit utitur, ſi nolit non utitur: nam ſi tantum traheretur, nec veniret, actio tantum eſſet Dei non autem creaturæ, ſed cum qui trahitur ab alio trahitur, qui autem venit, per ſeipſum venit, neceſſe eſt creaturam & motum aliunde accipere, & ipſam movere: quod motum aliunde accipiat, patet, quia quia trahitur, quod ſeipſam moveat, patet, quia venit: ſed niſi traheretur, non veniret, neque ſe moveret, niſi alio mota fuiſſet.

2. Probatur. Quia iſta tractio vocatur auditio à Patre, doctrina, admonitio, conſiliũ, auditus, diſciplina, uti Scriptura loquitur, & ſæpius reperit Auguſtinus, & exponit Cyrillus Alexandrinus l. 4. in Ioannem c. 5. & 6.

3. Probatur, Quia non quodlibet trahitur violentia, & coactione, Sed eſt qui trahitur voluntate, & voluptate. Auguſt. tract. 26. in Ioan. Quomodo voluntate ſi credo, trahor? & reſpondet: Ego dico, parum eſt voluntate etiam voluptate traheris: Et poſt pauca: Si Poëtæ dicere licuit, Trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio, ſed delectatio, quantò fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt.

Confirmat, idem Auguſtinus, Quia hæc tractio tantum eſt revelatio, quæ nullam neceſſitatem inducit: quod probat ſequentibus exemplis. Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quod currit, trahitur, amando ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur: Si ergo iſta quæ inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum eſt Trahit ſua quemque voluptas; non trahit Filius revelatus à Patre? Quid enim fortius deſiderat anima quàm veritatem? Ita Ser. 2. de Verbis Domini. Non dixit, *duxerit*, ſed *traxerit*: Ita violentia cordi fit, non carni: Quod ergo miraris? crede, & venis: ama, & traheris: Non arbitreris iſtam aſperam, moleſtamque violentiam: dulcis eſt, ſuavis eſt, ipſa ſuavitas te trahit. Nonne ovis trahitur cum eſurienti herba monſtratur? & puto quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur: Sic & tu veni ad Chriſtum. Ita S. Thomas in cap. 6. S. Ioannis, lectione 5. docet Patris tractionem non inferre coactionem, quia non omne trahens facit violentiam, ſed Pater ſic trahit ad Filium: uti apud homines aliquid trahi poteſt ſine violentia.

1. Enim aliquis alium trahit perſuadendo

ratione, & hoc modo Pater homines trahit ad Filium, demonſtrando eſſe Filium: idque dupliciter: vel interius per revelationem, Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*: Vel miraculorum operationẽ, quam habet à Patre ſecundum illud. *Opera quæ dedit mihi Pater ipſa teſtimonium perhibent de me.*

2. Aliquis alium trahit aliciendo, Proverb. 7. *Blanditiis labiorum ſuorum protraxit eum*: & hoc modo illi qui attendunt ad Ieſum, propter authoritatem Paternæ Maieſtatis trahuntur à Patre: Nam quis Filium Dei reſpueret?

3. Trahuntur etiam à Filio, admirabili delectatione, & amore veritatis, quæ eſt ipſe Filius Dei: Trahit enim ſua quemque voluptas. Et hi tres modi ſunt uſitati inter homines: Sed quartus ſoli Deo convenit; & eſt interior inſtinctus, impellens, & movens ad credendum, ſub quo tamen manet ſemper homo liber ad conſentiendum: unde ex ſancto Thoma 3. Contra Gentes cap. 148. debet intelligi hæc tractio, ſecundum convenientem modum naturæ rationalis, nimirum ſalvo manente dominio libertatis: Ita ſibi potius vim trahendi Chriſtus in Cruce, Ioan. 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*: nimirum propter ſummam vim alliciendi ad amorem, gratitudinem, & imitationem ſui, per ſupremum opus charitatis, adjunctis interioribus auxiliis, quæ obiecti excellentiæ reſpondeant. Ita hanc tractionem poſtulat Sponſa *trahe me*, &c. hæc tractio non eſt violentia, cum petatur, neque enim ſe cogi petit qui petit ut trahatur, ſed ſuam currendi impotentiam fatetur, itaque alterius opem implorat, unde ſubdit quod curret ſi trahatur. Sanctus Bernardus Serm. 21. in Cantic. Non omnis qui trahitur, invitus trahitur: nec enim infirmum, aut debilem, cum videlicet qui per ſe ire non valet, trahi ad balneum, ſeu ad prādiũ piget, etſi reum pigeat trahi ad judicium, vel ad pœnã. Et infra: Trahe quodammodo invitam, ut facias voluntariam, trahe torpentem, ut reddas currentem.

Ex quibus omnibus locis & in Patribus, & in Scripturis colligitur, quamlibet vocationẽ, & quamlibet gratiam libertati non obeſſe, immò libertatem ſtabilire, cum ei donet poteſtatem. Neque enim oves audire poſſunt, niſi loquatur, cum autem Deus non tantum externè loquatur per vocem prædicantium, ſed internè per inſpirationem, ut loquentem audire poſſimus, cordis aurem aperit, unde dicit, *ſurdi audite* Vt autem perſuadeat, neceſſe eſt ut ſuadeat: hoc autem facit ſelectis quibuſdam rationibus ad intelligendum accommodatis, ut nemo ſit qui ſic illuminatus, non videat. Quare eam gratiam appellat altam & ſecretam vocationem, & certam ſcientiam, quam nemo reſpuit, ſed cum præcipuum ſit circa voluntatem negotium, eam ſic blandè & opportunè convenit, ut quacunque tandẽ in diſpoſitione fuerit, eam vincat, atque ad ſe pertrahat, quod facit blandiendo, palpando, & mira ſuavitate demulcendo: Et hanc gratiam victricem, delectationem appellat Auguſtinus, & Conc. Trid. Tactum cordis: nam gratia non vincit debellando, ſed demulcendo, non violentia ſed ſuavitate.

Idque, fundamentum habet in modo operandi proprio voluntatis: Cum enim hæc non agat niſi allecta bono, bonum autem illud tantum ſit quod eſt conveniens, porrò cum iſta convenientia multiplex ſit & varia, & relationem habeat ad voluntatis præſentem diſpoſitionem, Deus qui ſolus novit cordis ſecretum, & omnes eius ad omnia obiecta ſecundum omnes circumſtantias convenientias, ſic voluntatem adoritur, ut cum vult,

con-

conſenſum illius ſemper referat: Qua ratione vim non infert voluntati, immò eius modo agendi ſe accommodat. Nam ut ipſa nunquam ſe ad volendum determinat, niſi ſuavitate objecti, quod hic & nunc ſibi expetendum novit, ſic Deus voluntatem & cor non inclinat alia ratione, niſi propoſitâ ſuavitate, & bonitate eius rei ad quam inducit. Sicut itaque voluntas cum ſuavitatem quærit, cum vult, poſſet non eam quærere, ſed aliquid aliud, non tamen de facto aliud quærit, nec reipſa aliud unquam quæret, cum hoc ſemper quærat ut ſibi ſatisfaciat: ita Deus cum voluntatem gratiæ motione aggreditur, ſic blandè eam tangit, & tanta ſuavitate demulcet, ut licet voluntas abiicere poſſit illam ſuavitatem, titillationem illam ſpernere, non tamen ſpretura, nec rejectura ſit unquam, delectatione ſemper victrice. In quo vides illa quo mirabiliter eſſe connexa, vim & robur & potentiam gratiæ illius peculiaris, cui nullum cor durum reſiſtit, & eiuſdem ſuavitatem quæ libertatem noſtram nullo pacto violat: quod Sapiens verbis illis expreſſit, Sap. 12. *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cum volueris poſſe.* Deus quippe ſeſe cauſis ſecundis accommodat; uno modo cauſas neceſſarias diſponens: liberas autem varia & multiplici ratione.

Exemplum illuſtre eſt in Magdalena, cuius indoles cùm eſſet ad amorem proclivis, eam non alia ratione ad ſe vocavit, quàm amoris illecebris, fœliciter amore mutato. De qua enim dixerat, *mulier in civitate peccatrix*, de ea poſteà ſic pronunciat, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Itaque totum Evangelium eſt de amore Magdalenæ: nam licet videatur eſſe de eius pœnitentia, non tamen alia fuit eius pœnitentia quàm per amorem. Propterea ſi flet, ut non tantum ſcites eſſe doloris lachrymas, ſed etiam amoris, pedes irrigat Salvatoris: Si capillos ſpargit, quod ſemper fuit doloris ſignum, illis tergit pedes Salvatoris. Oſcula autem ſunt amoris ſigna: Neque ſatisfacit fundendo unguenta, niſi in quantum pedes ungit. Vide autem quò eius amor perductus ſit. Non amare dicitur, quaſi iam tantum inchoaret, ſed amaſſe. Itē, non mediocriter, ſed plurimū, *Quia dilexit multū.* In tota parabola eius amoris magnitudinē Chriſtus probat: *Cui dimittitur minus minus diligit*, &c. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Sane oportet uberrima gratia & convenientiſſima fuiſſe vocatam. Vnde non ei dicitur ſicut aliis, *vade, noli amplius peccare*: Sed *vade in pace*: Quæ vox ſecuritatem ſignificat. Ita in reliqua vita non niſi amare deſcribitur, ſemper ad pedes Chriſti, ad officia charitatis, dum viventem ungit, dum accurrit ad mortuum, dum aſſidet ſepulchro, dum nil Angelos morata de uno dilecto cogitat, & alia ſexcenta, quibus eius amor exprimitur. Quis cogitet quibus modis eam Deus ad ſe attraxerit, quibus illecebris, quâ ſuavitate, quo amore? quibus ſauciarit vulneribus? quibus vinculis, alligarit? &c.

Sed quo pertinet omnis ille diſcurſus niſi ut hæc tria ſequentia intelligas.

1. Quandoquidem neceſſaria eſt gratia, te omni modo conari debere ut eam procures. Scio multas gratias inſperatè dari & merè gratuito, & de prima gratia certum eſt ſed etiam illud verum eſt, multas gratias conſequētes dari, vel quia petitæ ſunt, vel quia prioribus gratiis benè acceptis, id meriti ſumus. Ita docet Auguſtinus Epiſt. 105. & 106. & libr. de bono perſever. cap. 6. obtenta fide nos poſſe obtinere gratiam juſtificationis,

illa obtenta, gratiam qua perſeveremus. Tu itaque pete quotidie, quære & pulſa: *omnis enim qui petit, accipit*, &c.

2. Quoniam tanta eſt efficacitas in gratiâ, ut ne deſperas, quidquid te in contrarium vides inclinaum. Vide in tot exemplis quàm victrix fuerit gratia. Verum ne putes gratiam ſolam agere, tuus conſenſus requiritur. Itaque Apoſtolus, *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quælibet gratia inefficax eſt ſi velis: omnis autem habebit effectum ſi volueris.

Verùm, dices: Si Deus daret gratiam efficacem agerem, ſed ſi dat inefficacem, quomodo poſſum agere? *Ita* ſanè: prætendis occaſionem & excuſationem negligentiæ tuæ; ſed falſo velo. Nam ut tecum diſputem: Quid mihi vocas gratiam efficacem, quid gratiam inefficacem? Illam ais efficacem, cum qua non poſſum non agere; inefficacem autem, cum qua agere non poſſum. Peſſimè dixiſti: Nulla enim eſt gratia quæcunque tàm efficax, quam non poſſis abjicere ſi velis, uti docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. quippe qui illam abjicere poteſt, alioqui gratia tolleret liberum arbitrium: Nulla item gratia eſt ex ſua natura, aut ex intentione Dei inefficax, ſed ex ſolo hominis vitio: Non ex ſua natura, quia omnis eſt potens efficere in homine conſenſum, niſi ipſe reſiſtat: Non ex Dei intentione, quaſi ipſe talem gratiam det, quia ſcit non habituram effectum, vel ne habeat ſuum effectum; nam nec Deus ſyncerè ageret, qui ſic vocaret ut intenderet ne veniret; ipſe, quidum vocat, ſic vocat ut velit vocatos venire. Aliud eſt dare ipſum gratias, quas ſcit non profuturas: aliud eas dare, quia ſcit non profuturas. Primum poteſt, quia non tenetur ob malam hominis futuram voluntatem rerum ordinem immutare: Sed non facit ſecundum, quia non dat gratiam niſi ut homines ei conſentiant; unde ſincerè vocat ut obediant, & dolet quod non obediant, quæ ſunt incompoſſibilia cum ea voluntate, ne obediant, vel quia non ſunt obedituri. Melius ergo gratiam dixeris efficacem, eam quæ eſt habitura effectum: inefficacem quæ non eſt habitura: quô ſuppoſitô, nulla tibi ſupereſt excuſatio: Nam quæ eſt habitura effectum, non eſt habitura niſi per te, ſed per gratiam potentem: nam ſi nolles, non haberet effectum, quantumcunque magna ſit, & potens: ſiquidem ut te potentem facit, non tamen neceſſitate adactum, & libertate carentem: quæ autem non eſt habitura effectum, non per ſe eſt non habitura, immò habere debuerat, & ad hoc data fuit, ut haberet, ſed non habebit tuo vitio, quia uoles: nolitionis autem tuæ nulla alia cauſa eſt præter te, qui tuo damno tua uteris libertate, non ad volendum, ad quod impellebat gratia, ſed ad nolendum, quod tua malitia perfecit. Nulla itaque gratia niſi per te eſt inefficax: omnis autem gratia per te, ſed gratia adiutum poteſt eſſe efficax, quæ habebit effectum. *Hortamur itaque vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Alioqui ſi velis, nolis, habitura eſt effectum, inutilis eſt Apoſtoli adhortatio, ne in vacuum recipiatur. Sed proh Deus immortalis! non moribus ſolum, ſed etiam doctrina contra ipſam gratiam pugnamus. Hoc tamen differt inter efficacem gratiam & inefficacem, quod hæc à nobis ſolum fiat inefficax: quæ autem eſt efficax, non à nobis, niſi per ipſam.

Tertium ſupereſt, ut quoniam ferè omnis gratiæ victoria ſit per eius ſuavitatẽ, uti Proſper interpretatur illud Pſal. 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*, cumque gratiæ ſuavitas conſiſtat in convenientia, enitendum nobis eſſe, ut eas in corde diſpoſitiones habeamus, quæ cum Dei gratia convenientiam aliquam habere poſſint. Sunt enim aliqui adeò perverſi, ut ferè nulla parte adiri poſſint: ut ille, de quô Pſalm. 35. *Adſtitit*

Digitized by Google

tit omni via non bona, malitiam autem non odivit. Vide tu, ne dominetur in te peccatum. Scio tamen Deum omnia poſſe per gratiam. Proinde ſæpe ora cum Eccleſia: & noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates, *&c.*

FERIA QVINTA.

DOMINICÆ PASSIONIS.

CONCIO SECUNDA.

DE CONVERSIONE MAGDALENÆ.

Judicium Chriſti in causâ Magdalenæ prolatum, quô *fortis armatus* ab eâ ejicitur, & *fortior ſuperveniens* eam occupat.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Lucæ 7.

JUcunda eſt ſed vera cogitatio S. Joannis Chryſoſtomi in titulum Pſalmi 50. Sicut pictores coloribus ſuis ac penicillo ponunt ob oculos quicquid in rerum natura exiſtit, terras, & maria, campos, montes, flumina & rivos, plantas, arbores, animalia, homines eorumque actiones bella, certamina, cædes, victorias, uno verbo, quæcunque intueri hocce in mundo noſtri oculi poſſunt, eôdem modô Scripturas virtutis atque vitii pictores quodammodo eſſe. Nam ipſæ Sermonis penicillo peccatorem juſtum, pœnitentem, ſtantem, cadentem, reſurgentem, vacillantem pingunt: Et quemadmodum pictores Barbaros & cædes efficiunt: ſic etiam ipſæ peccatum inducunt, nunc impetum faciens, nunc victum ac proſtratum; Dæmoneſque rurſus, nunc bellum inferentes, nunc bello laceſſitos atque profligatos: Quoniam igitur ipſis eſt ea ars, ſummo ſtudio eam cognoſcamus: Nam pictorum quidem tabulas, ſi cum voluptate, tamen ſine fructu intuemur: Quid enim refero ex Regis aut Imperatoris imaginis aſpectu, ego qui neque Rex fieri volo, nec poſſum? Quid iuvat hominem divitē aſpexiſſe, cum eo aſpectu fortunam meam nō commutem; immò ſi pauper ſum, invideo: ſi dives, aliorum invidia premor? At ſi peccatorem qui lapſus ſit, ac poſteà ſurrexerit, intueor huiuſmodi ſpectaculum doctrinæ argumentum mihi exiſtit: eodem modo ſi virum iuſtum ſtantem videro, huiuſmodi exemplar me

me ad virtutē rectà ducit: ex hoc enim ſpectaculo pugnandi ac vincendi rationem addiſco: rurſus ſi probum virum cecidiſſe videro, hinc ego cautior exiſtam. Hæc à me ideò prolata ſunt ob hodiernum Evangelium: ubi mirabilis Magdalenæ converſio deſcribitur: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix* Hæc eſt Imago: hoc enim Evangelium imaginem voco: Siquidem varias perſonas in eo conſpicio: nimirum peccatum accedens & obtruncatū: pœnitentiam aſtantem, ac Deo ſuppetias ferentem: miſericordiam deſuper lucentem, humilitatem multos lacrymarum fontes, à confeſſione promanantes habentem. Sed quia aſpicere non ſufficit, niſi etiam intelligamus, auxilium petamus à cœlo & lucem, Ave Maria.

JUdæi veteres denominavêre tribunalia ſua domum judicii: quorum cùm triplex genus haberent, ſicut notavit doctus Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, unum vocabant domum Judicii trium virorum, ubi minoris momenti cauſæ dijudicabantur: alterum domum Judicii 23. virorum, aut Synedrium parvum, ubi agebantur cauſæ maioris momenti, uti de vita morteque reorum. 3. Domum Judicii 72. virorum, velut ait Maldonatus, unius & 70 quod magnum Synedrium appellabatur, vel magnum Concilium, ubi mentio tantum fiebat negotiorum maximi momenti ad communem Status rationem pertinentium. Secundum hanc loquendi formam appellare poſſumus domum Simonis Phariſæi, Judicii domum: eum in ea hodie agantur decidanturque cauſæ complures cuiuſcunque conditionis, in converſione Mariæ Magdalenæ, celeberrimæ peccatricis, pœnitentiſque magni nominis: quæ perdita erat funditus, niſi prioribus iam annis perdita fuiſſet: cuius peccata etiam optabilia videntur: ſi tamen ita loqui expedit: quòd purgata & abſterſa fuerint tot lacrymis: quæ ad exemplum erit peccatoribus, ad ſpeculum pœnitentibus, ad fidēc ā meticuloſis, ad ſecuritatem deſperatis, & quam omnia mirabuntur ſæcula, tanquam prodigium miraculumque bonitatis ac miſericordiæ Dei. Iſa. 21. *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.* Opus hîc diebus integris haberem, ad explicandum vobis uti oportet, mirabilia prodigioſaque iudicia, quæ univerſa in illius gratiam pronuntiata ſunt, eius ore cui authoritas omnis iudicandi à Patre ſuo data eſt: *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio*: At quoniam hora una ſpatium valdè anguſtum & breve eſt ad argumenta uſque adeò prolixa, me contraham ad unicum, reliqua ſuſpicionibus veſtris committens: maiorem ſiquidem habetis fidem ei qui hiſce iudiciis præſidet, quàm ut dubitare poſſitis de ipſius integritate, quoniam *Iudicia* eius *vera iuſtificata in ſemetipſa.*

Hocce Iudicium eſt illud de quo ipſe loquitur apud Ioan. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras.* Iudicium in bonam & malam partem ſumitur: Dicitur enim Ier. 48. Iudicium Moab, id eſt condemnatio: & contrà Ezech. 30. dicitur iudicium viduæ & pauperis: & Iſaiæ 1. *Iudicate pupillo, defendite viduam.* Iudicium itaque eſt liberatio mundi à ſervitute Dæmonis: fitque cùm *Princeps huius mundi ejicitur foras.* Ad noſtrum ergò propoſitum.

Veniat in mentem eius parabolæ quæ eſt apud Luc. cap. 11. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eò ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet*: Ecce parabola: explicationem audite.

Et ecce Mulier quæ erat in civitate peccatrix. Diabolus diuturnitate temporis invaſerat & occuparat variis fraudibus, artificiiſque ac dolis,

Digitized by Google

lis, animam & corpus Mariæ Magdalenæ. Et eccce occaſiones poſſeſſionis:

1. Ejus libertas quòd ſui iuris fuiſſet, cùm Patre & Matre careret, neque ſororem natu majorem ſequeretur, nec Lazarum audiret, rei domeſticæ intentos, ſed per domos diſcurreret ac vagaretur. Infœlix libertas quæ ſæpe affert ſervitutem:

2. Ejus nimius cultus in veſtibus & ornatu: eſt enim fœmineum genus φιλόκοσμον ait Hieron. Epiſt. 12. Unde vanitas in eâ, & nimia ſui complacentia; cùm ſe pulchram videret.

3. Deſiderium placendi: quod nunquam poteſt eſſe innoxium: nam ut ait Tertull. lib. de Cultu fœmin. cap. 2. Non de integrâ conſcientiâ venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus: hinc vident ut videantur, unde tam multa incommoda; nam ſi placere voluit, placuit: hinc nimia curioſitas; mollis otioſitas; religionis neglectus, & virtutum contemptus: omne ſtudium eſt videre & videri, adire, & adiri, *&c.* Idem lib. de velandis Virginibus cap. 4. Eiuſdem libidinis eſt videri & videre: Invicem ſe eadē oculorum genera deſiderant.

4. Amari voluiſſe, & quod ferè ſequi ſolet amatam fuiſſe: Hinc enim in ea ut & in omnibus quæ eadem cupiditate tenentur, mala innumera in aſpectibus, in colloquiis, in muneribus, in amoris teſtimoniis, in oſculis, in tactibus & in aliis quæ S. Hieronymus vocat petituræ virginitatis argumenta. Quid non Lazarus, quid non Martha conati ſunt ut eam averterent? Quid non monuerunt, quid non deprecati ſunt? Negavit illa ſe eo genere & ea conditione natam ab illis abſtinere velle: ſe hominum ſermones minimè curare, cùm innocentiſſimi quique calumniis impetantur: ſibi teſtem eſſe conſcientiam quòd nihil ſe indignum moliretur, & ita ſe nihil timere.

Ex his igitur initiis Dæmon puellam jam omni ope deſtitutam majoribus machinis aggreditur, atque ita obſidet ut in ſummum barathrum demerſerit. Nam primo lapſu fit audacior; deinde impudentior; poſteà naufragium ſimul facit & pudoris & pudicitiæ; uſque eò ut abjecta omni reverentia ſeſe paſſim proſtituendam obtulerit: quòd verbis illis Evangeliſta ſignificat: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*; quæ vox uſu antiquorum famoſam meretricem ſignificat: quod & modò Chryſologus innuit ſic loquendo ſerm. 95. non peccatrix ſolùm, ſed totius civitatis facta fuerat ipſa peccatum.

Hinc originem habuit invaſio ipſius à Dæmone: nam ut eſt Spiritus immundus, ejuſmodi domicilio delectatur. Porrò non unus, aut alter eâm invaſere, ſed, ut ait S. Marcus, ſeptem Dæmones in ejus corpus ſunt ingreſſi. Quid verò non egêre in illâ, quid non per illam: Quot iuvenum & virorum animos impio amore aduſsêre: Unus os eius occupatat, & per eam loquebatur: alius ſedebat in oculis, alius in capillis: hic in vultu, alter in lingua: ille in ſinu, alter in manibus: ſeptimus in pectore atque innumeras, & ipſa accendebant flammas, & extra ipſam in obvios quoſque jaciebant. Ipſa verò quid non interim patiebatur in animo & in corpore ab illo immani Tyranno, qui quotidie novis ejus peccatis invaleſcebat: *Cuſtodiebat* nimirum *atrium ſuū fortis armatus*, atque *in pace erant omnia quæ poſſidebat.* Poſſidet nempe atrium ſuum, licet ſit tantum tyrannus, & uſurpator; poſſidet, inquam, ut qui aſſuetudine ſervitutis, fit Dominus: ibi itaque cuſtodias agit, ne expellatur; intellectum tenebris, & erroribus involvit; voluntatem amore ſui ipſius & cōmodorum, intercluſiam tenet, ut & variis affectibus, & peccatis; carnem paſſionibus, & deliciis impedit obſtringitque; totam denique animam immò & totum corpus, mala conſuetudine adeò tenaciter occupat, ut omninò non poſſit expelli, niſi fortior, qui unus eſt Deus, potentiſſima ſua gratia ſuperveniat.

Sed *nunc eſt judicium mundi, nunc Princeps hujus mundi*

mundi ejicietur foras: Chriſtus enī verus rex animarum qui eas liberaturus venerat, hanc Babylonem, ſibi tamen dilectam, poſuit in miraculum converſionis, & liberationis. Sed antequam ordinem judicij videamus, Hic te quæſo, ô peccator, velut in ſpeculo, intuere.

1. Miſerabilē ſtatum tuum, & quo ordine agaris in præcipitia, ſeu in malorum extremum. Ordo eſt per minora; & paulatim progreſſus ad maiora. Initio fiunt omnia, quæ licent; poſtea quæ nec expediunt, neque ædificant; deinde quæ non licent; denique immaniſſima, & turpiſſima.

2. In quem ſtatum deveniatur per conſuetudinem: ut etiam maxima peccata vileſcant, omni timore abiecto.

3. Tyrannidem Dæmonis, qui fit Dominus animæ & corporis.

4. Quæ ſit illa cuſtodia quā adhibet, ut in pace ſint omnia quæ poſſidet, & nihil dominatum eius perturbet, cum eſt Dominus pacificus: quod toties monet Apoſtolus, & præſertim ad Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis eius*, nempe corporis, cui animam, peccatum ſubicjit.

5. Quantum ſibi carere debeant iuvenes & puellæ omnia irritamenta libidinis tum à ſe, tum ab aliis. Tu miſer incenderis illis oculis illo vultus colore, illis capillis, illa voce, illo inceſſu, in quibus Dæmon reſidet. Ille eſt qui hæc tibi deſideria immittit, illos ardores, illa incendia Quid mirum ſi decipiaris, ſi capiaris? Et illa non creduntur, ſed ſentiuntur. Quis unquam de Magdalena judicaſſet eam poſſeſſam à Dæmonibus? Eſt enim duplex poſſeſſio: Vna turbulentior, altera verò in ſpecie mitior, ſed longe exitioſior, qualis fuit poſſeſſio Magdalenæ. Et miramur ſæpe tam improbos eſſe, & cæcos amores? Sed nimirum Dæmon homines excæcat, ac dementat. Vnde non ita à vero aberrarunt veteres, qui poſt Socratem & Platonem, Amorem Dæmonium eſſe finxerunt, crudele, barbarum, immite, furioſum. Alioqui. vide unde ſit ut ſæpe formoſiſſimę mulieres ſed caſtæ, non ita urant ut procaces minus pulchræ, niſi quia Dæmon in quibuſdam reſidet, ut in domo ſua, ut in arce; unde faces libidinis immittit ac furoris? utrīq; videndo fœmina, &c.

Ad ordinem judicij redeamus: Cum audis iudicium ſtatim æquitatem judicas quæ obſervata eſt, & in te, & in modo: In te quidem, quoniam Dæmon non eſt verus animæ Dominus, ſed tyrannus, atque uſurpator, unde merito privatur uſurpato dominio: In modo etiam, quia uti ad invitum non ingreditur, ita neque ab invito expellitur, uti enim peccata liberè fiunt, ita libere debent expiari. Eo itaque modo Magdalenam adoritur Deus, ut volentem & amantem liberet, ac de libertate gaudentem.

1. Itaque fortior ſupervenis, atque fortem invadit,

Supervenire ſignificat 1. inopinatum adventum cum eſſet hoſtis magis ſecurus & cuſtodiret atrium ſuum: 2. determinatam voluntatem ſuccurrendi: 3. aggreſſionem, quæ facta eſt per imperiū cum exprobratione, & per increpationem, qua Chriſtus ſolitus eſt uti cum Dæmones expelleret. Ille itaq; fortior Chriſtus eſt: fortior certè non ſolum ut Deus, ſed etiam ut homo, propter unionem humanitatis cum Deo. De illo enim ſingulariter dixit Iſa. cap. 7. *Et vocabitur nomen eius fortis*; & David Pſal. 23. *Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in prælio.* Et præcurſor Ioannes Baptiſta Matth. *Fortior me eſt*. Ille autem *ſupervenit*, quod non opinantem adverſarium, & ſua præda ſecurum aggreſſus eſt nempe cum atrium cuſtodiret, hoc eſt, cum, obſeſſam ad ignorationem ſui ſtatus reduxiſſet, ablato omni lumine notitiæ & ſui ipſius, & Dei, quidem venit tunc derepente, animam ſubita luce illuſtrando, &c. Deinde *ſupervenit*, ſuccurrendo miſeræ & cum plena voluntate eam libe-

Digitized by Google

ipſum liberari non poſſe, ſed egere alterius potentioris auxilio: ille autem potentior, nec alius homo eſſe poteſt; nec Angelus: oportet ergo ut ſit Deus: eo enim per peccata venitur, ut nemo ſuccurrere poſſit, niſi ſingulariter Deus miſereatur: & ita Chriſtus peculiari amore Magdalenæ motus eius liberationem aggreditur. Demum *Supervenit* eam potentiſſimè liberando & cum ſuma authoritate, ut qui eſſet verus & legitimus Dominus atrii, quin & ipſius tyranni invaſoris: expellit enim illum per increpationem, & per imperium dicendo ei, ſicut dicebat Michaël Archangelus Dæmoni in Epiſtolà Iudæ. *Imperet tibi Deus.*

2. Fortem alligat: quomodo enim diriperet domum eius, niſi prius ligaſſet: ligat autem (inquit Auguſtinus) dum vel impedit ut tenet, vel dum mitigat eius tentationes, ut nimirum non impediat inſpirationem ac vocationem divinam juxta illud Iobi cap. 40. *Qui fecit eum applicabit gladium eius*; Enimverò niſi Deus cohiberet inimicum, eos motus in animis excitaret ut tota mens perturbaretur: uti quotidie videmus eos qui Concionibus interſunt, minimè tamen moveri ijs quæ dicuntur, propter motus quos ille excitat. Hinc factum ut cum Magdalena mitius tractaretur, perſuaderi ſibi paſſa ſit ut Chriſtum concionantem audiret (nam uti advertit S. Gregorius, in Contione à Chriſto permota eſt, atque impulſa ad pœnitentiam.) Sed id accidit quod Chriſtus eam abſentem gratia ſua ſollicitarit, ac prævenirit; alioquin ad eum audiendum non veniſſet. Itaque & Magdalenæ ſupervenit, & Dæmoni, iſti ut fortiorem ligaret, illi, ut miſeræ ſuccurreret: prius enim ut dico iterum, Chriſtus ad eam inſpiratione acceſſit ut veniret, quàm veniret ipſa, ut audiret: quod & ait Gregor. Homil. 33. & his verbis: Quid miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? dicam, an trahentem? Sed melius dicam trahentem & ſuſcipientem, quia nimirum ipſe per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris.

3. Itaque ligato Dæmone Chriſtus animæ domum aggreditur ſagittis & miſſilibus inſpirationum, quibus totam concutit, ut eam aliqua tandem ratione ingrediatur.

1. Igitur adoritur intellectum, erroribus, & teneribus obſeſſum & variis impetit illuſtrationibus, quæ illum illuminant inſtar fulgurum; aperiendo interiores ipſius oculos, ut ei pateſaciat, quod non aſpiciebat antea, declaret quod hactenus ignoraverat, aut non animadverterat, demanſtrando id ipſi alio quam ſolebat modo, præbendo illi lucem ac ſenſum interiorem veritatum quas percipit, aut quæ ſubito in eius memoria naſcuntur, quodquidem fit tanta vi atque vehementia, ut cor intremiſcat, & quaſi loco ſuo dimoveatur, ut loquitur Iobus. Tunc verum eſt quod ait David Pſal. 76. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt & contremuit terra.* Quaſi dicat: oportet fulgetris hiſce detectas terræ fuiſſe res terribiles & formidabiles, quandoquidē terra inde comota eſt ac intremuit. Radii ad peccatorē vibrati, ſunt illuſtrationes Spiritus ſancti quibus ipſi aperit duas abyſſos, unam miſeriarum ſuarum, alteram miſericordiarum Dei.

Cum igitur verba Salvatoris ferirent aures, & animum Magdalenæ, immittebat eius in mentem mille lumina, & ſenſa; declarans ipſi 1. vitæ ſuæ deformitatem ſordium ſuarum & turpitudinis dedecus. 2. Peccati malitiam, offenſæque divinæ gravitatem. 3. Periculum in quo erat damnationis æternæ. 4. Vanitatem rerum omnium, brevitatem vitæ, certitudinem mortis, Dei Iudiciorum ſeveritatem, acerbitatem cruciatuum, æternitatis longitudinem: quorum ab conſpectu contremit, formidat, infremit, moveri incipit, &

eam adiuvare: nam imaginatio plurimum conſpectu cõtremit, formidat, infremit, moveri incipit, & loco mutari. Adverte porrò converſionem quamlibet inchorari timore, quia Deus aggreditur animam ſicut inimicã, neque amor unquam primus in animam introit niſi metu prægreſſo; quemadmodum S. Auguſtinus edocet uſque adeo ut ſi timor exiguus, eſt itidem exiguus amor futurus ſit, nullusque, ſi nullus eſt timor: nec enim amor ingreditur niſi per ianuam quam timor facit qui quidẽ ita ſanctus eſt ut Deus ſolus ſit illius author. Inde iudica an vitioſus ſit, quando quidem eum Deus in animam infundit.

Verum ut Magdalenam maiori ſuavitate ducat; eadem illuſtratio mille veritates æternas ei detegit prioribus blandiores; ponit ob oculos virtutum pulchritudinem, bonorum æternorum magnitudinem, Infinitam Maieſtatem Dei qui offenditur, beneficia quæ in ipſam contulit, eius in omni loco præſentiam providentiam quam habet in ſuos, patientiã peccãda, miſericordiã in perquirendã, in ipſa ex quãvis mereretur Inferos: Quib9 ab cogitatis, tremit ſtupore criminum quæ admiſit, pudore ſuffuſa quòd Creatorem pro creatura deſeruerit. Inde ſit ut cõſequenter ſtatuat perſequi cũ ſpiritu amoris quod inchoavit timore

Sed hoc lumen naturæ eſt igneæ, itaque non tantum illuminat, ſed calefacit: quare voluntatem incendit incredibili ſalutis ſuæ deſiderio; ſed tali impetu, ut nullas moras patiatur. Ita Magdalena non expectat Chriſtum in domum rediiſſe, ſed ut ait textus, *Vt cognovit quod Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrũ*: Nempe ſauciata erat amore; & ſicut cerva vel ad fontem, vel ad dictamnum cucurrit, ut vel ſolatium quæreret, vel remedium.

Poſt acquiſitas ſibi duas animi potentias, aggreditur duas inferiores carnis, ſcilicet imaginationem & ſenſualitatem, ſive appetitum, quibus fortis amartus valide utitur, & ubi ſolet munire ſe & recipere: Siquidem quod advertendum eſt, ob iſtarum occupationem dicitur, cuſtodire atrium ſuum ſeu propugnaculum: intrare enim in potentias ſuperiores nequit, ſed eas impugnat per inferiores; & illas cuſtodit dominatu quem ſumit in portas exteriores, quæ quidem ſunt ſenſus, qui nec aperiuntur nec clauduntur niſi ipſius conſenſu: quod ut melius intelligatur.

Nota 1 Cum ex D. Bernardo 5. de Conſid. cap. 5. nullus Spiritus ingredi animam poſſit præter Deum, animæ Dominum; Dæmonem partem animæ ſuperiorem, immediatè aggredi non poſſe. Sed tantum poſſe inferiores, imaginationem ſcilicet & appetitum, illas potentias commovendo per ſenſus externos, vel etiam ipſas immediatè. Itaque non niſi corporea, & temporalia proponit quorum capaces ſunt, & per eas deinde ſuperiores aggreditur, inficiendo, & aliciendo. Pingit igitur in imaginatione delectabilia: deinde varios motus incitat in appetitu, & concupiſcentia, quę potiſſimum eius atrium quod cuſtodit: (quare concupiſcentiam adorarunt Manichæi ut numen, & aliquid divinum eſſe crediderunt, ut ait Epiph. Hæreſi 66.) Illam nunc lætitia diducit, nunc triſtitia contriſtat: quæ ſunt virtutis, proponit ut aſpera ac difficilia; quæ ſunt vitii, repræſentat ut blanda, atque amabilia. Deus autem qui ſupremus eſt dominator domus, poteſt eam aggredi, & invadere per univerſas partes, ingrediens nonnumquam per exteriores ſenſus; inferenſque moleſtias & terrores, quibus deprimuntur paſſiones, ut intellectus & voluntas quietiores fiant, ad cernendum & diligendum quod convenientibus eſt ſaluti aliunde inchoans aliquando per ſuperiores potentias, quibus devictis, areſcunt vitia, debilitantur paſſiones, carnis furiæ contabeſcunt.

Nota. 2. Potentias inferiores, uti virtutem multum impediunt, ita etiam plurimum

eam

commovet appetitum, & iſte illam ſequitur, utramque autem intellectus & voluntas, unde Philo tribuit concupiſcentiæ ὁλκὸν δύναμιν vim attractivam: ut & quæ cæteras potentias ad ſe trahit: & Ariſtoteles mentem ei componens ait, ὁ μὲν νῦς λέγει, ἡ δ' ἄγει, mens dictat, hæc agit. Ac licet contra imaginationem, atque appetitum ferri poſſint ſuperiores facultates, tunc tamen & virtus eſt difficilis, & nondum perfecta: nam ut ait Auguſtinus, quod nobis reſiſtit in nobis, nondum ſanatum eſt in nobis. Cum itaque in totum ſananda foret Magdalena, Chriſtus eam in omnibus potentiis inferioribus & ſuperioribus aggreſſus eſt. Itaque mirabili illa modeſtia, & majeſtate plena fulgore, quæ ex eius vultu emicabat, primo peccatricis oculos, deinde imaginationem, poſtremo mentem percutit: Ille, qui ut ait Chryſoſt. eſt verè ſpecioſus præ filiis hominum, neque ſolum ſpecioſus, ſed & ſpecioſorum amator: de quo ait Propheta, *Dedi tibi illi quaſi adamantem*, ut ſicut ait Richard. Victor. Tract. de Charit. cap. 7. ferrea quoque attrahere poſſit in funiculis charitatis. Cum igitur ab iſta muliere in ſua maieſtate aſpiceretur, tanta ſtatim honeſtatis & modeſtiæ forma in imaginatione aſpicientis impreſſa eſt, ut vel momento caſtitatem & honeſtatem dilexerit. Tum ipſe Chriſtus ſuis ſermonibus de vitio & virtute, de caſtitate & modeſtia eas in eandem eius imaginationē formas induxit, veteres delēdo ut jam res omnes aliter cerneret, aliter guſtaret in appetitu. Nam & Chriſtus dicere ſolebat, quod ex Evangelio Ægyptiorum refert Clemens Alexand. 3. Strom. Veni ad diſſolvendum opera fœminæ, id eſt, cupiditatis & concupiſcentiæ. Sed cum de Iudicio, & de pœnis inferni cœpit diſſerere, quos terrores illa tum concepit quàm vehementer concuſſa eſt! In ſeipſa inferos intuebatur, & illa tormenta ſic erant illi præſentia, ac ſi ipſa ſentiret. Quis referat quos dederit gemitus, quos ſingultus, quas lachrymas: quàm illi priora omnia viluerunt, quam ridiculæ vanitates, quam turpes deliciæ, quam infames amores? Itaque ſimul omnes eius potentias perculit, ſuperiores, atque inferiores: nec tantum ab eius corpore, ſed etiam ab animo multos expulit dæmones, à quibus liberata, tam citò ſe ſenſit mutatam, ut mirum in modum obſtupeſceret, nec minus ſcilicet quam quibus ſublatæ ſunt præſtigiæ, & incantationes: qua obtenta victoria facile fuit Chriſto cætera peragere. Sed antequam pergam reliqua parabolæ verba perſequi.

Collige 1. Diſcrimē inſpirationis Divinæ & ſuggeſtionis diabolicæ: utraq. enim excæcat, utraque oculos reddit, ſed diverſo modo: Divina ſiquidem oſtendit res omnes ſub ſua ſpecie & forma, æterna ut æterna, peritura ut peritura, honeſta ut turpia: Diabolica vero ſub alienâ & contraria ſpecie, per faſcinationem & deceptionem.

Collige 2. Eſſe facile Deo, quod putas impoſſibile, ut alio ſis iudicio & guſtu, quam es circa rerum omnium judicia & amores. Nam ſi ſemel Deus animum tuum poſſederit, & totam mentem tuam, ſi ſemel impleverit tuas potentias, continuò quæ tu tanti facis, illa tibi viliſſima videbuntur: verbi gratia, omnis mundi pompa, omnia artificia, faſtus omnes, cura corporis, eiuſque ornatus, & ſexcenta quæ nunc magni facis, tibi tàm indecora & adeo ridicula videbuntur, ut mireris te potuiſſe aliquando illis rebus adhæreſcere: & è contrario, quæ nunc averſaris, qualia ſunt ſolitudo, modeſtia, & aliæ virtutes, immo mortificatio, tibi adeo jucundæ videbuntur, ut mireris te hactenus illis animum non dedere potuiſſe. Nunc carnis voluptas blanda tibi videtur: ſed ſi Deus ſpecies tuas commutaret, ita hor-

-reres, ita te puderet, ut ferre non poſſes. Certè ſicut homines mundani quæ apud Religioſos fiunt, irrident; ita viciſſim homines pii, quæ in mundo ſunt, planè abhorrent, ac deteſtantur. Utrumque Paulus paucis verbis complexus eſt, *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Sed tamen hoc inter utroſque eſt diſcrimen, ut quia quæ mundus oſtendit fucata ſunt, & mendacia, illa non poſſint eſſe diuturna; itaque aliquando perſona tollatur, & auferantur præſtigiæ; unde in morte ſanum eſt rerum omnium judicium: quæ verò Chriſtus oſtendit, illa vera ſint, & ideò ſemper eodem modo videantur. Sed ad parabolæ verba redeamus.

4. Itaque poſt ingreſſum in domum Fortis, *Univerſa arma ejus* Fortior *auferet, in quibus* Fortis *confidebat*, & quibus fortior erat: Nam ſi per ſeipſum dæmon fortis timendus eſt, certè multò magis armatus timendus eſt: Dæmonem autem propter poteſtatem, fortem eſſe teſtantur omnes Scripturæ: ut enim ait Iobus, *Non eſt fortitudo quæ comparetur ei.* Porrò ejuſmodi arma quadruplicis ſunt generis, uti Patres docent.

1. Res omnes temporales: Sicut enim advertit Baſil. homil. quòd non ſimus affixi rebus temporalibus; ſimilis eſt Dæmon latronibus viarum, qui ſe ſub arboribus abſcondunt, ne videantur à viatoribus, priuſquàm in iſtos invadant; ita quippe ſeſe Dæmon occultat ſub ſpecie bonorum ſæculi donec in incautum & nihil tale cogitantem derepentè involet. Nemo enim conſentiret dæmoni tentanti, ſi per ſeipſum accederet: appetitus ſiquidem tentati refugeret, & abhorreret; ſed accedit tentator proponendo delectabilia, utilia & apparentia bona, ut ad verè malum, hoc eſt peccatum attrahat: aut deterrendo ſub ſpecie apparentium malorum, ut retrahat à verò bono: ſicque tentat tanquam latro: aut denique per aliqua, quæ in creatura ſunt bona, in errorem inducendo: ſic enim perſuaſit multis creaturas eſſe deos: propter quod dictæ ſunt à Salomone Sapient. 14. *Odium facta, & in tentationem animabus hominum & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

2. Pravæ noſtræ affectiones ſunt arma dæmonis: etenim noſtris concupiſcentiis, affectibus, & diſſidiis abutitur; ſub iis ſe abſcondit, ea contra nos excitat, & in perniciē trahit.

3. Etiam vitia noſtra & peccata arma ipſius ſunt: nam per unum vitium trahit ad multa. Mirum eſt quanta mala in homine per ambitionem, & avaritiam operetur.

4. Membra corporis noſtri arma ipſius ſunt: de quibus dicit Apoſtolus ad Rom. 6. *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Et his omnibus confiſus cuſtodiebat atrium ſuum in Magdalena. 1. Etenim ipſi arma fuerunt contra ipſam opes honor, deliciæ, tot amatores, tam multis jurata fides, juventus, nobilitas, pulchritudo, libertas. 2. Arma fuere, illa incredibilis vanitas, amor pulchritudinis, amandi & videndi ſe amatam cupiditas & inſania, delectatio corporis, vita ſuavis, atque jucunda: arma fuere omnes illius paſſiones, amor, timor, ſpes, lætitia, deſperatio, audacia? 3. Arma fuere peccata ipſius, vetus conſuetudo; Ille cultus vanitatis & pulchritudinis: hinc enim oportuit & amare, & amari: 4. Arma ejus omnia membra: oculi, vultus, ſtatura, color, gratia, lepos, inceſſus, veſtiendi ratio. eloquentia, prona ad amandum mens, animus officioſus, *&c.*

Sed Chriſtus hæc omnia arma abſtulit, & in ſuum uſum convertit.

Nam 1. Dæmon ſe deinceps ei occultare non potuit ſub vanâ ſpecie, cui Deus veritatem rerum indicavit, & cæcitatem abſtulit:

Non ei 2. nocere potuerunt paſſiones, quas omnes ad ſe convertit; nempe amorem, timorem, ſpem, triſtitiam, lætitiam, *&c.*

Non 3. Peccata & vitia ei potuerunt eſſe

damno

Digitized by Google

damno, quam tam facile ſanctificavit. *Remittantur tibi peccata tua.* Item *Vade in pace*

Non 4. corporis membra: etenim jam aliis fuit oculis, aliis ſenibus alio corpore: itaq; alio modo cernebat, alio modo tangebat alio modo lachrymabatur, alio modo capillos ſpargebat; & ſic omnibus armis ſuis dæmon ſpoliatus eſt; quia & omnia in Chriſti arma converſa ſunt. Sed ad parabolam.

5. loco, igitur vaſa fortis diripit Marc. 3. expilat domum, inſtrumenta eius bellica, præſidiarios milites, propugnacula, armamentarium, aparatum annonæ, omniaqne occupat. Vaſorum enim nomine, vel intelliguntur ij quibus dæmon uſus eſt ad alios perdendos, vel domus ipſius ſuppellex: Itaque paſſim, cum quidam homines peſſimi inſerviant dæmoni ad regnum eius promovendum, dicuntur eius vaſa, ut qui alios propoſitis falſis dogmatibus deceperunt. Tales fuêre Philoſophi ſeminatis variis erroribus: tales iniqui & impij Principes, per quos propagata idololatria: tales Schiſmatū errores, qui omnes vaſa dæmonis, & vaſa iniquitatis dicuntur, quo ſenſu etiam fuêre Hereſiarchæ, & Geneſ. 29. vocantur Levi & Simeon vaſa iniquitatis, quoniam authores fuerunt cædis Sichimitarum: ut è contra Paulus dicitur vas Electionis quia per ipſum inumeri erant convertenti. Eodem modo Chryſoſt. hæc vaſa interpretatur inferiores dæmones qui Principi Dæmoniorū ſerviunt, nocendo hominibus. Hæc autem Chriſtus diripuit, quia & dæmones inferiores expulit à corporibus, & ab animis; & homines ad ſe traduxit, & ad ſuas partes: Ita Idolorum Sacerdotes converſi, & errorum magiſtri. Ita ad fidem adducti ſunt Principes atque Reges per quos deinde fidem auxit in populis, quos eorum exemplo atque authoritate permovit.

Sed ratione Magdalenæ per vaſa intelligo ea quibus & ſibi & aliis paraverat ruinam; hoc eſt ea quibus concupiſcentiam accenderat: Quam multos enim ſua dementarat pulchritudine, quam Nazian. appellat dulcem illecebram, charum venenum: Quam multos oculis vulnerat! oculis quos Nonnius Poëta appellat, Præcones tacitos Chryſoſt. adulterii conciliatores. Tertull. invitatores libidinis. Quam multos ſuis capillis irretierat quaſi retibus! Quam multos oſculis faſcinaverat ut carminibus ac incantationibus! Quam multos odoribus, uti Panthera, feras attraxerat! Sed nimirum *univerſa eius vaſa auferet in quibus confidebat.* Nam ut ait Apoſtolus ad Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire iuſtitiæ in ſanctificationem*: quod mirabiliter præſtitit ea omnia in ſanctos uſus convertendo. Gregor. homil. 33. in Evangel. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot in ſe invenit holocauſta: convertit ad virtutum numerum criminū, ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Vnde vis initium ducam? Vndique poſſum, quoniam ſingula ſumma ſunt, & in ſingulis tanta mutatio, ut non ſtatum mutatum, ſed perſonam aliam diceres. Incipiamus ab oculis, quoniam ut in amore, ita etiam in exitio fuêre duces. Quid ait Evangeliſta? *Lachrymis cæpit rigare pedes eius.* Rectè incepit à lachrymis: Multum enim ad Deum flectendum fletus eſt efficax: norat Davidem lachrymis culpam adulterii & homicidii eluiſſe, & ſperabat ſe lachrymis ſordes ſuas poſſe eluere. Cyprianus ſer. de Cœna Domini. In huius præſentiā Domini non ſupervacaneè mendicant lachrymæ veniam, nec unquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam: Quoties te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum Sanctum non dubito ſpirantem: cum intueor flentem ſentio ignoſcentem. Nihil quidem

dem Magdalena dicit, ſufficit ei ſi loquatur oculis: Nam & pulchrè dixit Auguſtinus ſerm. 226. ſufficit auribus Dei, imber oculorum: fletus citius audit, quàm voces. Nec mirùm quòd à lachrymis inciperet: cùm enim ſe ſordidam agnoſceret, ut ait Cypr. fletibus ſe abluit, & lach ymis ſe baptizat. Sed quô nomine oculos ejus appellem? An rivos, an fontes, an nubes, an hæc omnia? Quis enim plures unquam vidit lachrymas, quis fletus uberiores, qui ſatis fuerint Chriſti pedibus abluendis? hic mihi vos liceat appellare oculi, olim tàm procaces, nunc tam caſti. Quam malè nuper arſiſtis, quàm malè undique flammas ejeciſtis? At qualis mutatio! Unde tot olim ignes, tot flammæ, tot incendia, nunc tot fletus, tot aquæ. Vide ſi plurimas eſſe oportuit: ut tot & tantæ ſordes vitæ præteritæ abluerentur; ut tot adulteria lavarentur; tot ut proprios ignes & alienos extinguerent; tot ut inferorum flammæ extinguerentur: Jer. 9. *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei*: Quot hominum caſus & ruinam deflere debuit, quos ipſa perdidit? Et ſi oculi ſua tantum facta deflerent, quandò ſatis eſſet lachrymarum? Sed nimirum ut ait S. Gregor. Conſideravit quod fecit, & noluit moderari quid faceret. Quàm olim falſas & vanas lachrymas fuderat; nunc autem autem quàm veras, quàm juſtas, quàm calidas! Olim populus mare tranſiens in Moyſe baptizatus eſt & in nube: Illa ſibi eſt mare, ſibi eſt nubes in qua baptizatur. *Venit Ioannes baptizans*, &c. *prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Illa in ſuis lachrymis baptiſmum invenit pœnitentiæ. Cyprianus: fletibus ſe abluit, lachrymis ſe baptizat. Promiſit Michæas cap. 7. quod Deus *projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*; Illa exiſtimavit ab oculis ſuis mare illud fluere debere: juxta illud Jerem. *Magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Cyprianus: Vſa capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro Baptiſmo.

Sed vide reliquum pœnitentis apparatum, ubi omnia vanitatis inſtrumenta, non ad tēpus, ſed in perpetuum abjecit. Pergit Evangeliſta. *Et capillis capitis ſui tergebat*: Capillos ſuos quos olim tanto ſtudio compoſuerat, mira indignatione primum turbavit, tum ſparſit: non illa affectata negligentia, ſed ſumma pœnitentia. Vide autem in quem uſum: Cùm enim pedes Salvatoris diutiùs lachrymis ſuis abluiſſet, quaſi potiùs inquinaſſet quàm laviſſet, capillis ſuis cœpit tergere, & exſiccare. Vſum capillorum plane inauditum: Capilli ad pedes; & ad pedes tergendos & exſiccandos; & quod omnem admirationem ſuperat, Magdalenæ capilli ad pedes Chriſti: Quæ mutatio? quos tanti fecerat, vide quomodo abjiciat. Nimirum ſervierant illi vanitati, nunc autem obſequio: In illis olim tanta diligentia, tanta cura, tantus cultus; nunc autem ſumma negligentia, ac deſpicientia, quaſi nihil vilius haberet. Quàm multos olim decepiſtis, quàm multos cepiſtis, atque irretiſtis? Quàm nunc juſtè puniuntur: Sed iterum qualem uſum capillorum; Illos natura mulieri dedit ad honorem, & in capitis naturale velamen: Sed quid faciat Magdalena quæ per illos omnem honorem perdidit? *Turpe eſt* ait Apoſtolus *fœminam ſine capillis eſſe*: Sed quam turpitudinem vereatur Magdalena, quæ in vita ſic turpis fuit. Olim rete fuiſtis ad animas capiendas, ſed nunquid aliquando piſcem majorem cepiſtis: ſi quidem Tertullian. Chriſtum ἰχθὸν appellat poſt Sibyllam: Quidam Lucilius nomine, in Græco Epigram-

Digitized by Google

grammate, ſalvus poſt naufragium crines ſuos obtulit Neptuno; ſubdens, aliud namque habet ille nihil: Poſt tanta naufragia pudoris, quid aliud offerret miſera? Sanè Sponſus Cant. 4. ait ſe vulneratum in uno crine colli Sponſæ: Quidni vulneret quæ de capillis chordam arcus fecit quo Sponſum vulneraret? Sed 3. qualem uſum capillorum? Sic illos ſparſit ut luctum oſtendat: hic enim eſt lugentium habitus, hic mos flentium: Sed quis major luctus Magdalenæ luctu: Ita ſparſit, ut credas furere: Vide enim mulierem incenſo vultu, ſparſis capillis, oculis dejectis & madentibus, toto corpore & totâ facie ardorem furoremque ſpirantem: diceres Mænadem eſſe ac furore Bacchico percitam, ſic amor & dolor eam abripuere. Vide amorem in dolore. Etenim affixa pedibus Chriſti eos oſculari non ceſſat: ô labia: ô oſcula ô pedes: Sic nimirum caſtis oſculis, impudica quondam oſcula caſtigat. Chryſol. ſermon, 93. præceſſerant intervenientes lachrymæ, ut oſcula devota ſequerentur, quia lachrymæ ſatisfactionis ſunt documentum, oſcula ſunt reconciliationis indicia.

Et quoniam ut ne aliquid vanitati deeſſet, vultum unguentis corruperat, & capillos perfuderat, ne ſuarum rerum quàm ſuiipſius videretur tenacior, quod habebat unguentum pretioſiſſimum, illud non jam in caput, uti moris erat, ſed in pedes, quod faciebant tantum delicatiſſimi, effudit, multa in uno facto ſignificans. Olim Chriſtiani divitias attulerunt ad pedes Apoſtolorum: Iſta vanitatem & delicias in unguento; omnia bona in capillis, amorem in oſculis, cor ſuum, omnia deſideria; mentem, & intellectum in oculis. Sed cur omnia ad pedes, unguentum, oſcula, capillos & lachrymas, niſi quod putat ſe minus facere quàm deberet: niſi quia deſpicit etiam quæ facit: niſi quia rerum omnium ſuarum agnoſcit Dominum: Denique quoniam magnatum aures ſunt in pedibus, audiunt enim eos qui ad pedes ſuos loquuntur, ita ſcit Dei miſericordiam, & Dei aures, & pœnitentiæ portum, & thronum gratiæ, & aram clementiæ, eſſe pedes Chriſti.

Et hæc quidem faciebat exteriùs, nihil omittendo quod conſecraret, ut ſuprà dixit Gregorius: Sed multò majora faciebat interiùs, nam ut ait Chryſoſt. homil. 6. in Matth. quæ in ſecreto mentis agitabat, multò his ferventiora erant, quæ tantummodò Deus ipſe cernebat. Cyprianus: mactatâ intrinſecùs anima, proprium in Sancta ſanguinem intulit. Quàm verè dixit Tertullianus, quòd pœnitentia in peccatorem pronuntians, pro Dei indignatione munere fungitur. Quid enim pejus, quid gravius Juſtitia divina Magdalenæ imponeret, quàm quod impoſuit pœnitentia? Sed vide caſtigatam impudentiam, caſtigatas delicias. Gregorius: Super convivantes ingreſſa eſt; non juſſa venit; inter epulas lachrymas obtulit: diſcite quô dolore ardet quæ inter epulas flere non erubeſcit. Quàm ſolent ejuſmodi mulieres projectæ eſſe ad ſcelus? Quàm parùm ad virtutem animoſæ? Quàm ubique ineptè riſum & jocos, & delicias quærunt? Vide monſtri ſimilem mutationem. Quid enim generoſiùs, quid fortiùs illa

anima

anima, quæ omnium cogitationem, omnium oculos, omnium judicia, omnium ſermones neglexit, ut priorem impudentiam, tanto pudore ac verecundia caſtigaret?

Quis ſic pœnitentiam agit ut convertat in opera juſtitiæ membra quæ ſervire fecit iniquitati? Itaque nil mirum ſi diabolus cùm vaſa in quibus confidebat, ablata non videat, animos reſumat, ut redeat; videns *domum vacantem & ornatam*: Ita poſt confeſſionem eadem oculorum libertas, idem veſtium ornatus & luxus, eadem profuſio in conviviis, eædem converſationes, eædem conſuetudines, eædem domorum frequentationes, ijdem libri, eædem ſcriptiones. Quid mirum ſi non ſint ſtabiles converſiones? Sed nimirum nemo conſiderat quid fecit: unde nec ſatis quid facere debeat, intelligit, Ultima parabolæ verba ſuperſunt.

6. *Et ſpolia eius diſtribuet.* Horum nomine ipſi homines intelliguntur qui priùs ſub dæmonum poteſtate fuerant, ac tranſeunt in poſſeſſionem Dei, atque à dæmone auferuntur: ſicut etiam innumera loca, templa, provinciæ, à quibus dæmon expellitur vocari poſſunt ſpolia quæ diripiuntur. Ita Chriſtus in mundi converſione, diviſit ſpolia, cùm homines variis Spiritus Sancti donis exornavit, eoſque in diverſa munera elegit: ex illis enim quoſdam conſtituit Apoſtolos, quoſdam diſcipulos, quoſdam ſolùm fideles, quos omnes eripuit de poteſtate diaboli.

In præſenti propoſito, per ſpolia intelliguntur ii quos dæmon per Magdalenam acquiſierat: Sed Chriſtus ſpolia ejus diviſit. Quis enim ejus converſione non tactus eſt? Quis non vehementer perculſus? quo etiam exemplo uſque in finem mundi plurimi convertuntur.

1. Enim quiſquis ſic lachrymantem intuetur & eo habitu pœnitentem; fieri non poteſt, ut de ſuorum peccatorum pœnitentiâ non cogitet; unde S. Gregor. ſic de illâ homiliam exorditur: Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentiâ flere magis libet, quàm aliquid dicere.

2. Quia ejus exemplum ad heroïca nos cōmovet: hoc enim proprium eſt generoſarum actionum, ut vehementiſſimè percellant. Et ſanè quid poſt hoc exemplum in pœnitentiâ verear? an confuſionem, an abjectionem, an lachrymas, an luctum, an rerum omnium dilectarum contemptum? Quæ non habes in Magdalenâ harum omnium rerum illuſtria exempla? Tanti dux fœmina facti.

3. Quia vehementer hinc accenditur confidentia: Nam ſi fœmina, peccatrix, & publica, intra tam exiguum tempus veniam obtinuit, quia ſincerè pœnituit, cur idem ſperare non poſſum? Deinde, ſi ei non tantum culpa, ſed etiam pœna remiſſa eſt; ſi ejus amori venia data eſt; quid jam mihi erit difficile? quid non ſperem? Si mulier impudica ob ſyncerum amorem prælata eſt homini juſto, & Pharisæo, *quoniam dilexit multum*, quo pertinuit Chriſti parabola de duobus debitoribus, ubi enumeratis utrinque actionibus, Magdalena Simoni eſt antepoſita: Si mulier impudica nec à Chriſto repulſa eſt in actionibus & obſequiis etiam eum tangentibus; ut ejus pedes manibus attingere, lachrymis abluere, capillis tergere & oſculis toties premere ſit permiſſa: Si denique eò puritatis pervenit poſt tàm multas ſordes & adulteria, ut ſicut loquitur Chryſoſt. quoniam dilexit multum, illa meretrix Virgines quoque ipſas caſtitate ſuperarit, cum hoc igne correpta fuit: Quid nunc peccator ſperare non audeat: Ex his patet quod propoſui in Magdalenæ converſione; nunc verè eſſe Iudicium mundi.

Hoc unum cum Davide mihi quærendumupereſt. *Quando facies de perſequentibus me iudicium*: Quid enim, Auditores, in nobis perſeverat diaboli tyrannis: Nimirum

fortis

Digitized by Google

fortis ille armatus cuſtodit atrium ſuum, & in pace ſunt omnia quæ poſſidet: Atrium eſt ille aditus ô Peccator, quo in animam tuam ingreſſus eſt: Eheu! ſi per cupiditatem hoc potiſſimum defendit; ſi per opinionem pulchritudinis; ſi per vanitatem; ſi per voluptatis illecebram; hoc ſanè diligentiſſimè cuſtodit. Atque inde *in pace ſunt omnia quæ poſſidet*. Et niſi citò fortior ſupervenerit, qui gratiâ ſuâ fortem alliget, ac vincat, domum tuam atque arcem adoriatur, & arma fortis eripiat; Quid de te fiet tandem, ô mortalium miſerrime, *&c.*

Sed quàm pauci ſunt qui patiuntur, ut victrix gratia vaſa diripiat, ſeu tollat inſtrumenta nequitiæ. Videas enim mulierem ad Deum converſam, eodem cultu incedere, iiſdem uti deliciis, eundem adhibere corpori ornatum, & eſſe ſine ullâ vitæ mutatione: unde non mirum ſi *nec ſpolia dividantur*, hoc eſt, ſi illi quos ipſa incendit ſemper ardeant. Multæ ſunt qui unâ re ſibi blandiuntur, quod non ſint infames in peccatis, ſicut Magdalenam fuiſſe diximus. Quibus reſpondeo 1. cum Auguſtinò audeo dicere, utinam corrupta eſſes & humilis: 2. Multas in vitiis Magdalenam aut æquare, aut etiam ſuperare, ſed paucas admodum ne dicam nullas, in converſione morum ac pœnitentia Magdalenam imitari. Quam enim ita ſuorum peccatorum pœnitet? Quæ-nam ita generosè id officii fungitur: Quæ-nam cum tantis lachrymis; cum eâ ſatisfactione; cum tantâ dilectione, ut amore veniam meruerit, ſecundum illud, *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm*: Quæ-nam cũ tanta perſeverantia in gratia, ut de ea dicatur quod de Magdalena, eam amplius nunquam peccaviſſe: Quæ-nam cum tanta fide, ut ei dicatur: *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace*: Quæ-nam poſt condonationem cum tanto fervore, tantaque in propoſito conſtantia, ut 30. annos, id in ſolitudine agere perſeverarit quod ſemel inchoarat? Semper enim Magdalenæ lachrymæ; ſemper ſparſi & neglecti capilli; ſemper iterata oſcula; ſemper ſilentium; ſemper fides; ſemper amor, ſemper dilectio. Conſideravit namque quod fecit; & noluit moderari quid faceret. Ego quidem ſic exiſtimo, nullam eſſe, nec ullum ex peccatoribus, qui ſic conſideret, & quid fecit & quid Deo debeat. Tamen & aliquando conſiderandum eſt; & aliquando tandem pœnitendum. Utinam & id citò, & eodem modo quo ſancta pœnitens Magdalena: ut cum ea verè multumque diligentes, & ideò peccatis omnibus expiati, in in gratia Chriſti moriamur, & ejus conſpectu in gloria frui mereamur aliquando.

Amen.

* * *

Digitized by Google

FERIA SEXTA, DOMINICÆ PASSIONIS.

CONCIO PRIMA.

De Erroribus in Conſultatione humanâ.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium, & dicebant: quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Joan. 11.

INter cætera judicia quæ Deus exercuit, inter populum ſuum & Ægyptios, quandò illos tractavit ut filios, iſtos autem ut hoſtes & inimicos; admirabilis planè mihi videtur duplex ſtatus utriuſque illius populi in plagâ tenebrarum: de quâ re ſic habetur Sap. 17. ubi deſcribitur quomodò Ægyptii denſiſſimis tenebris involuti ſunt. *Et ignis quidem nullâ vis poterat illis lumen præbere, nec ſyderum limpida flamma illuminare poterant illam noctem horrendam*: vide ſi ulla unquam nox talis fuit: tùm eorum deſcribit timorem. *Paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati*: cauſam autem hujus timoris ſubdit: *Quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pavorem præſtabant*, &c. Et ut à ſolis oculis non eſſet timor, ſed etiam ab auribus; *Tranſitu animalium, & ſerpentium ſibilatione commoti, tremebundi peribant*: Ac ne putares in fugâ eorum ſalutem eſſe: *Si quiſquam ex illis decidiſſet, cuſtodiebatur in carcere, ſine ferro recluſus*: Quæris quomodò? *una enim catena tenebrarum omnes erant colligati*: Vnde, ut dicitur Exod. 10. nemo toto illo triduo ſe loco movit. Et dum hæc paterentur Ægyptii, vide quo ſtatu eſſe Iſraëlitæ: *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur*: & cap. 18. *Sanctis autem tuis maxima erat lux*. Quæ res figura fuit duplicis ſtatus hominum in mundo; in quo ſunt filii hujus ſæculi, & filii lucis; quos Deus ſeparat non viſibili luce, & tenebris, ſed inviſibili & ſpiritali. Ego illas tenebras & hanc lucem vobis hodie oſtendere conabor in noſtri Evangelii explicatione: Sed ut de tenebris, & de luce ipſe egeo; & vos quoque, ut de re tantâ dicentem me capere poſſitis: Illam à cœlo petamus. AVE MARIA.

REm affero vobis, Auditores, ſcitu maximè neceſſariam & à Scripturis omnibus teſtatam, peſſimam eſſe humanam prudentiam

tiam à divinâ non adjutam, & abominalem mundanam ſapientiam, vel ipſo Apoſtolo teſte, *Prudentia carnis, mors eſt, & ſapientia hujus mundi inimica eſt Deo.* Scio me in hoc diſcurſu habiturum adverſariam maximam hominum partem, qui eam agendi rationem in rebus omnibus ſequuntur: Itaque me locuturum contra innumeros Reges, & Principes, contra plurimos Rerumpublicarum Miniſtros, immò & contra earum Fundatores, contra innumeros Magiſtratus, contra Philoſophos, & Sapientes hujus mundi, contra ferè omnes Legislatores, contra ſæculorum effata, & ſcita populorum. Scio me habiturum contra me omnes ferè nationes, gentes, populos & terras, ſummos quoque & infimos: ſcio me niti contra negotiorum omnium torrentem, contra omnium Hiſtoriarum monimenta, & contra communem omnium temporum conſuetudinem. Sed & rebus omnibus, & omnibus perſonis oppono ſummam ac divinam Verbi Sapientiam, quæ de ſe ita gloriatur; 1. Corinth. 1. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?* Et ſicut Deus undarum cumulos, & maris iram exiguæ arenæ cumulo frænavit; ita hunc diſcurſum omnibus oppono humanæ ſapientiæ quaſi fluctibus; nec diffidens quidem de victoriâ. Hunc verò totum in hodierni Evangelii exemplo conſumo; atque in uno, & ſi unquam fuit planè deteſtabili, impiorum hominum concilio, omnem humanam, & carnalem prudentiam accuſo, cujus intolerabiles errores hoc ordine vobis oſtendo.

I. Error eſt in delectu eorum, qui in conſilium adhibentur, & vocantur in concilium: qui continetur in illis verbis, *Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium.* Quâ in re accuſo Prudentiam carnalem ſtultitiæ, & malignitatis maximæ; Et ut mea mens intelligatur:

Nota 1. Me non reprehendere conſultationem, & deliberationem in rebus omnibus: Rectè enim dixit Plato ex veteri Proverbio, ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία, quiddam ſacrum profectò conſultatio eſt. Immò contrarium planè intolerabile, præſertim ubi hæc duo concurrunt, 1. Res magni momenti: nam ut ait Vellejus lib. 2. Magna negotia magnis adjutoribus egent: 2. Res dubia: uti enim naves non rectè fundantur aut in mari aut in portu, niſi anchorâ; ita nec mens poteſt ſecura eſſe, aut firmari niſi conſilio: alioqui enim omnia inter homines aguntur ſummâ temeritate, & in eventus tantùm fortuitos, qui modus eſt contra rationem. Hinc quippe fit primo ut multi fine careant, vel nullum intendant finem, in quo animantibus pejores ſunt. Nam ſi plurimos interroges quem ſibi finem proponant in vita, reſpondere vix poſſunt; quia haud ſcio an ea re unquam cogitarint. 2. Vt licet in communi finem aliquem habeant, omnia tamen ſua regant ſine judicio, quia nec conſultatione nec deliberatione utuntur; ſed de fine cogitant tanquam de termino, non tanquam de ſcopo; de termino in quo deſinant, non de ſcopo in quem perveniant. Itaque non in eo Judæorum Pontifices & Phariſæos reprehendo quod concilium coëgerint; præſertim cùm res gravis eſſet & digna deliberatione: cùm enim audiviſſent Chriſti miracula præſertim Lazari reſurrectionem, digna res fuit ut à ſapientibus æſtimaretur, tanquam res magni momenti.

Nota 2. Non quoslibet aptos eſſe ad conſulendum de omnibus; ſicut de domus ædificatione, non medicum aut muſicum ſed Architectum conſulueris. Atque hac etiam parte Pontifices non

arguerem ſi nihil aliud interveniret: quod cùm de re ad religionem pertinente ageretur, vocarint Sacerdotes & Phariſæos, & Scribas: primos quidem, ut habentes rerum ſacrarum authoritatem; alios, ut homines zelo legis incitatos, ut religioſiores; ultimos autem ut legis peritos & præcipuos Iudæorum.

Nota 3. In conſultationibus id potiſſimũ requiri, ut verum ſciatur: itaque electionem eorum qui deliberant talem fieri debere, ut ſit hominum tantum per quos veritas rerum innoteſcat: Cum autem veritatis cognitio impediri poſſit, vel defectu ſcientiæ, vel defectus inceritatis, utriuſque virtutis maxima ratio haberi debet in deligendis conſiliariis. Quare qui eos adhibet, quos ſcit vel ignoratione verum neſcituros, vel odio atque invidiâ, & pravitate detenturos veritatem in injuſtitiâ; is ſtultus, & malignus eſt: ſtultus quidem, quia gratis vult decipi, ubi ab errore liberari deberet: malignus autem, quia ſciens & volens veritatem opprimit, dum contra conſcientiam facit.

At tale fuit Iudæorum concilium, non eo fine coactum ut veritas innoteſceret, ſed ut opprimeretur: quod rectè ſignificatur ab Evangeliſtâ illis verbis. *Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi conſilium.* 1. Enim particula *ergo* occaſionem concilii manifeſtat: hæc autem eſt, quod cum quidam ex ijs qui viderant Lazari reſurrectionem, retuliſſent ad Phariſæos quæ Ieſus feciſſet, nec facti calumniandi aut negandi opportunitas ſuppeteret (ſicut facere tentarant in cœco nato) nec eſſet in illo ulla ratio dubitandi ex modo, & ex circumſtantiis reſurrectionis; quod Lazarus eſſet quatriduanus mortuus; quod ſepulchro incluſus, quòd Sabbatû non eſſet, & ita nihil arguendum relinqueretur, tum demum. *Collegerunt Pontifices & Phariſæi conſilium: & dicebant quid facimus?* quibus verbis oſtendunt ſe non veritatis ergò conſultare, ſed eius opprimendæ gratiâ, in quo vides malitioſorum hominum malignitatem.

2. Vt ſunt inimici Chriſti qui convocant, convocantur quoque inimici: & ita vides impletam prophetiam morientis Iacob Geneſ. 49. *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia*: Ibi alluditur ad ultionem de Sichimitis ob ſtuprum ab iſtis illatum Dinæ ſorori eorum: & addit Iacob *In conſilium eorum non veniat anima mea*: damnans authores illius fraudulentæ ultionis. At in illo facto puram habes concilii adverſus Chriſtum congregati, ad quod convenerunt, ſcribæ & legis periti, qui teſte Hippolyto Martyre deſcendebant à Simeone, ut Sacerdotes, qui fuerunt ex poſteris Levi. Pergit prophetia: *In cœtu illorum non ſit gloria mea.* Id eſt, Chriſtus, qui ut vult dicere me conſentiente non ſe credet illis *Quia in furore ſuo occiderunt virum & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Id eſt, in ſua cupiditate principem gentis occiderunt: *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura.* Nam odio ſolum, illoque acerbo & duro ac pertinaci in Chriſtũ prorupere: Cujus ſceleſtiſſimi facti origo ex hoc concilio, etiam Evangeliſta teſte, qui ait, *ab illa ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.* Vide itaque quos in conſilium adhibuerint, quos ſciebant non niſi odio & invidiâ ferri in Chriſtun: unde propoſitio rei deliberandæ his verbis ab ipſis facta eſt. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Ne nominant quidem; ſed ipſo contemptu oſtendunt odium, & iram.

Exemplum audiſti. Vide quoque quid communius agere ſoleat humana prudentia: Eos ſcilicet adhibet in conſilium, quos non niſi ſtultè & malitioſe poteſt audire. 1. Enim ferè tantum homines mundani & carnales adhibentur, nuſquam autem Deus, & periti rerum divinarum: cum tamen dicat S. Cyprian. Conſiliorum gubernaculum debere eſſe legem divinam: & hoc audimus à Malachiâ cap.

cap 2. *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius* Proptereà ſtulta fere, eſt hominum conſultatio Iſaiæ 19 *Stulti principes Taneos, ſapientes conſilarii Pharaonis, dederunt conſi ium inſipiens:* &c. *Vbi nunc ſunt ſapientes tui, an nuncient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus ex rcituum ſuper Ægytum.* 2. Non ratio & judicium, non veritas adhibentur in conſilium, ſed paſſiones & cupiditas, amor proprius, & utilitas propria. Nemo enim ſincerè veritatem quærit; Et bene omnes ante conſultationem ſe determinant : Ita hi Iudæi. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Illuſtre huius rei habemus exemplum in Achab, qui de bello ſuſcipiendo contra Syros, noluit Michæam prophetam Domini, qualem illum eſſe, ipſemet agnoſcebat, conſulere ſed 400. Prophetas Baal, unde miſerabiliter periit uti dicitur 3. Reg. cap. vlt.

II. Error eſt in rebus de quibus eſt conſultatio: quâ in re humanam prudentiam impietatis accuſo. Vt melius intelligatur.

Adverte in re de quâ deliberatur variis modis peccari ab hominibus 1. Enim pauci intelligunt deliberationem, cuius finis eſt Electio non eſſe niſi mediorum, hanc autem ſupponere intentionem finis : ut enim media ſunt propter finem, ita deliberatio oritur ex finis intentione. Porro omnis finis habet rationem boni; omnia enim, ait Philoſophus, bonum appetunt: unde ſequitur non niſi bonum intendi poſſe : nemo quippe intendens in malum, operatur. Cum autem media debeant fini eſſe proportionata & cõvenientia, & omnis finis ſit bonus, immò ipſum bonum; media bona eſſe debent, & conſequenter non niſi de bonis mediis fieri debet conſultatio : paſſim tamen homines de rebus malis deliberant, & conſulunt.

2. Omnis ferè hominum deliberatio fit circa res mundanas, nulla autem vel rara, circa morales: cum tamen deliberatio ſit proprium re um moralium inſtrumentum, unde ab Ariſto: ele virtus definitur ἕξις προαιρετικὴ habitus electivus. Sed præclara ingenia, cum in negotiis terrenis plurima inquirant, pauca tamen admodũ inquirunt de virtute, & de ſalute.

3. Omnis ferè deliberatio fit de adjunctis & circumſtantiis rerum, non autem de capite rei: verbi gratia, deliberatur cui nubat aliquis, non verò an nubere debeat : cui officio ſe addicere quis debeat, non autem an illi expediat ſe alicui officio addicere.

Sed ex his tribus nihil pejus eſt quam de re mala deliberare, & vim ingenii, quam ad res bonas nobis Deus dedit, in res malas impendere.

Hoc poſito vide de qua re deliberarint Iudæi. Nam cum rei natura id poſceret, ut de recipiendo Meſſia, & modo eum recipiendi atque credendi in eum deliberarent (quid enim aliud ſperare debueras, ex cognitione tanti miraculi?) deliberant de ipſius morte : *Quid facimus: quia hic homo multa ſigna facit :* Vide ergò impietatem, quia de morte & de ſanguine Chriſti deliberant; ac vide caput deliberationis, non enim deliberant an ſit morte tradendus, nec ne; ſed de modo quo ſit interficiendus. Nam ſi de morte ei inferenda ageretur, diſputandum fuiſſet de ejus innocentia, aut criminibus: ſed cum nihil haberent quod verè objicerent, itaque ſcirent innocentem, ſed tamen odio in illum ferrentur, hoc habent certum, eſſe perimendum.

Tota igitur cauſa in eo vertitur, ut quærant cauſam propter quam perimatur, & talem ut ejus mors juſta eſſe videatur. Id patet ex ſententia Caïphæ : Cùm enim varias reſponſiones audiſſet, ita tandem concluſit : *Vos neſcitis quidquam*, hoc nimirum ſufficere dixit ad eum perimendum, quod illius morte, licet innocentis, cæteri lib ra entur. Agitur itaque de modo juſtificandi mortem ipſi us. Vide ergo

 ex

ex materia & obiecto conſultationis, quam ſit impia ea conſultatio. *Simeon, & Levi: fratres, vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea*, &c. Ab hoc exemplo, ad communem hominum tranſeamus conſuetudinem.

Age enim de quibus homines conſulunt? An non de oppugnando paupere? de innocentibus per caluminam opprimendis? Quid porro agitur? An quæritur benè an male id fiat, aut licitum ſit? certe minimè: ſed quo prætextu id fieri poſſit, quo velo, quo obtentu. Id ferè ſolum apud homines tractatur. Vnde hominum deliberationes ſolent eſſe impiæ, cum conſultationem, rem planè divinam, in rebus iniquis impendant. Atque ut omittam quæ maioris ſunt momenti, ratione Rerumpublicarum, & Imperiorum, dum conſulitur, quâ ratione finis Imperii ſint proferendi, nunquam autem, an liceat ut omittam etiã quæ in conciliis publicis ſæpe tractantur, quia hæc non ſunt huius loci: quam ſæpe videas tractari, quomodo ſumenda vindicta de hoc homine, quomodo illius fortuna diſperdenda, quomodo favor diſſipandus, qua ratione honor deprimendus quibus modis opes comparandæ? Nuſquam autem conſulitur an liceat ſe ulciſci, & alia ſexcenta.

II. Error eſt in modo conſulendi. Qua in re humanam prudentiam accuſo cæcitatis, & perverſitatis. Atque ut ab exemplo noſtro non diſcedam: Cæcitas fuit, quoniam errarunt in illatione. Etenim contraria deduxerunt iis quæ ex illorum argumentis ſequebantur, ut acutè notavit Toletus, apud quem hæc pleraque habes. 1. ſiquidem ita ratiocinantur: *Hic homo multa ſigna facit*, igitur oportet in eum inſurgamus, nec differamus de medio tollere: dicunt enim. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Et hic diſcurſus omnino pravus eſt. Ex hoc quippe principio *hic homo multa ſigna facit*, quod ipſi admittunt, non erat inferendum, igitur in eum invehamur, eique obſiſtamus, ſed potius, recipiamus eum & credamus ipſi, ut notat Auguſtinus tract. 49. in Ioan. Nam admoniti fuerant ab Iſaiâ, ex miraculis Meſſiam agnoſcere quo argumento ſemper uſus fuerat Chriſtus, *Si mihi non creditis, operibus credite*: Ita Nicodemus *Nemo poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*: Ita cum Ioannes ſuos Diſcipulos ad Chriſtum miſiſſet, *tu es qui venturus es, an aliũ expectamus?* poſtquam rebus & factis reſpondiſſet, multis coram illis patratis miraculis? tum addidit: *Euntes renuntiate Ioanni quæ vidiſtis, & audiſtis: cæci vident, claudi ambulant*, &c. Itaque rectè ait Auguſtinus, nos debere miraculis, mundi converſionem. Et quidem multi, viſâ Lazari ſuſcitatione crediderunt in eum. Vnde vides eorum ineptam concluſionem, ex miraculo deductam.

Alter diſcurſus cœcus hic fuit, *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* Profecto decepti ſunt: immò quia non dimiſerunt ſic, ſed occiderunt omnes: crediderunt in eum. Ita prædixerat Iſaias c. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum* Et Chriſtus Ioan. nũ 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*, & illud aliud. *Niſi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.*

3. Diſcurſus cœcus hic fuit: ſi crediderint omnes in eum, *venient Romani & tollent noſtrũ locum & gentem.* Non erat ita inferendum: ſed hoc modo, venient Romani, & credent etiam in eum: nam qui tanta ſigna faciebat, & Iudæos converterat, Romanos convertere poterat, cum hi nullum ex diis ſuis adeò potentem fingerent. Ad hæc, Scripturæ pollicebantur gentium converſionem Iſa. 2. *Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi*: & cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo*,

tuo, *& Regis ſplendore ortus tui*. Quòd ſi Romani credere nollent, ſed eos vellent opprimere: confidere debuerunt, ſe per illum poſſe Romanos debellare, qui mortuos ſuſcitabat: nam multas gentes unius Prophetæ auxilio vicerant.

4. Diſcurſus tacitè inſinuatus: ſi non dimittimus ſic, non venient Romani, nec tollent hunc locum & gentem: in quo decepti ſunt, imo quia non dimiſerunt, ſed occiderunt, propterea venerunt Romani, & tulerũt locũ & gentẽ; ut prædictũ à Daniele c. 9. *Occidetur Chriſtus*, &c. *Et civitatẽ & Sanctuariũ diſſipabit populus cum duce venturo*: quod ſignificarat Lucæ 19. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò, quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*. Cæca igitur conſulatio eorum qui illis modis inciderunt in laqueos, quibus ſe fugere poſſe crediderunt.

Quod ſi à Iudæis ad nos gradum faciam; quàm ſimilis eſt multorum cæcitas? Quam multi dicunt cum impiis, Iſaiæ 22. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*. Immò, ait Auguſtinus, Quia cras moriemur, hodie lugeamus ac fleamus. Quã multi dicunt cũ illo divite Evangelico, qui cũ videret multos fructus atq; proventus ſibi obveniſſe, ſecum ſic conſultabat, Lucæ 12. *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos*? cumque concludere debuiſſet reddendam Deo gratiarum actionem, faciendas oblationes in templo, & uberes eleemoſynas in pauperes, ſic concluſit. *Hoc faciam: deſtruam horrea mea maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ. anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce: comede, bibe, epulare*: Audiſti conſequentiam hominis ebrij bonis ſuis. Putas rectè concluſit? Audi judicium Dei eâdem nocte ipſi denuntiatum, *Dixit autem illi Deus; Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt*? Arguitur ſtultitiæ & cæcitatis qui ſic concluſerit. Quàm multos ſic Deus redarguit? Videas qui ſperarent, hæreditatẽ quâ obtenta cũ bonis abundarent, & jam ſe fruituros putarent, cum malè concluderent, ſtultitiæ à Deo redarguti ſunt, & ipſo facto reprehenſi. Quàm multis in mentem venit; adhuc juvenis ſum, itaque indulgebo genio; ut ſcilicet nulla ætas ſit innoxia; iam ſum ætate provectus, & ſenex, itaque placet quieſcere; &c. Sed memento te nihil ad æternitatem comparaſſe, nulla merita, nulla benefacta. Quæ quies tibi, nihil unquam Dei cauſa feciſti? Hæc mulier pulchra eſt; itaque, inquit in conſultatione ſuâ, ſtudioſius comere, atque ornare ſe debet, quaſi ipſa pulchritudo non ſatis libidinem concitaret: Quam rectius concluderet cum Tertul. lib de cultu Fœmin. cap. 2 nimium decorem obliterandum diſſimulatione, & incuria? Sed dies me deficeret ſi omnium hominum errores perſequi vellem.

De cæcitate dixi. Vide perverſitatem in conſultatione; Quia fidem medio poſtpoſuerunt, & temporalia ſpiritualibus prætulerunt, in quo ſumma eſt perverſio. Etenim fidem in Chriſtum vel veram, vel falſam putarunt: Si veram, elegerunt magis temporale regnũ quam credere. Id enim ſignificant ea verba: *Venient Romani & tollent noſtrum locum*; hoc enim eſt dicere, ne tollant Romani locum noſtrum, faciamus ne in eum homines credant: Si non exiſtimabant veram fidem, dicere debuerunt: Si dimittimus ſic, credent omnes in eum, & religio vera deſtruetur, & fideles peribunt: maius enim erat damnum ſpiritale, quam temporale. Seu igitur veram, ſeu falſam fidem crediderunt, ſpiritualibus temporalia prætulerunt; cum tamen vera religio conſervet temporalia regna. Vnde, ut advertit Auguſtinus tract. 49. in Ioan. temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam.

Digitized by Google

ternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt.

Quid hic de nobis conquerаris ſatis difficile poſſum dicere, ita in plurimis delinquimus: Ego enim ut verum fatear hunc ego exiſtimo communem eſſe omnium mortalium ſcopulum ad quem adhæreſcant: 1. quod finem mediis poſtponant. Hinc præpoſtera omnia conſilia: 2. quod ſpiritalia temporalibus, æterna perituris. Hinc nefandæ illæ, atque impiæ propoſitiones Politicorum, qui ſtatum Reipublicæ Religioni anteponunt qui Religionem Reipublicæ ſervire cogunt; Qui in illis quæ per ſe bona ſunt, non attendunt, quòd juſta ſint, ſed quòd utilia; in illis non Dei voluntatem aut legem, ſed ſua commoda quærunt. Hinc profectæ impiæ leges, impia judicia, conceſſiones impiæ, modò res externæ non lædantur. Hinc profectum, ut Dei offenſæ non puniantur, ſed Principum & Magiſtratuum. Sit enim aliquis in Deum blaſphemus; id fecerit impunè: at ſi in principem, punietur; *&c.* Hinc in noſtris negotiis, contractibus, actionibus, non attenditur quid legitimum, quid licitum, quid ſecundum Dei leges: ſed tantum quid utile, quid commodum. De liberis cura eſt, ſi in literis, ſi in aliis externis proficiant; de moribus, de pietate, nulla cura eſt. Si uxor quærenda, ſi eligendus maritus, omnia externa quæruntur, de illis ſumma ratio; nihil de moribus, nihil de virtute, nil de fide inquiritur. Hoc errore Loth elegit in Sodomis commorari cum tantum rationem, haberet ſoli feracis ac fertilis, non autem malitiæ habitatorum: unde factum ut rerum omnium jacturam fecerit, ac vix ipſe ſalvus fuerit ab incēdio. Hinc illud ſtudiū per fas & nefas augendi ſua: nullum ibi ſcelus. Omnia attentantur. Ad hæc: nullus niſi de rebus temporalibus timor, nullus dolor.

Sed vide duplex in ea re Dei judicium. 1. Quod ſpiritalia ſimul & temporalia amittantur, uti in Iudæis oſtendimus. Memorabile eſt factum Ieroboami, quod jam alio loco commemoravi, ſed hic iterare non piget. Is cum Rex Iſrael creatus eſſet, ac vereretur ne paulatim populus, dum ex lege in Templum Hieroſolymitarum, quod erat in regno Iuda proficiſceretur, ad domum David deflecteret; conſilio pernicioſo, contra legem Dei, in urbe regni ſui principe fanum excitavit, & pro arca Dei vitulos aureos adorandos expoſuit: quæ fuit occaſio, ut Deus iratus, non modò ei regnum abſtulerit, ſed omnem etiam poſteritatem ejus aboleret, inſigni documento ne quiſquam deinceps ſperaret, poſſe ſe rem ſuam irato Deo promovere.

2 Iudicium Dei eſt, quòd Deus ex ipſa re, qua homines ipſum offendunt, ut aliquid tēporale, aut acquirant aut conſervent, aut aliquid impediant, eadē in quā ipſa re utatur ad exitū planè contrariū: Ita in Ioſephi fratribus oſtenſum eſt: qua enim re voluerunt impedire, ne ipſius ſomnia implerentur, nempe eius venditione, eadem ipſa Deus uſus eſt, ut fieret quod nolebant. Eodem recidit Pharaonis conſilium de pueris Hebræorum interficiendis. Eodem quoque devenit conſilium Saülis in Davide perſequendo. Vide Greg. in c. 12. Iobi l. Mor. Denique pari modo, qua ratione Phariſæi voluerunt impedire ne venirent Romani, nempe Chriſtum occidendo, eadem ipſa factum eſt ut Romani venirent, tantum ſcelus ulturi: ut ſciant homines non ſibi licere invito Deo, ad ſuorum deſideriorum finem, atque exitum pervenire. Quapropter de Deo ſic Iobus pronuntiat c. 5. *Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia pravorum diſſipat.* Et Greg ſubdit. Sic divinum conſilium, dum evitatur, impletur: ſic humana ſapientia dum reluctatur, comprehenditur. Itaque Salomon Proverb. 21. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Quid ex hoc concludendum

Digitized by Google

ſcendum ſit docet Gregor. l. 6. Moral. Reſtat ergo, inquit, ut in cunctis quæ agimus vim ſupernæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognitæ, debet noſtra actio devotè famulari, & quaſi ducem ſui itineris proſequi, ne ei etiam nolens ſerviat, ſi hanc ſuperbiens declinat:

IV. Error eſt in ferendâ ſententiâ, ſeu in judiciô, atque exitu conſultationis: quâ in te humanam prudentiam reprehendo injuſtitiæ. Quid enim aliud ſperare potuiſſes ab ejuſmodi Conſiliariis, & ex tam cæcâ, atque perversâ conſultatione quàm exitum planè infœlicem? Id in Caïphæ ſententiâ videre eſt, qui ut caput nefarii concilii, ipſam humanam prudentiam in ſententiâ ſuâ mihi videtur exprimere, quæ ejuſmodi eſt; *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, nec tota gens pereat*: quibus verbis, Caïphas cæteros arguit ignorantiæ, quod neſciant, quid utile, & conveniens ſit, invenire, & decernere. *Neſcitis*, ait, *quidquam*: & eorum ignorantiam ſic explicat; Quia non cogitatis, nec advertitis expedire, unum potius mori, quàm totum populum, & gentem perire: ac ſi diceret, pro communi ſalute, ne omnes pereant: Vnum; etiam innocentem, idque abſque ullâ culpâ, expedit occidere. Hoc, inquit Toletus, definit appoſitè ad id de quô conſultabant: in eô enim laborabant, ut invenirent modum perimendi Chriſtum, quem modum non inveniebant, cum in eô culpa nulla reperiretur: nam ſi alicuius culpæ reus eſſet, ob quam jure poſſent perimere, non conſultarent: Sed cum ab una parte Chriſtus eſſet innocens, ex alia vero occidere vellent, quærunt qua ratione, & quo colore id fieri poſſit: quod cùm cæteri non invenirent, ſolus Caïphas viſus eſt inveniſſe, nempè pro communitatis, & totius populi ſalute, ne tota Iudæorum natio periret, expedire hominem licet innocentem perimere: quæ ſententia, in ſenſu ipſo Caïphæ, fuit injuſta & falſa: Iniuſta quidem: 1. Quia, non conſideravit quid liceret, ſed quid expediret, ſeu quod eſſet utile, unde dixit, *Expedit*. 2. Quia, contra Iuſtitiam eſt innocentem occidere: & graviter peccavit Caïphas cum omnibus ei conſentientibus: de qua ſententia Pſaltes ait Pſalm. 40. *Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me*: Vide iterum iniuſtitiam: Non enim tantum innocentem morti tradere ſtatuerunt; ſed etiam in hoc iniuſti fuerunt quod pro re illis tunc incerta, mortem certam infligere decreverunt: quamvis enim res foret certa, non tamen liceret, nec expediret; multò minùs, ſi incerta ſit. Quod verò Caïphas Chriſtum agnoſceret innocentem, verba ipſa teſtantur: nam fatetur quidem ipſum multa ſigna facere; item ſe non invenire in eo cauſam; & ex eo ſenſu tantùm aſſerit expedire ut unus pro omnium ſalute moriatur. Quam in ſententiam omnes eunt, & ideò ſeriò inter ſe agentes, non jam ut aliàs, vocant Chriſtum ſeductorem, aut blaſphemum, aut Legis tranſgreſſorem; innuuntque tacitè hæc omnia à ſe eſſe conficta, meraſque eſſe calumnias, nec illum de iſtis poſſe convinci.

Iam quod hæc ſententia falſa ſit probatur 1. Quia innocentem, nec licet, nec expedit, pro ſalute Reip. perimere. 2. Quia iſta occiſio non fuit, ſecundum ipſorum ſenſum utilis & expediens pro populi ſalute: nam temporalem populi conſervationem intendebant, cui occiſio Chriſti fuit contraria, cum propter eam vaſtati fuerint & occiſi. Porrò hæc à me dicta ſunt ſecundum ſenſum Caïphæ & intentioné.

Subdit Evangeliſta: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit*: Senſus eſt; cum Caïphas ſuam ſententiam aliis verbis indicare potuiſſet, quæ non niſi eius intentionem malam exprimerent, præſertim cum loquendo nihil aliud ipſe vellet; Spiritum tamen Sanctum ea ei verba in-

ſpiraſſe, quibus aliud longè diverſum, & in ſolâ Sancti Spiritus intentione comprehenſum, quamvis neſciens ſignificaret: unde Chryſoſt. homil 64. ait cor Caïphæ non fuiſſe motum à Spiritu Sancto, ſed linguam, quia cum ille peſſimâ intentione ferretur, hoc tantùm voluit ſignificare, perimendum eſſe Chriſtum, ut gens Iudæorum temporaliter ſalvaretur; Sed neſciens prophetavit: nam ex intentione Spiritus Sancti, hæc potiùs verba, quàm alia inſpirantis, ſignificavit, ut notat Evangeliſta, *Quod Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantū pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum*: Prophetaſſe verò dicitur, quia ex inſpiratione, & intentione Spiritus Sancti id pronuntiavit: Spiritus autem Sanctus eius lingua ideò uſus eſſe dicitur, propter eius dignitatem: quia ſcilicet erat Pontifex anni illius:

Ab hoc exemplo diſce, mi Auditor, quid ſequatur ex malâ hominum conſultatione, nempè iniqua & falſa ſententia. Nam, ô Deus! quænam ſunt hominum conſilia? Videmus ex iis quæ moliuntur. Quàm multa contra innocentiam, famam, honorem, libertatem, Bona, fortunas & vitam? Quis hæc iudicia ab hominibus ratione præditis, & præceptionibus Chriſtianis benè inſtitutis, expectaſſet? Vide vide deliberationis concluſionem. *Ab illa ergo die, cogitaverant, ut interficerent eum*: Nempe placuit omnibus decretum, & ſententia Caiphæ. Idcircò ab eo die, firmiter propoſuerunt, & conſtituerunt eum interficere. Itaque illa eſt ſententia quæ Chriſtum peremit, non ſententia Pilati: cætera enim quæ ſequuta ſunt fuerunt tantum huius primæ ſententiæ executio.

Quæ cum ita ſint, quod tandem judicium nos ferre debemus de humanâ & carnali prudentia, cuius intolerabiles errores audivimus, quàm adeò fallacem, cœcam, iniuſtam, perniicioſam, & ineptam eſſe deprehendimus? An non prudentia Chriſtiana à nobis poſtulat, ut aliunde vitæ noſtræ regulas, & deliberandi documenta petamus? Nempe ab eo qui ex officio ſuo dicitur ab Iſaïa Conſiliarius. Vide num falli poſſit, *in quo ſunt omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauri?* num fallere poſſit qui eſt ſumma bonitas, & qui à Patre conſtitutus eſt hominum Magiſter & Doctor? Iſaiæ 30. *Non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum, poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in eâ: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: Neque nos tantùm verbis docere voluit, ſed etiam exemplis; ne admirabilis illa doctrina periret, voluit ut & præcepta eius & exempla literis mandarentur, in divinis illis Evangeliorum libris, & ſanctis Scripturis, in quibus veritatæ æternæ axiomata, & effata indubitata continentur, quæ eſſe poſſunt, & vitæ noſtræ &, noſtrorū judiciorū regulæ. Audi quomodo loquatur Ioannis 15. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et illud quidem eò magis facere debemus, quód in ſanctis Scripturis contineantur omnis generis definitiones, rerum & actionū judicia, omnium negotiorum exitus, cuiuſcunque vitæ exempla: unde Scripturam appellare ſoleo Inſtructionem univerſalem totius orbis, temporum ac ſæculorum, omnium quoque conditionum. Hinc enim principes & privati, hinc omnes ætates, hinc omnis ſexus documenta petere poſſunt: ad hanc regulam corrigere oportet Philoſophorum, Sapientum, Doctorum, & omnium hominū effata & documenta: Ibi leges, quid poſtulet vita privata, quid publica, quid in utraq; fortuna: quid Deo debeas, quid tibi, quid proximo: Vide cap. 4. 5. & 6. Matth. Ibi leges etiam malè actorum pœnas, & meritorum præmia: Ibi diſces quid agendū tibi ſit ut rectè vivas, ut ſanctè moriaris, quod eſt unum neceſſarium, & ita vitam æternam conſequaris. Ad quam, &c.

FERIA

FERIA SEXTA
DOMINICÆ PASSIONIS
CONCIO SECUNDA,
DE BONA ELECTIONE.
Eius neceſſitas & Natura.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium. Ioan. 11.

DIXIMVS de hocce nefando Concilio, ejuſque conſultationem cæcam, perverſam & impiam fuiſſe oſtendimus; cæcam quidem in peſſima illatione, qua ex Christi miraculis eius mortem mali Pontifices deduxerunt: perverſam impiamque, qua finem medio poſtpoſuerunt, in quo eſt ſumma perverſio, & temporalia ſpiritualibus prætulerunt, quod eſſe ſummè impium omnes vident. At de his hactenus. Nunc occaſione tam malæ deliberationis, de bona conſultatione agere conſtitui, quæ quanti ſit momenti nemo ſatis mea quidem Sententia queat exponere. Atque ut id procedat melius, tracto quod eſt in ea præcipuum, eſtque ejus terminus, nempe Electionem: ſed prius petenda gratia. AVE MARIA.

QVod ſunt Angeli Cœlis quos regunt, Sol Aſtris quæ illuminat, Anima corpori, cui vitam impertit: quod facit Navarchus in Navi, Imperator in Exercitu, Rex in Regno, princeps rota in horologio, id efficit electio in rationali hominum vita. Amove Angelos à Cœlis, & erunt Cœli ſine motu: aufer Solem à mundo, vel lucem à Sole, Aſtra nihil niſi tenebræ erunt, & nocti alteram noctem inferent: ſejunge animam à corpore, quod ſupetfuerit ſolum erit cadaver: Ita ſi ſuſtuleris hominibus electionem & conſilium, nihil illis niſi perturbationem, temeritatemque relinques; & id unum cauſæ eſt, cur ubique quotidiè videamus tot fortunarum naufragia, domorum ruinas, negotiorum infœlices exitus, omnia ſuſque deque ferri, & confundi. Deeſt enim gubernator & caput; horribilis tantum ineſt ſeditio, ſimilis ei quæ excitatur in Rebuſpublicis, Rege, ſummoque moderatore vacuis, ubi neſcitur quid ſit de-

FERIA SEXTA.
DOMINICÆ PASSIONIS.
CONCIO PRIMA.
De Erroribus in Conſultatione humanâ.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium, & dicebant: quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Joan. 11.

INter cætera judicia quæ Deus exercuit, inter populum ſuum & Ægyptios, quandò illos tractavit ut filios, iſtos autem ut hoſtes & inimicos; admirabilis planè mihi videtur duplex ſtatus utriuſque illius populi in plagâ tenebrarum: de quâ re ſic habetur Sap. 17. ubi deſcribitur quomodò Ægyptii denſiſſimis tenebris involuti ſunt. *Et ignis quidem nullâ vis poterat illis lumen præbere, nec ſyderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam*: vide ſi ulla unquam nox talis fuit: tùm eorum deſcribit timorem. *Paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati*: cauſam autem hujus timoris ſubdit: *Quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pavorem præſtabant*, &c. Et ut à ſolis oculis non eſſet timor, ſed etiam ab auribus; *Tranſitu animalium, & ſerpentium ſibilatione commoti, tremebundi peribant*: Ac ne putares in fugâ eorum ſalutem eſſe: *Si quiſquam ex illis decidiſſet, cuſtodiebatur in carcere, ſine ferro recluſus*: Quæris quomodò? *una enim catena tenebrarum omnes erant colligati*: Vnde, ut dicitur Exod. 10. nemo toto illo triduo ſe loco movit. Et dum hæc paterentur Ægyptii, vide quo ſtatu eſſe Iſraëlitæ; *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur*: & cap. 18. *Sanctis autem tuis maxima erat lux.* Quæ res figura fuit duplicis ſtatus hominum in mundo; in quo ſunt filii hujus ſæculi, & filii lucis; quos Deus ſeparat non viſibili luce, & tenebris, ſed inviſibili & ſpiritali. Ego illas tenebras & hanc lucem vobis hodie oſtendere conabor in noſtri Evangelii explicatione: Sed ut de tenebris, & de luce ipſe egeo; & vos quoque, ut de re tantâ dicentem me capere poſſitis: Illam à cœlo petamus. AVE MARIA.

REm affero vobis, Auditores, ſcitu maximè neceſſariam & à Scripturis omnibus teſtatam, peſſimam eſſe humanam prudentiam

tiam à divinâ non adjutam, & abominalem mundanam ſapientiam, vel ipſo Apoſtolo teſte, *Prudentia carnis, mors eſt, & ſapientia hujus mundi inimica eſt Deo.* Scio me in hoc diſcurſu habiturum adverſariam maximam hominum partem, qui eam agendi rationem in rebus omnibus ſequuntur: Itaque me locuturum contra innumeros Reges, & Principes, contra plurimos Rerumpublicarum Miniſtros, immò & contra earum Fundatores, contra innumeros Magiſtratus, contra Philoſophos, & Sapientes hujus mundi, contra ferè omnes Legiſlatores, contra ſæculorum effata, & ſcita populorum. Scio me habiturum contra me omnes ferè nationes, gentes, populos & terras, ſummos quoque & infimos: ſcio me niti contra negotiorum omnium torrentem, contra omnium Hiſtoriarum monimenta, & contra communem omnium temporum conſuetudinem. Sed & rebus omnibus, & omnibus perſonis oppono ſummam ac divinam Verbi Sapientiam, quæ de ſe ita gloriatur: 1. Corinth. 1. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?* Et ſicut Deus undarum cumulos, & maris iram exiguæ arenæ cumulo frænavit; ita hunc diſcurſum omnibus oppono humanæ ſapientiæ quaſi fluctibus; nec diffidens quidem de victoriâ. Hunc verò totum in hodierni Evangelii exemplo conſumo; atque in uno, & ſi unquam fuit planè deteſtabili, impiorum hominum concilio, omnem humanam, & carnalem prudentiam accuſo, cujus intolerabiles errores hoc ordine vobis oſtendo.

I. Error eſt in delectu eorum, qui in conſilium adhibentur, & vocantur in concilium: qui continetur in illis verbis, *Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium.* Quâ in re accuſo Prudentiam carnalem ſtultitiæ, & malignitatis maximæ: Et ut mea mens intelligatur:

Nota 1. Me non reprehendere conſultationem, & deliberationem in rebus omnibus: Rectè enim dixit Plato ex veteri Proverbio, ἱερὸν ἀληθὲς ἐστιν ἡ συμβουλία, quiddam ſacrum profectò conſultatio eſt. Immò contrarium planè intolerabile, præſertim ubi hæc duo concurrunt, 1. Res magni momenti: nam ut ait Vellejus lib. 2. Magna negotia magnis adjutoribus egent: 2. Res dubia: uti enim naves non rectè fundantur aut in mari aut in portu, niſi anchorâ; ita nec mens poteſt ſecura eſſe, aut firmari niſi conſilio: alioqui enim omnia inter homines aguntur ſummâ temeritate, & in eventus tantùm fortuitos, qui modus eſt contra rationem. Hinc quippe fit primo ut multi fine careant, vel nullum intendant finem, in quo animantibus pejores ſunt. Nam ſi plurimos interroges quem ſibi finem proponant in vita, reſpondere vix poſſunt; quia haud ſcio an ea re unquam cogitarint. 2. Vt licet in communi finem aliquem habeant, omnia tamen ſua regant ſine judicio, quia nec conſultatione nec deliberatione utuntur; ſed de fine cogitant tanquam de termino, non tanquam de ſcopo; de termino in quo deſinant, non de ſcopo in quem perveniant. Itaque non in eo Judæorum Pontifices & Phariſæos reprehendo quod concilium coëgerint; præſertim cùm res gravis eſſet & digna deliberatione: cùm enim audiviſſent Chriſti miracula præſertim Lazari reſurrectionem, digna res fuit ut à ſapientibus æſtimaretur, tanquam res magni momenti.

Nota 2. Non quoslibet aptos eſſe ad conſulendum de omnibus; ſicut de domus ædificatione, non medicum aut muſicum ſed Architectum conſulueris. Atque hac etiam parte Pontifices non

cap 2. *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius* Propterea ſtulta fere, eſt hominum conſultatio Iſaiæ 19 *Stulti princeps Taneos, ſapientes conſilarii Pharaonis, dederunt conſilium inſipiens:* &c. *Vbi nunc ſunt ſapientes tui, an nuncient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum ſuper Ægytum.* 2. Non ratio & judicium, non veritas adhibentur in conſilium, ſed paſſiones & cupiditas, amor proprius, & utilitas propria. Nemo enim ſincerè veritatem quærit; Et bene omnes ante conſultationem ſe determinant : Ita hi Iudæi. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Illuſtre huius rei habemus exemplum in Achab, qui de bello ſuſcipiendo contra Syros, noluit Michæam prophetam Domini, qualem illum eſſe, ipſemet agnoſcebat, conſulere ſed 400. Prophetas Baal, unde miſerabiliter periit uti dicitur 3. Reg. cap. vlt.

II. Error eſt in rebus de quibus eſt conſultatio: quâ in re humanam prudentiam impietatis accuſo. Vt melius intelligatur.

Adverte in re de quâ deliberatur variis modis peccari ab hominibus 1. Enim pauci intelligunt deliberationem, cuius finis eſt Electio non eſſe niſi mediorum, hanc autem ſupponere intentionem finis : ut enim media ſunt propter finem, ita deliberatio oritur ex finis intentione. Porro omnis finis habet rationem boni; omnia enim, ait Philoſophus, bonum appetunt: unde ſequitur non niſi bonum intendi poſſe : nemo quippe intendens in malum, operatur. Cum autem media debeant fini eſſe proportionata & cōvenientia, & omnis finis ſit bonus, immò ipſum bonum: media bona eſſe debent, & conſequenter non niſi de bonis mediis fieri debet conſultatio: paſſim tamen homines de rebus malis deliberant, & conſulunt.

2. Omnis ferè hominum deliberatio fit circa res mundanas, nulla autem vel rara, circa morales: cum tamen deliberatio ſit proprium rerum moralium inſtrumentum, unde ab Ariſtotele virtus definitur ἕξις προαιρετική habitus electivus. Sed præclara ingenia, cum in negotiis terrenis plurima inquirant, pauca tamen admodū inquirunt de virtute, & de ſalute.

3. Omnis ferè deliberatio fit de adjunctis & circumſtantiis rerum, non autem de capite rei: verbi gratia, deliberatur cui nubat aliquis, non verò an nubere debeat: cui officio ſe addicere quis debeat, non autem an illi expediat ſe alicui officio addicere.

Sed ex his tribus nihil pejus eſt quam de re mala deliberare, & vim ingenii, quam ad res bonas nobis Deus dedit, in res malas impendere.

Hoc poſito vide de qua re deliberarint Iudæi. Nam cum rei natura id poſceret, ut de recipiendo Meſſia, & modo eum recipiendi atque credendi in eum deliberarent (quid enim aliud ſperare debueras, ex cognitione tanti miraculi?) deliberant de ipſius morte : *Quid facimus: quia hic homo multa ſigna facit:* Vide ergò impietatem, quia de morte & de ſanguine Chriſti deliberant; ac vide caput deliberationis, non enim deliberant an ſit morte tradendus, nec ne; ſed de modo quo ſit interficiendus. Nam ſi de morte ei inferenda ageretur, diſputandum fuiſſet de ejus innocentia, aut criminibus: ſed cum nihil haberent quod verè objicerent, itaque ſcirent innocentem, ſed tamen odio in illum ferrentur, hoc habent certum, eſſe perimendum.

Tota igitur cauſa in eo vertitur, ut quærant cauſam propter quam perimatur, & talem ut ejus mors juſta eſſe videatur. Id patet ex ſententia Caiphæ : Cùm enim varias reſponſiones audiſſet, ita tandem concluſit: *Vos neſcitis quidquam*, hoc nimirum ſufficere dixit ad eum perimendum, quod illius morte, licet innocentis, cæteri liberarentur. Agitur itaque de modo juſtificandi mortem ipſius. Vide ergo ex

ex materia & obiecto conſultationis, quam ſit impia ea conſultatio. *Simeon, & Levi: fratres, vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea*, &c. Ab hoc exemplo, ad communem hominum tranſeamus conſuetudinem.

Age enim de quibus homines conſulunt? An non de oppugnando paupere? de innocentibus per caluminam opprimendis? Quid porro agitur? An quæritur benè an male id fiat, aut licitum ſit? certe minimè: ſed quo prætextu id fieri poſſit, quo velo, quo obtentu. Id ferè ſolum apud homines tractatur. Vnde hominum deliberationes ſolent eſſe impiæ, cum conſultationem, rem planè divinam, in rebus iniquis impendant. Atque ut omittam quæ maioris ſunt momenti, ratione Rerumpublicarum, & Imperiorum, dum conſulitur, quâ ratione finis Imperii ſint proferendi, nunquam autem, an liceat: ut omittam etiã quæ in conciliis publicis ſæpe tractantur, quia hæc non ſunt huius loci: quam ſæpe videas tractari, quomodo ſumenda vindicta de hoc homine, quomodo illius fortuna diſperdenda, quomodo favor diſſipandus, qua ratione honor deprimendus quibus modis opes comparandæ? Nuſquam autem conſulitur an liceat ſe ulciſci, & alia ſexcenta.

II. Error eſt in modo conſulendi. Qua in re humanam prudentiam accuſo cæcitatis, & perverſitatis. Atque ut ab exemplo noſtro non diſcedam: Cæcitas fuit, quoniam errarunt in illatione. Etenim contraria deduxerunt iis quæ ex illorum argumentis ſequebantur, ut acutè notavit Toletus, apud quem hæc pleraque habes. 1. ſiquidem ita ratiocinantur: *Hic homo multa ſigna facit*, igitur oportet in eum inſurgamus, nec differamus de medio tollere: dicunt enim. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Et hic diſcurſus omnino pravus eſt. Ex hoc quippe principio *hic homo multa ſigna facit*, quod ipſi admittunt, non erat inferendum, igitur in eum invehamur, eique obſiſtamus, ſed potius, recipiamus eum & credamus ipſi, ut notat Auguſtinus tract. 49. in Ioan. Nam admoniti fuerant ab Iſaia, ex miraculis Meſſiam agnoſcere quo argumento ſemper uſus fuerat Chriſtus, *Si mihi non creditis, operibus credite*: Ita Nicodemus *Nemo poteſt hac ſigna facere qua tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*: Ita cum Ioannes ſuos Diſcipulos ad Chriſtum miſiſſet, *tu es qui venturus es, an aliũ expectamus?* poſtquam rebus & factis reſpondiſſet, multis coram illis patratis miraculis? tum addidit: *Euntes renuntiate Ioanni qua vidiſtis, & audiſtis: cæci vident, claudi ambulant*, &c. Itaque rectè ait Auguſtinus, nos debere miraculis, mundi converſionem. Et quidem multi, viſâ Lazari ſuſcitatione crediderunt in eum. Vnde vides eorum ineptam concluſionem, ex miraculo deductam.

Alter diſcurſus cœcus hic fuit, *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum*. Profectò decepti ſunt: immò quia non dimiſerunt ſic, ſed occiderunt omnes crediderunt in eum. Ita prædixerat Iſaias c. 53. *Si poſuerit pro peccato animſuam, videbit ſemen longævum* Et Chriſtus Ioan. nũ 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*, & illud aliud. *Niſi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.*

3. Diſcurſus cœcus hic fuit: ſi crediderint omnes in eum, *venient Romani & tollent noſtrũ locum & gentem*. Non erat ita inferendum: ſed hoc modo, venient Romani, & credent etiam in eum: nam qui tanta ſigna faciebat, & Iudæos converterat, Romanos convertere poterat, cum hi nullum ex diis ſuis adeò potentem fingerent. Ad hæc, Scripturæ pollicebantur gentium converſionem Iſa. 2. *Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi*: & cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo*,

Digitized by Google

tuo, & Regis ſplendore ortus tui. Quòd ſi Romani credere nollent, ſed eos vellent opprimere: confidere debuerunt, ſe per illum poſſe Romanos debellare, qui mortuos ſuſcitabat: nam multas gentes unius Prophetæ auxilio vicerant.

4. Diſcurſus tacitè inſinuatus: ſi non dimittimus ſic, non venient Romani, nec tollent hunc locum & gentem: in quo decepti ſunt, imo quia non dimiſerunt, ſed occiderunt, propterea venerunt Romani, & tulerũt locũ & gentẽ: uti prædictũ à Daniele c.9. *Occidetur Chriſtus,* &c. *Et civitatẽ & Sanctuariũ diſſipabit populus cum duce venturo*: quod ſignificarat Lucæ 19. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Cæca igitur conſulatio eorum qui illis modis inciderunt in laqueos, quibus ſe fugere poſſe crediderunt.

Quod ſi à Iudæis ad nos gradum faciam; quàm ſimilis eſt multorum cæcitas? Quam multi dicunt cum impiis, Iſaiæ 22. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Immò, ait Auguſtinus, Quia cras moriemur, hodie lugeamus ac fleamus. Quã multi dicunt cũ illo divite Evangelico, qui cũ videret multos fructus atq; proventus ſibi obveniſſe, ſecum ſic conſultabat, Lucæ 12. *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* cumque concludere debuiſſet reddendam Deo gratiarum actionem, faciendas oblationes in templo, & uberes eleemoſynas in pauperes, ſic concluſit. *Hoc faciam: deſtruam horrea mea maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ. Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce: comede, bibe, epulare*: Audiſti conſequentiam hominis ebrij bonis ſuis. Putas rectè concluſit? Audi judicium Dei eâdem nocte ipſi denuntiatum, *Dixit autem illi Deus; Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Arguitur ſtultitiæ & cæcitatis qui ſic concluſerit. Quàm multos ſic Deus redarguit? Videas qui ſperarent, hęreditatẽ quâ obtenta cũ bonis abundarent, & jam ſe fruituros putarent, cum malè concluderent, ſtultitiæ à Deo redarguti ſunt, & ipſo facto reprehenſi. Quàm multis in mentem venit; adhuc juvenis ſum, itaque indulgebo genio; ut ſcilicet nulla ætas ſit innoxia; iam ſum ætate provectus, & ſenex, itaque placet quieſcere; &c. Sed memento te nihil ad æternitatem comparaſſe, nulla merita, nulla benefacta. Quæ quies tibi, nihil unquam Dei cauſa feciſti? Hæc mulier pulchra eſt; itaque, inquit in conſultatione ſuâ, ſtudioſius comere, atque ornare ſe debet, quaſi ipſa pulchritudo non ſatis libidinem concitaret: Quam rectius concluderet cum Tertul. lib de cultu Fœmin. cap. 2 nimium decorem obliterandum diſſimulatione, & incuria? Sed dies me deficeret ſi omnium hominum errores perſequi vellem.

De cæcitate dixi. Vide perverſitatem in conſultatione: Quia fidem medio poſtpoſuerunt, & temporalia ſpiritualibus prætulerunt, in quo ſumma eſt perverſio. Etenim fidem in Chriſtum vel veram, vel falſam putarunt: Si veram, elegerunt magis temporale regnũ quam credere. Id enim ſignificant ea verba: *Venient Romani & tollent noſtrum locum*: hoc enim eſt dicere, ne tollant Romani locum noſtrum, faciamus ne in eum homines credant: Si non exiſtimabant veram fidem, dicere debuerunt: Si dimittimus ſic, credent omnes in eum, & religio vera deſtruetur, & fideles peribunt: maius enim erat damnum ſpirituale, quam temporale. Seu igitur veram, ſeu falſam fidem crediderunt, ſpiritualibus temporalia prætulerunt; cum tamen vera religio conſervet temporalia regna. Vnde, ut advertit Auguſtinus tract. 49. in Ioan. temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam

Digitized by Google

ternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt.

Quid hic de nobis conquerraris ſatis difficile poſſum dicere, ita in plurimis delinquimus: Ego enim ut verum fatear hunc ego exiſtimo communem eſſe omnium mortalium ſcopulum ad quem adhæreſcant: 1. quod finem mediis poſtponant. Hinc præpoſtera omnia conſilia: 2. quod ſpiritalia temporalibus, æterna perituris. Hinc nefandæ illæ, atque impiæ propoſitiones Politicorum, qui ſtatum Reipublicæ Religioni anteponunt qui Religionem Reipublicæ ſervire cogunt; Qui in illis quæ per ſe bona ſunt, non attendunt, quòd juſta ſint, ſed quòd utilia; in illis non Dei voluntatem aut legem, ſed ſua commoda quærunt. Hinc profectæ impiæ leges, impia judicia, conceſſiones impiæ, modò res externæ non lædantur. Hinc profectum, ut Dei offenſæ non puniantur, ſed Principum & Magiſtratuum. Sit enim aliquis in Deum blaſphemus; id fecerit impunè: at ſi in principem, punietur; *&c.* Hinc in noſtris negotiis, contractibus, actionibus, non attenditur quid legitimum, quid licitum, quid ſecundum Dei leges: ſed tantum quid utile, quid commodum. De liberis cura eſt, ſi in literis, ſi in aliis externis proficiant; de moribus, de pietate, nulla cura eſt. Si uxor quærenda, ſi eligendus maritus, omnia externa quæruntur, de illis ſumma ratio; nihil de moribus, nihil de virtute, nil de fide inquiritur. Hoc errore Loth elegit in Sodomis commorari cum tantum rationem, haberet ſoli feracis ac fertilis, non autem malitiæ habitatorum: unde factum ut rerum omnium jacturam fecerit, ac vix ipſe ſalvus fuerit ab incẽdio. Hinc illud ſtudiũ per fas & nefas augendi ſua: nullum ibi ſcelus. Omnia attentantur. Ad hæc: nullus niſi de rebus temporalibus timor, nullus dolor.

Sed vide duplex in ea re Dei judicium. 1. Quod ſpiritalia ſimul & temporalia amittantur, uti in Iudæis oſtendimus. Memorabile eſt factum Ieroboami, quod jam alio loco commemoravi, ſed hic iterare non piget. Is cum Rex Iſrael creatus eſſet, ac vereretur ne paulatim populus, dum ex lege in Templum Hieroſolymitarum, quod erat in regno Iuda proficiſceretur, ad domum David deflecteret; conſilio pernicioſo, contra legem Dei, in urbe regni ſui principe fanum excitavit, & pro arca Dei vitulos aureos adorandos expoſuit: quæ fuit occaſio, ut Deus iratus, non modò ei regnum abſtulerit, ſed omnem etiam poſteritatem ejus aboleret, inſigni documento ne quiſquam deinceps ſperaret, poſſe ſe rem ſuam irato Deo promovere.

2 Iudicium Dei eſt, quòd Deus ex ipſa re, qua homines ipſum offendunt, ut aliquid tẽporale, aut acquirant aut conſervent, aut aliquid impediant, eadẽ inquã ipſa re utatur ad exitũ planè contrariũ: Ita in Ioſephi fratribus oſtenſum eſt: qua enim re voluerunt impedire, ne ipſius ſomnia implerentur, nempe eius venditione, eadem ipſa Deus uſus eſt, ut fieret quod nolebant. Eodem recidit Pharaonis conſilium de pueris Hebræorum interficiendis. Eodem quoque devenit conſilium Saülis in Davide perſequendo. Vide Greg. in c. 12. Iobi l. Mor. Denique pari modo, qua ratione Phariſæi voluerunt impedire ne venirent Romani, nempe Chriſtum occidendo, eadem ipſa factum eſt ut Romani venirent, tantum ſcelus ulturi: ut ſciant homines non ſibi licere invito Deo, ad ſuorum deſideriorum finem, atque exitum pervenire. Quapropter de Deo ſic Iobus pronuntiat c. 5. *Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia pravorum diſſipat.* Et Greg ſubdit. Sic divinum conſilium, dum evitatur, impletur: ſic humana ſapientia dum reluctatur, comprehenditur. Itaque Salomon Proverb. 21. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Quid ex hoc concludendum

Digitized by Google

dendum ſit docet Gregor. l. 6. Moral. Reſtat ergo, inquit, ut in cunctis quæ agimus vim ſupernæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognitæ, debet noſtra actio devotè famulari, & quaſi ducem ſui itineris proſequi, ne ei etiam nolens ſerviat, ſi hanc ſuperbiens declinat:

IV. Error eſt in ferendâ ſententiâ, ſeu in judiciô, atque exitu conſultationis: quà in re humanam prudentiam reprehendo injuſtitiæ. Quid enim aliud ſperare potuiſſes ab ejuſmodi Conſiliariis, & ex tam cæcâ, atque perversâ conſultatione quàm exitum planè infœlicem? Id in Caïphæ ſententiâ videre eſt, qui ut caput nefarii concilii, ipſam humanam prudentiam in ſententiâ ſuâ mihi videtur exprimere, quæ ejuſmodi eſt; *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, nec tota gens pereat*: quibus verbis, Caîphas cæteros arguit ignorantiæ, quod neſciant, quid utile, & conveniens ſit, invenire, & decernere. *Neſcitis*, ait, *quidquam*: & eorum ignorantiam ſic explicat: Quia non cogitatis, nec advertitis expedire, unum potius mori, quàm totum populum, & gentem perire: ac ſi diceret, pro communi ſalute, ne omnes pereant: Vnum; etiam innocentem, idque abſque ullâ culpâ, expedit occidere. Hoc, inquit Toletus, definit appoſitè ad id de quô conſultabant: in eô enim laborabant, ut invenirent modum perimendi Chriſtum, quem modum non inveniebant, cum in eô culpa nulla reperiretur: nam ſi alicuius culpæ reus eſſet, ob quam jure poſſent perimere, non conſultarent: Sed cum ab una parte Chriſtus eſſet innocens, ex alia vero occidere vellent, quærunt qua ratione, & quo colore id fieri poſſit: quod cùm cæteri non invenirent, ſolus Caîphas viſus eſt inveniſſe, nempè pro communitatis, & totius populi ſalute, ne tota Iudæorum natio periret, expedire hominem licet innocentem perimere; quæ ſententia, in ſenſu ipſo Caîphæ, fuit injuſta & falſa: Iniuſta quidem: 1. Quia, non conſiderabat quid liceret, ſed quid expediret, ſeu quod eſſet utile, unde dixit, *Expedit*. 2. Quia, contra Iuſtitiam eſt innocentem occidere: & graviter peccavit Caîphas cum omnibus ei conſentientibus: de qua ſententia Pſaltes ait Pſalm. 40. *Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me*: Vide iterum iniuſtitiam; Non enim tantum innocentem morti tradere ſtatuerunt; ſed etiam in hoc iniuſti fuerunt quod pro re illis tunc incerta, mortem certam infligere decreverunt: quamvis enim res foret certa, non tamen liceret, nec expediret; multò minùs, ſi incerta ſit. Quod verò Caîphas Chriſtum agnoſceret innocentem, verba ipſa teſtantur: nam fatetur quidem ipſum multa ſigna facere; item ſe non invenire in eo cauſam; & ex eo ſenſu tantùm aſſerit expedire ut unus pro omnium ſalute moriatur. Quam in ſententiam omnes eunt, & ideò ſeriò inter ſe agentes, non jam ut aliàs, vocant Chriſtum ſeductorem, aut blaſphemum, aut Legis tranſgreſſorem; innuuntque tacitè hæc omnia à ſe eſſe conficta, meraſque eſſe calumnias, nec illum de iſtis poſſe convinci.

Iam quod hæc ſententia falſa ſit probatur 1. Quia innocentem, nec licet, nec expedit, pro ſalute Reip. perimere. 2. Quia iſta occiſio non fuit, ſecundum ipſorum ſenſum utilis & expediens pro populi ſalute: nam temporalem populi conſervationem intendebant, cui occiſio Chriſti fuit contraria, cum propter eam vaſtati fuerint & occiſi. Porrò hæc à me dicta ſunt ſecundum ſenſum Caiphæ & intentionē.

Subdit Evangeliſta: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit*: Senſus eſt; cum Caîphas ſuam ſententiam aliis verbis indicare potuiſſet, quæ non niſi eius intentionem malam exprimerent, præſertim cum loquendo nihil aliud ipſe vellet; Spiritum tamen Sanctum ea ei verba in-

ſpiraſſe, quibus aliud longè diverſum, & in ſolâ Sancti Spiritus intentione comprehenſum, quamvis neſciens ſignificaret: unde Chryſoſt. homil 64. ait cor Caïphæ non fuiſſe motum à Spiritu Sancto, ſed linguam, quia cum ille peſſimâ intentione ferretur, hoc tantùm voluit ſignificare, perimendum eſſe Chriſtum, ut gens Iudæorum temporaliter ſalvaretur; Sed neſciens prophetavit: nam ex intentione Spiritus Sancti, hæc potiùs verba, quàm alia inſpirantis, ſignificavit, ut notat Evangeliſta, *Quod Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantù pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum*: Prophetaſſe verò dicitur, quia ex inſpiratione, & intentione Spiritus Sancti id pronuntiavit: Spiritus autem Sanctus eius lingua ideò uſus eſſe dicitur, propter eius dignitatem: quia ſcilicet erat Pontifex anni illius.

Ab hoc exemplo diſce, mî Auditor, quid ſequatur ex malâ hominum conſultatione, nempè iniqua & falſa ſententia. Nam, ô Deus! quænam ſunt hominum conſilia? Videmus ex iis quæ moliuntur. Quàm multa contra innocentiam, famam, honorem, libertatem, Bona, fortunas & vitam? Quis hæc iudicia ab hominibus ratione præditis, & præceptionibus Chriſtianis benè inſtitutis, expectaſſet? Vide vide deliberationis concluſionem. *Ab illa ergo die, cogitaverant, ut interficerent eum*: Nempe placuit omnibus decretum, & ſententia Caiphæ. Idcircò ab eo die, firmiter propoſuerunt, & conſtituerunt eum interficere. Itaque illa eſt ſententia quæ Chriſtum peremit, non ſententia Pilati: cætera enim quæ ſequuta ſunt, fuerunt tantum huius primæ ſententiæ executio.

Quæ cum ita ſint, quod tandem judicium nos ferre debemus de humanâ & carnali prudentia, cuius intolerabiles errores audivimus, quàm adeò fallacem, cæcam, iniuſtam, perniciosam, & ineptam eſſe deprehendimus? An non prudentia Chriſtiana à nobis poſtulat, ut aliunde vitæ noſtræ regulas, & deliberandi documenta petamus? Nempe ab eo qui ex officio ſuo dicitur ab Iſaïa Conſiliarius. Vide num falli poſſit, *in quo ſunt omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauri*? num fallere poſſit qui eſt ſumma bonitas, & qui à Patre conſtitutus eſt hominum Magiſter & Doctor? Iſaiæ 30. *Non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum, poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in eâ: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: Neque nos tantùm verbis docere voluit, ſed etiam exemplis; ne admirabilis illa doctrina periret, voluit ut & præcepta eius & exempla literis mandarentur, in divinis illis Evangeliorum libris, & ſanctis Scripturis, in quibus veritate æternæ axiomata, & effata indubitata continentur, quæ eſſe poſſunt, & vitæ noſtræ &, noſtrorũ judiciorũ regulæ. Audi quomodo loquatur Ioannis 15. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et illud quidem eò magis facere debemus, quòd in ſanctis Scripturis contineantur omnis generis definitiones, rerum & actionũ judicia, omnium negotiorum exitus, cuiuſcunque vitæ exempla: unde Scripturam appellare ſoleo Inſtructionem univerſalem totius orbis, temporum ac ſæculorum, omnium quoque conditionum. Hinc enim principes & privati, hinc omnes ætates, hinc omnis ſexus documenta petere poſſunt: ad hanc regulam corrigere oportet Philoſophorum, Sapientum, Doctorum, & omnium hominũ effata & documenta: Ibi leges, quid poſtulet vita privata, quid publica, quid in utraq; fortuna: quid Deo debeas, quid tibi, quid proximo: Vide cap. 4. 5. & 6. Matth. Ibi leges etiam malè actorum pœnas, & meritorum præmia: Ibi diſces quid agendũ tibi ſit ut rectè vivas, ut ſanctè moriaris, quod eſt unum neceſſarium, & ita vitam æternam conſequaris. Ad quam, &c.

FERIA

FERIA SEXTA
DOMINICÆ PASSIONIS
CONCIO SECUNDA,
DE BONA ELECTIONE.

Eius neceſſitas & Natura.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium. Ioan. 11.

DIXIMVS de hocce nefando Conſilio, ejuſque conſultationem cæcam, perverſam & impiam fuiſſe oſtendimus: cæcam quidem in peſſima illatione, qua ex Chriſti miraculis eius mortem mali Pontifices deduxerunt: perverſam impiamque, qua finem medio poſtpoſuerunt, in quo eſt ſumma perverſio, & temporalia ſpiritualibus prætulerunt, quod eſſe ſummè impium omnes vident. At de his hactenus. Nunc occaſione tam malæ deliberationis, de bona conſultatione agere conſtitui, quæ quanti ſit momenti nemo ſatis mea quidem Sententia queat exponere. Atque ut id procedat melius, tracto quod eſt in ea præcipuum, eſtque ejus terminus, nempe Electionem: ſed prius petenda gratia. AVE MARIA.

QVod ſunt Angeli Cœlis quos regunt, Sol Aſtris quæ illuminat, Anima corpori, cui vitam impertit; quod facit Navarchus in Navi, Imperator in Exercitu, Rex in Regno, princeps rota in horologio, id efficit electio in rationali hominum vita. Amove Angelos à Cœlis, & erunt Cœli ſine motu; aufer Solem à mundo, vel lucem à Sole, Aſtra nihil niſi tenebræ erunt, & nocti alteram noctem inferent: ſejunge animam à corpore, quod ſuperfuerit ſolum erit cadaver: Ita ſi ſuſtuleris hominibus electionem & conſilium, nihil illis niſi perturbationem, temeritatemque relinques; & id unum cauſæ eſt, cur ubique quotidiè videamus tot fortunatum naufragia, domorum ruinas, negotiorum infœlices exitus, omnia ſuſque deque ferri, & confundi. Deeſt enim gubernator & caput; horribilis tantum ineſt ſeditio, ſimilis ei quæ excitatur in Rebuſpublicis, Rege, ſummoque moderatore vacuis, ubi neſcitur quid ſit de-

 libe

liberatio, quid conſultatio, quid electio. Nullus quidem reperitur qui non ſe addicat cuipiam vitæ ſtatui, ſed quotuſquiſque eſt in hoc cum delectu & ratione præſtet? Ex omnibus qui ſe in matrimonium conjiciunt, aut ſe muneribus publicis illigant, quanquam innumeri ſunt, quot reperies qui delegerint matrimonium aut Magiſtratus? hoc eſt, qui coram Deo deliberaverint, an conjugium eſſe ipſis præſtabilius meliuſque continentia an non ſibi periculoſius foret implicare ſe reipublicæ negotiis, quam privatim & ſine Magiſtratu viuere. Hoc eſt ſanè quod me inducit ad proferendas halce propoſitiones.

I. eſt, maximam hominum partem vivere ſine delectu ac deliberatione. 1. Quia plurimi fine carent, vel nullũ intendunt finem: & eiuſmodi homines pejores ſunt animantibus quæ omnes fines ſuos habẽt, uti patet ex conſtanti & uniformi earum agendi modo. Etenim ſi plures interrogem quem ſibi ſcopum proponant in vita, & quem finem; vix reſpondere poſſunt; ut qui de ea re minimè cogitarint, nec etiam ſi finis ſit aliquis ſciant: vel ſi reſpondent; inſanos ſe eſſe probant. Hic enim hoc unum cogitat ut vivat, alter ut edat, alter ut bonis præſentibus fruatur, parum de futuris ſollicitus, quaſi nihil ad ſe pertineant; quia haud dubie, illi omnes fine carent; unde etiam electione, quæ finem reſpicit.

2. Aliqui finem ſibi proponunt in communi: ſed quoniam fortunt & temeritate omnia agunt, non utuntur conſultatione neque electione, ac de fine cogitant, potius tanquam de termino, quam de fine: uti enim pueritia infantiæ, adoleſcentia pueritiæ, juventus adoleſcentiæ, huic ætas virilis, iſti ſenectus ſuccedit; ita huic noſtræ vitæ mortali, atque miſeræ ſuccedere putant alteram vitam beatam, etiamſi eam non comparent. Itaque univerſa omnia, ut ſeſe offerunt, accipiunt, atque illis utuntur, neque ulterius quidquam cogitant: quaſi vero beatitudinis conditio pejor ſit quam aliarum rerum caducarum, quæ non niſi labore, & induſtria conquiruntur.

II. propoſitio eſt, Eos qui utuntur electione, in duobus peccare 1. in objecto: 2. in modo & in progreſſu electionis quam faciunt præpoſte. è. Quoniam alii in rebus tantum humanis eam adhibent, atque in negotiis temporalibus, minimè verò in moralibus, cum contra fieri oporteret, quoniam ut dicebamus heri electio proprium eſt rerum moralium inſturmentum. Ita viri pollentes ingenio, cum in negotiis multa inquirant, pauci tamen admodum quærunt, *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Alii vero eam non adhibent in rei ſumma, & quaſi capitali, ſed tantum in adiunctis, & circunſtantiis: uti parentes non conſultant ac deliberant, an filiæ dandæ ſint nuptui, ſed cuinam dandæ ſint; in quo graviter errant, quia illud prius, longè maioris momenti eſt, quam ſecundum. Deliberatio igitur hominum eſt propria quia rationales ſunt, ac præſertim in iis actionibus in quibus agunt, ut homines ſunt, hoc eſt liberi, & circa mores.

Hinc ſequitur paucos admodum in eo ſtatu vivere, aut eſſe, in quo illos eſſe Deus vult: quia omnes ferè caſu, & fortuito conditionem amplectuntur. Quæ enim ſine deliberatione, & conſultatione ſuſcipiuntur, caſu fiunt, quæ autem caſu fiunt, raro ad ſuum finem perveniunt Quæ res quanti ſit momenti ex ſequentibus intelligi poteſt. 1. Quod vel ea ſola cogitatio maximam anxietatem, & timorem animæ incutiat. Nam quæ eſſe poteſt animi ſecuritas, ſi non noſti, *quia Deo placent opera tua*? Quis timor, eum vereris ne non placeant.

2. Quod multis gratiis privemur, quas nobis

nobis Deus, ex ſuppoſitione tantum huius ſtatus apparaverat. 3. Quod hinc ſalus longè difficilior reddatur: Nam cùm iri recta poſſet, nunc omnia ſunt convertenda in obliquum. 4. Quoniam maxima pars mediorum, quæ Deus apparatat, inutilia redduntur; quia cum illo aut illo ſtatu conjunctionem habent. 5. Quod multæ gratiæ, quæ futuræ erant efficaces propter proportionem, & convenientiam cum ſtatu, ſunt tantùm ſufficientes defectu proportionis. 6. Sicut ille qui contra naturam, & invitâ, ut aiunt, minervâ, artem aliquam profitetur vix unquam in eâ excellit: Ita neque tu in eo ſtatu, in quo te Deus non vult, proficies aliquando, quia illi non es aptus. 7. Sed quid dico ſalutem fieri inde difficilem, cùm ſæpè etiam moraliter fiat impoſſibilis? Certe ideo multi damnantur. Impoſſibilitas autem moralis duo ſignificat: 1. difficultatem maximam: quod unuſquiſq; maximè timere debet: nam ex multis aliis capitibus, ſalus maxime eſt ardua, & tam multa nos vel blandimenta, vel impedimenta removent á ſalute: 2. vix aliter inter homines contingere: unde ſæpe in multis deſperatio: quod ſi aliqui in alio ſtatu ſalventur, oportet eos non ordinariis tantum laboribus & ſolita contentione eſſe contentos.

Quoniam igitur ea res tanti eſt momenti, & alioqui ab hominibus ità paſſim neglecta; placet eam hodie vobis exponere, atque ex doctrina moralium Philoſophorum eam repetere.

Nota itaque I. Electionem non eſſe propriè finis, ſed mediorum propter finem. Probat S. Tho. ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 2. quia electio eſt concluſio ſyllogiſmi practici; finis autem locum habet promiſſarum, ſeu principiorum at concluſio ſyllogiſmi practici ſemper eſt de medijs; nam ſemper concluditur in ſyllogiſmo practico nobis eſſe agendũ; quod in finem cadere non poteſt, ſed in media, quæ propter aliud, hoc eſt, propter principium ſunt; quare finis eſt præſupponendus. Nihilominus licet in rebus moralibus finis ita ſe habeat, ut ſe habet in ſpeculativis principiũ, principia autem per ſe nota ſint, præſertim, ſi ſint prima; Quia tamen maxima eſt humanæ naturæ perverſitas, illud etiam principium ſtabiliendum eſt. Itaque.

Aſſero 1. Dari aliquem finem humanæ creaturæ.

Probatur 1. Quia alioqui non eſſemus: Vti enim ſine cauſa efficiente nemo eſſe poteſt, ita neque ſine fine: quia prima omnium cauſa eſt finis, ſine qua efficiens non agit, quia à fine movetur ad agendum.

2. Quia ſi alia minus perfecta habent finem, uti patet ex rerum omnium conſtante uſu, multò magis homo finem habet.

3. Quia temerè & caſu non exiſtimus, uti patet ex tam conſtante ſibi natura, in hominum efformatione, quod non fieret ſi homines caſu exiſterent: quod ſi non caſu; igitur propter finem.

Aſſero 2. Illum hominum finem eſſe Deo obſequi, & illo tandem frui in vita æterna: Cætera autem rationem habere mediorum.

Probatur 1. Quia finis eſt id quod efficiens intendit; Deus autem propterea homines creavit; igitur is eſt hominum finis. Antecedens patet ex Scripturis, & ex doctrina Patrum: Feciſti nos Domine ad te, ait Auguſtinus, & Proverb. 16. *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: Vnde humani cordis inquietudo eſt motus perpetuus, donec in Deo conquieſcat, tanquam in fine.

2. Quia cum tantum fingi poſſit triplex rerum ordo, Deus, homo, & aliæ creaturæ; certè neq; ipſe ſuus eſt finis, neque aliæ creaturæ;

igitur Deus. Non quidem ipſe ſui, quia cum finis ſit cauſa, & id quod propter finem, effectus; & omnis cauſa diſtinguatur ab effectu; ſanè homo non poteſt eſſe ſui ipſius finis: Ad hæc: cùm prima omnium cauſa ſit finis, homo autem ſit poſt efficientem, etiam ſub ratione poſſibilis, ſequitur hominem non poſſe eſſe ſui ipſius finem. Iam neque res aliæ creatæ ſunt hominis finis. Non corporeæ, quia ſunt ipſo imperfectiores, igitur reſpectu hominis non habent ſimpliciter rationem finis; ſpiritales verò licet ſecundum naturā ſint perfectiores, tamen cū per gratiā & auxilium ſupernaturale, tàm ſit homo capax beatitudinis, quàm Angelus, idcircò ratione finis non eſt illo inferior. Prætereà ex hominum creatione, & poſitione, non ſequitur neceſſariò creatas eſſe Intelligentias, igitur oportet Angelum, non eſſe hominis finem. Sequitur itaque Deum eſſe finem hominis. Porrò duplici tantùm modo, homo ad Deum pervenire poteſt; aut ei ſerviendo, aut eo fruendo: primum pertinet ad hanc vitam, alterum ad futuram: Relinquitur itaque hominis finem eſſe obſequi Deo, ac tandē vitam æternam aſſequi. Etenim uti arca Noë non quievit niſi in ſumis Armeniæ montibus; ita neq homo niſi in Deo, ideóque non ſine causa dixi cætera habere rationem mediorum. In quo vides ſummam Dei bonitatem, qui nobis tantam mediorum copiam ſuppeditavit, ut nemo ſe excuſet, ſi ad finem non perveniat; cùm tot habeat vias atque modos ad eum perveniendi.

Hinc ſequitur. Circa rem unam non eſſe deliberandum, ſed pro certa habendam illam eſſe; nempe, vitam æternam nobis eſſe comparandam, vel cum rerum omnium jacturâ, vel per cruces, tormenta, incendia, & difficillima quæque; quoniam abſolutè loquendo, finis eſt comparandus: de qua re nec diſputandum eſt, nec deliberandum. Et inter cætera omnia illud manet inconcuſſum; ſalutem aſſequi oportet; tanquam primum principium, cui nemo, niſi amens, aut furioſus contradicere poteſt. Tu quidem deliberare potes, an ſis hoc vel illud facturus; an uxorem ducturus an non; an te addicturus illi arti, aut profeſſioni, an non: Sed nullo modo, an te ſalvari oporteat: Ac licet multi Philoſophi diſputarint, in quo ſummum bonum conſiſteret, nemo tamen diſputavit an eſſet quærendum: hoc enim eſt principium per ſe notum.

Quare 1. hinc poſſumus intelligere quanta ſit hominum perverſitas, qui rem Sole clariorem non videant.

2. Quodnam ſit principium & fundamentum omnium noſtrarum deliberationum, & unde omnes noſtræ concluſiones trahendæ: Ex ea ſcilicet propoſitione, ac veritate per ſe nota: ad hoc natus ſum, ut Deo ſerviam, & Deo fruar. Atque illud principium ſæpè eſt pueris iterandum, ut ſciant quamobrem nati ſint. Nam ſicut prima principia, ut per ſe nota ſunt, ita per ſe intelliguntur, modò termini explicentur; ita hoc principium parvulis exponi debet, atque inculcari, & ruſticis, & ignaris hominibus, quoniam omnes illud intelligendi capaces ſunt. Illis itaque oſtende rerum omnium varietatem, atque ordines, eoſque doce, non propter hæc omnia illos eſſe, ſed propter unum Deum. Et ſicut pueri aſſuetudine, ex omnibus hominibus & mulieribus facilè agnoſcunt ſuos Patres, & Matres, dùm illos quotidie appellant; & ſicut ex omnibus domibus, ſuam agnoſcunt, in quam excipiuntur, cum à cæteris excludantur: Ita illis paſſim inculcandum, ut ſciant ſe Dei unius causa eſſe, in unum Deum tendere, ad hoc natos eſſe ut Deum aliquando poſſideant, illoque fruantur, non autem ut fruantur rebus creatis quæ ab ipſis videntur.

Nota II. Cum circa finem tres actus verſentur,

ſentur, cognitio, amor, & intentio, ſeu deſiderium efficax; ante deliberationem ſupponi illos tres actus: quia cũ actus ſequantur obiecta, eundem etiam ordinem inter ſe habent quem habent eorum obiecta: cum itaq; finis præcedat media, & deliberatio ſit circa media, actus qui finem reſpiciunt debent præcedere.

1. Itaque omnium actus debet eſſe finis cognitio: quia voluntas non fertur in incognitum. Porro illa finis cognitio non debet eſſe tantum, 1. Habitualis, ſed actualis: alioqui nemo movetur, niſi ab actuali cognitione: in quo multi graviſſimè delinquunt, dum ea de re adeò ſibi neceſſaria minimè, aut rarò cogitant. 2. Non debet eſſe confuſa ſed diſtincta: quia ex confuſa cognitione nemo pervenit in finem; ſed ex diſtincta: ſicut nemo per nebulam, aut dubiam lucem, ſcopum certò attingit: Ad hæc; omnis etiam qui non pervenit, operatur ex confuſa cognitone finis: Nam in rebus omnibus obſcurè tendimus in finem: Siquidem qui pulchritudinem corporum ſectantur, qui honores, qui opes, quia quædam ſummi boni veſtigia in iſtis rebus deprehendunt, in illud aliquo modo tendunt: ſed quia hærent in umbra, ad corpus non perveniunt.

3. Non debet eſſe generalis ſed particularis: Itaque non ſufficit ut ſcias hunc eſſe naturæ rationalis finem; ſed oportet ut ſcias tuũ eſſe in particulari: ut hoc ſcilicet intelligas: Ego non ſum propter hanc aut illam creaturam, ſed propter Deum: Neceſſariò ſalvari debeo: cætera, reſpectu mei ſunt indifferentia: rebus omnibus poſſum carere, ſine magno diſpendio: unum eſt neceſſarium, ſalus & Deus.

2. Actus circa finem eſt amor: Ratio eſt, quia finis habet rationem boni; ultimus autẽ finis, rationem ſummi boni. Porrò ille actus neceſſariò ſequitur ex cognitione finis, quia tàm multæ ſunt huius boni illecebræ, ut ad amorem provocet, eouſque nemo ſit qui finem illum, ſi modo norit, non amet: Vnde illud dictum Auguſtini, mimum reprehendentis, qui quod omnes vellent cum ſe dicturum eſſet pollicitus; id ſubiecit, carò vendere, & parvò emere, quod negavit Auguſtinus eſſe omnium; ſed illud eſſe certum, cupere omnes felicitatem. Immo in damnatis non de eſt ille amor felicitatis; ac nemo ita perverſus eſt, ut eam non amet. Sed qui errant in eo, tantum errant, quód eam alibi quærant, quam ubi ipſa ſit. Verum, nunquam eſt ille actus, niſi adſit actualis cognitio: ut ſcias quid perdas, niſi cogites. Nemo tamen putet ſe bonum eſſe ſi ſic amet: quia & ille amor in impiis eſt; & omnis qui malè amat, hoc amat; ſed non amat eo modo quo oportet.

Quare 3. Actus requiritur circa finem, nempe intentio finis, ſeu deſiderium efficax, quod includit generalem mediorum voluntatem: quem actum S. Thomas diſtinguit ab electione, & conſenſum appellat. Quia nimirum ubi intellectus finem nobis acquirendum propoſuit per aliqua media poſſibilia, ſi intendat voluntas, eſt quidam eius conſenſus in eam rem, quæ ipſi ab intellectu propoſita eſt. Itaque voluntas finis includit voluntatem utendi mediis neceſſariis ad ſalutem, quæcunque illa ſint: Quia non eſt tantum amor complacentiæ circa finem, ſed amor efficax, & ei⁹ intentio. Vnde petitio legis periti hæc fuit: *Quid faciendo vitam æternã poſſidebo?* Non enim quæſivit, an eſſet poſſidenda vita æterna: Nõ etiam an eſſet aliquid faciendum: hoc enim ſupponitur, ut evidens: ſed quæſivit, quid ſibi eſſet faciendum: oſtendens ſe ad id omne quod ad vitam æternam neceſſarium erat, paratum eſſe.

Atque inde originem habet conſultatio: Nimirum oritur ex præſuppoſitione finis; deinde ex actibus circa finem: ſcilicet ex cog-

nitione

gnitione finis; amore eiuſdem; denique ex intentione ipſius. Etenim ex voluntate illa generali faciendi quidquid eſt neceſſarium ad ſalutem, naſcitur illud ſtudium inquirendi, *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Quæ res iſta duo ſupponit: 1. oportet me ſaluari; cætera accidant, ut ſors feret, per me id licet; porrò unum eſt neceſſarium, oportet me ſalvari. 2. Quidquid mihi eſt neceſſarium ad ſalutem, illud mihi præſtandum eſt, quodcunque tandem ſit, ſeu difficile; ſive gratum, ſive grave, & incommodum; ſive futurum id fuerit cum oblectamentorum meorum commodorumque jactura, ſive cum eorum conſervatione, nullo habito reſpectu ad repugnantiam aut expletionem propenſionis meæ; quoniam id unum mea ſingulariter intereſt, & poſtpoſitis omnibus reliquis, ſalvum eſſe me oportet, ac eadem neceſſitate, oportet mihi velle media, ſaluti meæ neceſſaria. Vnde fit ut non deliberetur ſuper fine, quia præſupponitur, neque ſuper mediis in genere, quandoquidē præſupponitur intentio finis: ac proinde non deliberatur an oporteat ſalvari, nec utrùm aliquid faciendum ſit, ad id aſſequendum; certum eſt enim ſi ſit finis, eſſe quædam media neceſſaria: ſed quæritur, quid ſit faciendum, & in ea inquiſitione conſiſtit deliberatio, cuius terminus eſt electio certorum mediorum.

Hinc ſequitur non leviter eos errare, qui finem mediis, non media fini ſubordinant, ratione planè præpoſtera, ipſoſque nec rectà tendere ad Deum, ſed obliquè Deum ad ſuas voluntates, & conſilia trahere: ut qui matrimonium inire, aut Eccleſiaſticum munus aut beneficium accipere primitus ſtatuunt, atque ita demum Deo ſervire; cum è contrario deberent ſibi finem ſuum proponere, nimirum Dei obſequium, & ſalutem æternam; atque videre, num matrimonium, aut alius ſtatus huic fini aptius conveniat. Nam cum unus ſit finis, cætera ſe habent tanquam media, quare poſt finem ſumi debent, non autem antè finem, quod contrà iſti faciunt.

Nota III. Si finis aſſequendi unum tantum eſſet medium, opus non eſſet deliberatione: Itaque cum feræ animantes determinata habeant media non deliberant; ſed cum in hominibus varia inſint media, deliberatio in illis habet locum; Eadem ratione licet plura eſſent media, ſi tamen omnia eſſent neceſſaria, nulla opus eſſe deliberatione: unde ſequitur, ſi Deus quædam propoſuit ut neceſſaria, abſolutè illa eſſe amanda. Ita Sacramenta inſtituit; fidem unam: Ita neceſſariam voluit mandatorum obſervationem: & propterea circa eiuſmodi nulla fieri debet deliberatio. Hoc ſenſu tres pueri, Daniel 3, reſponderunt Regi Nabuchodonoſori imperanti adorationē ſtatuæ. *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi: Ecce enim Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare: quod ſi nolueris, notum tibi ſit Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream quam erexiſti non adoramus.* Verum inter ea, quæ ſingula non ſunt neceſſaria, manet eligendi poteſtas: ut in vita plures ſunt conditiones, plures actiones. Electio ſiquidem non fit niſi inter plura: eſt enim unius præ alio amor: utpote quæ ex Ariſtotele lib. 3. Ethic. cap. 2. dicitur προαίρεσις, ὡς ὂν πρὸ ἑτέρων αἱρετόν. Quaſi quod præ aliis ſumendum: quod dici non poteſt niſi reſpectu plurimum.

Nota IV. Iſtam prælationem unius præ alio faciendam eſſe reſpectu finis: quia cum media non ſint per ſe amabilia, ſed tantum propter finem; ita inter ſe abſolutè comparari non debent, ſed habita ſemper ratione finis: qua in re multi committuntur errores. Nec etiam illud generaliter, & abſolutè fieri debet, ſed mei reſpectu, quia finem ſpecto ut à me acquirendum, Ita David 1. Reg. cap. 17. non potuit uti armis Saül quibus eum induit pugna-

pugnaturum contra Goliath, eo quod armorum uſum non haberet. Itaque in his rebus non ſemper valet exemplum. Nec valet argumentatio, ab uno homine in alium petita: uti cum dicitur pluresesſe in ſæculo ſalvatos: plures in eo officio, in ea conditione, in iis negotiis ſe benè geſſiſſe: hæc enim ſpectanda non ſunt ſecundum communes rationes, ſed ſecundum proprias, & particulares. Ea ita que media præ aliis eligenda ſunt quæ maiorem habent cum fine proportionem, ac mefacilius in finem deducere valent.

Nota V. Vti finis debet eſſe bonus (nam bonum per ſe, & finis convertuntur) ita etiam media bona eſſe debent: itaque in conſultatione, mala cum bonis comparari non debent: ſatis enim conſtat deſerenda eſſe mala, eligenda autem eſſe bona, vel potiùs ſimpliciter amanda: Omnis igitur electio eſt inter bona, cujus terminus eſt, ut relictis minùs bonis meliora eligantur: In quô vides multorum deceptionem, qui ſibi ſatis eſſe putant, ſi mala fugiant, & omittant bona; atque ſe legi ſatisfacere putant, cùm dicunt ſe illicitis non immiſceri: illi enim ſi hoc tantùm habeant, nondum electionem inchoarunt.

Nota VI. Electionem præcipuè fieri debere circa ſtatum vitæ, tanquam circa rem maximi momenti, & quæ deſeri non poteſt, & ex quâ fere omnia noſtra pendent: Deinde circa res principales vitæ noſtræ; circa uſum bonorum; circa teſtamenta: circa ordinationem, ac diſpoſitionem aliorum qui nobis ſubſunt, ut accidit in Parentibus, qui de liberis diſponunt, quod illis invitis aut inconſultis, fieri non debet; quoniam tanti illorum intereſt: Neque enim cogere illos debent ad Matrimonium, multò minus ad Statum Religioſum, cùm illud prohibeatur à Concil. Trident. ſeſſ. 5. de Reform. cap. 18. ſub pœnâ excommunicationis; ut & contrarium vetatur, ne ſcilicet impediantur ingredi Religionem. Eôdem modo circa conſcientiæ ſuæ regimen, Sacramentorum uſum, domeſticam diſciplinam, in veſtibus, ſumptibus, menſâ, ludo, & aliis rebus maioris momenti: quoniam hæc maximè ad finem noſtrum conducunt, cum potiſſimam vitæ noſtræ partem contineant. Præcipuè tamen Electio idonea facienda eſt in iis quæ ſunt immutabilia: quia alioqui ex eius neglectu, error natus diuturnior eſt, atque gravior, cum nihil ſuperſit aut eligendum, aut mutandum.

Ex his omnibus naſcitur faciendæ bonæ Electionis obligatio, quæ quanti ſit momenti, facilè ex dictis intelligi poteſt. Nunc ſupereſſet modū illius faciendæ vobis oſtendere: ſed hoc opus in alteram diem reiicio, ne diuturnior oratio vobis afferat faſtidiū. Solummodo de ſequentibus pauca vos interrogo.

1. An ita vivatis, an non? Hoc eſt, an apud vos omnino ſtatueritis, quidquid ſit aut contingat, ſalutem æternam, habendam ac poſſidendam eſſe? Item quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, quæcunque tandem illa ſint, vobis eſſe facienda, quidquid tandem in illis ferendum fuerit, quidquid amittendum, quacunque demum te privare vos oporteat *Quid enim prod. ſi homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſua detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Et alibi, *Porrò unum eſt neceſſarium*: Cætera omnia, uti clamat Eccleſiaſtes: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: hoc eſt, nihil ſolidum; ad hæc; nihil utile, nihil conferens. ſive ſit gloria, ſive opes, ſive deliciæ, ſive voluptates, ſeu authoritas & jactantia, ſeu ſcientia, eloquentia, artes, humana dona, amicitiæ; omnia vanitas: hoc eſt, ut interpretatur S. Greg. Nyſſenus, quorum nullus uſus, quæ magno ſtudio, & contentione facta ſunt, at nullo ſcopo propoſito: ut quæ in campo arenoſo fiunt ædificia, quæ fit adverſus ſtellas jaculatio; ventorum venatio, curſoris adverſus ſuam umbram concertatio,

quando contendit eius verticem aſcendere, & ſi quid eiuſmodi invenimus in iis quæ facta ſunt temerè, quæ quidem omnia, vanitatis verbo ſubiiciuntur: quam ſententiam ſpirituale carmen appellat S. Chryſoſt. in Paræneſi ad Eutropium, ac ſubdit: Hunc verſiculum, ſi ſaperent qui in potentia verſantur, in parietibus omnibus, & in veſtibus ſuis ſcriberent, in foro, & in domorum ingreſſibus: Et quoniam multæ ſunt rerum facies, multæ imagines falſæ, quæ decipiunt incautos, iſtud oporteret quotidie ſalutare carmen, & in prandiis, & in cœnis, & in omni conventu, unumquemque proximo ſuo canere, & à proximo ſuo libenter audire; quia *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: unum autem planè neceſſarium eſt, me oportet ſalvari:

2. An hactenus uſi fueritis in vita Electione, & in omnibus negotiis, deliberatione? Certè uti ferè inter homines vivitur, omnia, vel ira, vel cupiditate, vel temeritate, vel ex recepta conſuetudine reguntur; nihil iam ratio, nihil conſilium, nihil authoritas, multò minùs Religio, vel futuræ vitæ cogitatio regunt vel adminiſtrant. Vos enim teſtor, qui hæc audiſtis: Quotus quiſque veſtrum, ea via proceſſit, qua debuit? Etenim vel in aliquo ſtatu es, vel in nullo? Si in nullo, quid expectas, ut tibi maxima vitæ pars fluat inutilis? ſi in aliquo es: Age, an illum ſtatum elegiſti? an coràm Deo deliberaſti utrum ille ſtatus tibi eſſet ad ſalutem idoneus, atque conveniens? Equidem Deus hominibus rationem dedit: ſed vel ea ipſi non utuntur; vel ad parva conſilia, aut ad res inutiles & vanas abutuntur. Hinc 1. Omnia cedunt in contrarium; hinc exiſtunt infelicia Matrimonia; negotia miſerè ſuſcepta; exitus plerumque tragici ac miſerandi quia quæ temerè ſuſcipiuntur, infeliciter concluduntur: Hinc 2. Nullus ferè illi vitæ ſe addicit ad quam idoneus eſt. Nemo ferè in eo ſtatu vivit, in quo Deus eum eum voluiſſet vivere, unde omnia vitæ officia præpoſtero ordine invertuntur, nec Deus rebus ullis benedictionem largitur.

Quare hoc ego vobis conſilium offero, ut quia conſultatio, & deliberatio fieri poteſt, & circa immutabilia, & circa mutabilia; immutabilia verò in quantum talia eſſe poſſunt in hac vita, verbi gratia, ſtatum vitæ, matrimonium, religionem, votum caſtitatis; mutabilia verò actiones vitæ, & quæ ad ſtatum non pertinent: Circa immutabilia quidem, qui nondum elegerunt, ut ſerio coram Deo videant, quid ſibi, aut quid aliis, ſi id munus ipſis incumbat (ut Parentibus pro liberis) eligere debeant: Qui verò elegerunt, ſi id recte non fecerunt, ſi id rectè non fecerunt, ut errorem ſuum bonis operibus compenſare, atque pœnitentia emendare ſtudeant, intelligentes ſibi difficiliorem eſſe ſalutem, quàm aliis; non eſſe illis quidem reſiliendum, quia ſtatus habet immutabilitatem, ſed in navi, in qua navigant manendum, maiorem verò adhibendam diligentiam: Ita Eſaü cum à prima benedictione deiectus fuiſſet, multis lachrymis, & magno eiulatu, uſque ad rugitum patris pectus emollivit: Geneſ. 27. *Num unam, inquit, tantum benedictionem habes Pater? Mihi quoque obſecro, ut benedicas. Cúmque ejulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum, In pinguedine terra & in rore cœli deſuper, erit benedictio tua*: Circa mobilia vero, ut unuſquiſque ſerio deliberet, quid in ſingulis, habita in ratione ſui ſtatus, virium, facultatũ, & decentiæ præſtare debeat, circa ſe, circa alios, domeſticos, externos, in cura corporis, in cultu, in expenſis in occupationibus, in ſtudio virtutum, circa Eleemoſynas, pœnitentias, & alias vitæ partes in omnibus inquirendo, *quid faciendo, vitam æternam poſſidebo*? quoniam hoc unum ſolùm omninò neceſſarium eſt; præter illud, nihil abſolutè; ſine illo, omnia vana, inutilia,

noxia

noxia, & pernicioſa. Hæc eſt ſumma Chriſtiana prudentia, hæc eſt ſumma ſapientia: *Sed filij huius ſæculi.* uti dicitur Lucæ 16. *prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Hoc demum eſt habere ſerpentis prudentiam, caput ſervare innoxium, cætera obiicere. Hoc ego ſi vobis perſuadeo beatus ſum, ac præcipuam operis mei partem fecero. Itaque omnes ſerio cogitent, quid faciam, quomodo mihi vivendum: vnuſquiſque id diſquirat ſecundum ſuam ſortem, ac ſtatum Quia unuſquiſque ad beatitudinem natus eſt: quæ eô tantùm modô acquiri poteſt: Sicut loquitur S. Auguſtinus lib. 1. Soliloq. cap. 1. Hoc amat omne quod poteſt amare, ſive ſciens ſive neſciens: ſi neſcis, in vanum tendis, ſi noſtri recta tende, & ſic tende, ut poſſis aliquando pervenire, quod nobis largiatur qui eſt benedictus Deus in ſæcula. Amen.

* * *

FERIA SEXTA,

DOMINICÆ PASSIONIS

CONCIO TERTIA.

Quomodò ſit facienda Electio.

Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium. Ioan. 11.

EAdem ad noſtrum propoſitum eſt diſtinctio inter eos quos Chriſtus appellant filios huius ſæculi, & eos quos vocat filios lucis, quæ olim erat in Ægypto inter filios Iſraël & Ægyptios ratione lucis & tenebrarum: Eos ſiquidem dividit uſus, vel neglectus deliberationis, & electionis. Nam qui in ſuis rebus utuntur conſultatione, illi ambulant in luce; (qui autem, ait Chriſtus *ambulaverit in die, non offendit*) Qui vero ſine conſultatione ſe regunt, omnia aggrediuntur, & caſu, & temeritate, itaque ſine luce: ut enim ait Chriſtus, *qui ambulat in tenebris neſcit quò vadat:* unde confirmatur quod in præcedenti diſcurſu oſtendimus, neceſſariam eſſe deliberationem. Sed quia unum ſupereſt, ſcilicet ut eius praxim, & uſum oſtendamus, id hodierna die aggredimur, ſi tamen prius Virginis opem imploraverimus. AVE MARIA.

TRIA in primis non malè habent, vexantque in præſenti vitâ, & eam pleriſque incommodis cumulant. Vnum eſt, Incer-

Digitized by Google

titudo & ignoratio voluntatis Dei. Quæ enim anxietas premit animam, quæ nequit certam hanc habere notitiam, quæ ſola ſecundum Eccleſiaſtem cap. 9. cordi lætitiam parit, cum ſcitur, *Quia Deo placent opera tua?* Alterum eſt, Inconſtantia, quę mille nobis infert incommoda. Sed poſtremum hoc eſt, quod eventus tantũ infelices nobis accerſit; ſcilicet eſſe nos ac vivere in eo ſtatu ubi non vult Deus; quod efficit ut reddamus vel impoſſibilem inutilemque, vel difficillimam ac ſubverſam funditus, prædeſtinationem noſtram & eius executionem. Quæ quidem omnia damnorum genera deſinunt, bono uſu conſultationis, quæ bonâ, prudenterque habitâ electione terminatur: quam ob cauſam ſentio mei eſſe officij, perſequi ſermonem quem inchoavi de bonâ electione. Super quâ re revocate vobis in memoriam quod de neceſſitate electionis diximus, tanquam omnino neceſſariæ, ut certò tutòque perveniatur ad finem.

Cum igitur tanti ponderis, atque momenti ſit apta electio, nihil planè omittendum eſt eorum quæ ad ipſam rectè faciendam pertinere videbuntur, inter quæ iſta ſunt præcipua, 1. Diſpoſitio eligentis: 2. Tempus faciendæ electionis: 3. Fundamentum electionis: 4. Modus, methodus, atque ordo electionis: de quibus ſingulis aliquid nobis dicendũ eſt.

A primo incipiamus, hoc eſt ab eius qui eligit diſpoſitione: Quem 1. dico liberum eſſe debere ab impedimentis bonę electionis: hoc eſt, 1. a peccatis. 2. ab inordinatis affectibus.

Etenim peccata gratiam Dei arcent divinumque lumen: purganda igitur illa ſunt accuratâ Confeſſione: Ideòque Sanctus Ignatius nõ tractat de electione, niſi poſt primam ſuorum Exercitiorum hebdomadam, quam totam inſumit in purgatione animi à peccatis. Exemplum inſigne habemus in Saüle, qui cum ſuæ inobedientiæ pœnas non luiſſet, cum ſæpius oraculum ſuper iminente bello à Deo petiviſſet nec reſponſum acciperet, inops conſilii ad magicas artes confugit, certamen iniit, ac periit in bello, proprio enſe confoſſus. Idem contigit Davidi cum fugeret à facie Abſalom, unde ſic lamentatur in Pſalmo 21. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* 2. verò inordinati affectus animum ad ſe trahunt, atque indifferen iam planè neceſſariam impediunt. Vtenim rectè dixit Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 2. Electio non eſt, cupiditas aut ira. Ratio eſt; Quia in brutis, pueris, & in actionibus repentinis non eſt conſultatio: uti igitur in pendendis ponderibus æquantur lances, ne ſi lingulæ eſſet aliqua inclinatio, iudicium iniquum feratur, ita qui deliberat, niſi ſeipſum decipere velit, omnem affectum ſeponere debet: neque enim quid ipſe velit, illud inquirit, ſed quid velle debeat, aut quid velit Deus, ad quod cognoſcendum, nihil intereſt quid ipſe cupiat: ad omnia igitur indifferens eſſe debet; ad hoc unum tantum inclinatus, & propenſus, ut ſanctum Dei beneplacitum ſequatur, quodcunque tandem illud eſſe cognoverit: Exuere ergo ſe debet omni affectu circa particularia, illumque tantum induere quẽ Deus ſuggeſſerit: præſertim ſi ea quæ cadunt in deliberationem honorabilia ſint, vel difficilia & ardua, ut nempe, ſi ita Deo videatur, vel illis ſplendidis careamus, vel iſta difficilia amplectamur. Ratio univerſalis eſt, quoniam voluntas eſſe non debet Deum antecedendi, ſed ſequendi neque enim Deum attrahere debemus ad noſtram voluntatem, ſed noſtram ad Divinam accommodare.

Ad hæc; omnis paſſio habet rationem medii, & conſequenter immutat obiectum: ſicut enim medium denſius aliter repræſentat obiectum quàm quod rarius eſt; & ſicut per vitrum rubrum ſpecies immutantur, quia medium aliquid efficit: ita in obiectis quæ animum ſubeunt per phantaſiam & per appeti-

tum:

tum, paſſio quæ ad ſe affectum trahit immutat medium, unde peſſima in hominibus judicia. Poſſent per ſingulas paſſiones exempla dare. Quid non egit amor in Samſone, quid non in Salomone? Ille toties deceptus ab infidâ muliere non vidit, quod videbat: Hic autem ita ſapiens, ut nihil ignoraret, eò devenit inſipientiæ, ut jam ſenex prolaberetur in idololatriam; Quo non præcipitavit Saülem invidia contra Davidem? quo Iudæorum odium in Chriſtum licet tot viſis miraculis, & audita eius doctrinâ?

II Paratus eſſe debet ad illud omne amplectendum, quod à voluntate divina eſſe perſpexerit, ſive ipſi facile, ſeu difficile videatur, ſive ſenſibus gratum, ſive jucundum: certus, Deum qui velle dedit, daturum etiam ut perficiat ad maius ipſius bonum, & maiorem Dei gloriam, hoc enim ab eius bonitate ſperandum.

III. Colligere ſe totum debet coràm Deo omiſſis aliis curis & cogitationibus: nam ut ait S. Bernard, Epiſt. 107. ad quendam Thomam, væ mundo à ſtrepitu: Ratio eſt quia impedit ne vox Dei audiatur: unde ſubdit: Si præparas autem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito, & vacante interno ſenſu, dicas & tu cum Samuële, *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*: Vox hæc non ſonat in foro, ſed nec auditur in publico; ſecretum conſilium, ſecretum quærit auditum. Hic eſt modus celebrandi feſta. Secretum illud reperies, vel domi, vel in templo, vel apud Religioſos viros, ad unum, aut alterum diem.

IV. In deliberando nihil terrenum, atque humanum admiſcere, ſed æternas ac cœleſtes rationes, quoniam omnia manare debent ex illo principio, quod eſt deſiderium gloriæ Dei, & exequendi eius voluntatem. Alia enim ſunt mortalitatis principia, alia æternitatis; alia effata mundi, alia Dei; in ea conſultatione de qua agimus, nunquam adhibenda niſi æterna principia: verbi gratia, in retinenda filia in ſæculo, non à carne, & ſanguine, ſed à Deo, conſilium petendum eſt. Atque illud magnam animæ fiduciam affert, quod Deus non ſinet eam decipi; quia cùm eum in toto corde, & veritate quærat, nunquam ſe Deus ab ea avertet: cujus ſcilicet tanta eſt bonitas, & amor in ſuam creaturam, ut ſæpe occurrat non quærenti, ſecundum illud Prophetæ Iſaiæ 65. *Invenerunt qui non quæſierunt me*: multò magis ſinat ſe inveniri à quærentibus.

Sequitur ut de tempore quo fieri debeat Electio dicamus, quod triplex S. Ignatius aſſignat.

I. eſt quando Divina virtus ſic impellit, ut omnis dubitatio, immò etiam dubitandi facultas, animæ ſublata ſit, quominus ejuſmodi impulſionem ſequatur: tunc enim rapitur ſine ulla contradictione propter evidentiam, & vim, atque impetum vocationis. Talis fuit S. Pauli, & S. Matthæi vocatio. Atque hic modus extraordinarius eſt.

II. Tempus eſt quoties nobis clarum fit, atque compertum divinum beneplacitum, docente id aliquo conſolationum, & motionum divinarum experimento; cum nimirũ affluentibus donis ſpiritalibus, occurrit ſemper nobis ea cogitatio, nõ verò alia; vel etiam dum inter eam cogitationẽ, Deus nobis eos ſenſus largitur. Cæterum hi duo modi non ſemper nobis à Deo dantur, nec ſunt univerſales; neque enim ita Deus homines compellit ad ſtatum minus perfectum, ut matrimonium, ſed ad continentiam, aut ad officia abjecta, & difficilia, & quæ ſenſui repugnant.

III Igitur tempus eſt, cum per animi tranquillitatem aliquis conſiderato fine ad quem conditus eſt, eligit certum vitæ ſtatum, per medium commodius, atque ſecurius ad ſuum finem tendat. Ea autem animi tran-

Digitized by Google

qualitas adeſſe tunc noſcitur, quotieſcunque anima, nullis agitata ſpiritibus, vires naturales ſuas liberè exercet, quod requiritur ut acrius, & lucidiùs intueri poſſit.

Tertia pars attinet ad fundamentum electionis, eſtque maximi momenti, quoniã eſt ipſius regula. Eſt autem accurata ſui finis cognitio: hinc enim facilis eſt mediorum æſtimatio, & electio. Vti igitur heri á nobis dictum eſt, finis humanæ creaturæ, eſt Dei obſequium, atque gloria, ſaluſque propria: Eius verò qui ad perfectiorem ſtatum vocatur, major Dei gloria, majuſque obſequium, item ſalus propria in gradu eminentiori, & maximum proximi bonum. Atque huc tendere debet omnis electio per media convenientiſſima; quâ de re diximus ſuperiori Concione.

Vltimo loco explicari à nobis debet modus, atque ordo ipſius electionis, in quâ hæc obſervanda ſunt.

I. erit factâ Dei adoratione proferre in medium rem deliberandam, adducto ante oculos creationis meæ fine, in hôc conſiſtente, ut cum Dei gloriâ ſalvus fiam: In neutram verò partem amplectendæ, vel repudiandæ rei controverſæ declinabo: quin potiùs velut in medio quodam interſtitio, & æquilibrio ſubſiſtam; parato interim animo ut in eam illicò partem totus ferar, quam novero Divinæ gloriæ & ſaluti meæ fore aptiorem.

II. Erit obſecrare Dei clementiam ut dignetur mentem inſtruere, & impellere voluntatem, quocunque mihi potiùs tendendum ſit, dicendo cum Ezechiâ Rege 2. Paralip. 20. *Cùm enim ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te*, ita enim plerumque evenit, ait S. Gregorius, ut in precatione Deus voluntatem ſuam manifeſtet: ut in electione S. Matthiæ, cum ab Apoſtolis rogaretur ut oſtenderet quem elegiſſet.

III. Inſtituenda eſt conſultatio ſeu deliberatio: Nam electio eſt finis conſultationis: Vnde Ariſtoteles electionem appellat ἑκούσιον προβεβουλευμένον, actionẽ ſpontaneam, quam præceſſit conſultatio: Et lib. 6 Ethic. cap. 2. Eum vocat, vel appetitivum intellectum, radicaliter ſcilicet, quia intellectus eſt radix electionis, ob præcedentem ratiocinationem: vel appetitum intellectivum, idque formaliter. Sic itaque inſtituitur Conſultatio.

I. In unam tantummodò partem, verbi gratiâ affirmantem, conſiderandam tota mens incumbit: conſiderando in primis, quæ tandem & quot commoda, vel adminicula ex tali ſtatu, vel negotio, ad finem meum proſequendum accedent: Deinde quot rurſum ex eôdem incommoda, & pericula impendent: quæ ſingula ordine ſic deſcribam, ut notas numerorum apponam. Idque ita faciam, ut ſi rem unam illam cogitare unquam deberem: idque uno die ſic faciam, ut eô die nihil aliud cogitem; ut nimirum mens aliò non ſe divertat.

Hoc peracto ſequenti die, in alterius partis, ſcilicet negantis, conſideratione, eandem adhibebo diligentiam, quaſi ea tantum pars mihi amplectenda foret, & quid ex eâ vel commodi, vel incommodi, vel adminiculi, vel periculi oriatur, inquiram; ac ſingula etiam ordine adnotabo. Ea autem ſunt, ut diſpiciam, quid me potiùs ad peccatum alliciat; quid malis meis affectionibus, aut paſſionibus magis faveat; quid mihi ſalutem difficiliorem efficiat; quos in me effectus iſta pariant; quæ pericula mihi objiciant; quid inde gloriæ Deo accedat; quid proximis meis boni. Quod autem dixi de ejuſdem rei aut affirmatione, aut negatione; fieri debebit de multis rebus inter ſe compoſitis, ut ſi comparem inter ſe Matrimonium, & Virginitatem, aut Continentiam: Manere in ſæculo, aut in Religione vivere, & ſimilia.

Tertio die omnia notata recenſenda ſunt, ac

ac ſigillatim examinanda; ſintne ſpectantia ſalutem,& finem meum, necne; & ſecundum rationes æternas. Nam ſi quæ ſint quæ non hoc ſpectent, delenda erunt; ut minus apta, & ſufficientia ad id ad quod aſſumpta ſunt. Quod ubi factum erit ſyncerè oportebit hinc inde notata opponere inter ſe & comparare; num commoda ſint plura aut pauciora aut magis conſiderabilia, aut minus quam incommoda; & quæ ſint majoris momenti; ita ut ea demum eligantur, quæ & numero, & pondere commodorum præponderabunt: atque ita juxta ipſius rationis dictamen ſepoſito carnis affectu electionem concludere.

Ex tali enim progreſſu iſte exiſtit & naſcitur ſyllogiſmus quo intellectus planè convincitur, & quo electio quæ fit, infertur certiſſimè. Ex omnibus medijs, illa mihi eligenda ſunt, quæ me,& magis commodius ad finem meum deducunt: ſed hæc in particulari, illud melius præſtat: igitur hæc media mihi magis eligenda ſunt. Major patet ex ipſis terminis, id eſt, quid ſit finis, quid medium, & quid magis eligendum. Minor patet ex meâ conſultatione, quæ tota inſumitur in illa comparatione, commodorum & incommodorum, in eorum ſupputatione, & ponderatione. Et propterea ſequitur certa & indubitata concluſio, nempe horum mediorum præ alijs electio: quô procedendi modô, nullus clarior & ſolidior fingi poteſt.

Cæterum ne aliquid ad bonam electionem omiſiſſe videar, his quatuor adminiculis uti poterimus, non quod inde certiores ſimus, ſed quia voluntatem magis inclinant, & oppoſitis ſeſe opponunt, præterquam quod operantem magis determinant.

I. eſt, ut ſpectatis rationibus generalibus ad particulares deſcendamus, ut videat unuſquiſque inclinationes ſuas, inſtitutionem, & aptitudinem. Audi S. Ambroſ. lib. 1. officiorum cap. 44. Vnuſquiſque igitur ſuum ingenium noverit, & ad id ſe applicet, quod ſibi aptum elegerit: Itaque quid ſequatur, prius conſideret: Non ſolum noverit bona ſua, ſed etiam vitia cognoſcat, æqualemque ſe judicem ſui præbeat, ut bonis intendat, vitia declinet. &c Quò etenim (inquit poſteà) unumquemque ſuum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia. Hinc quod reprehendit; 1. eorum conſuetudinem, qui vitam eligunt ex parentum moribus, cum tamen filii ſæpe parentibus ſint diſſimiles: Amat enim (inquit) unuſquiſque ſequi vitam parentum: denique plerique ad militiam feruntur, quorum militaverunt parentes: alii ad actiones diverſas: 2. reprehendit quod multi non ſequantur niſi officia ſpecioſa, & ut loquitur plauſibilia, cum id tantum ſpectandum ſit quod ad ſalutem ſpectet.

II. Eſt conſiderare ſi quis mihi vir anteà ignotus, cui tamẽ nihil non perfectionis ineſſe cupiam, occurreret dubius ſuper ejuſmodi electione, quidnam ego illi faciendum, & eligendum ad maiorem Dei gloriam, & maiorem animæ illus perfectionem, eſſem illi conſilii daturus, quo animadverſo, id mihi agendum ducam, quod alteri ſuaderem. Eodem pertinet, quod habet Leſſius in diſputatione de ſtatu vitæ deligendo, quæſtione 6. num. 79. ut ſcilicet nobiſcum perpendamus (inquit) Quid conſilii nobis daturus eſſet Chriſtus Dominus, ſi hic in terris nobiſcum verſaretur, & nos ab eo in hâc deliberatione conſilium peteremus, & quod nobis conſultum iri à Domino non dubitamus, id abſque hæſitatione amplectamur. Ipſe enim cum ſit Sapientia, falli non poteſt, & cum ſit Bonitas, non poteſt fallere. Item Quid conſilii, Sancti Apoſtoli Petrus & Paulus, & dilectus Chriſto Ioannes; Quid Sancti Doctores Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & Gregorius, denique quid tota curia cœleſtis,

tot

Digitized by Google

tot beatorum Angelorum, & animarum myriadibus conſtans, qui omnes falli nõ poſſunt, & quorum ſaluberrimum eſt conſilium, cui proinde ſi ſubſcripſero ſecurus eſſe poſſum: Et certè quid illi mihi ſuaſuri ſint poſſum colligere, vel ex eorum vitâ, vel ijs quæ in Sacris Scripturis continentur, vel in eorum libris.

III. Eſt, mecum inſuper reputare, ſi mors ingrueret, quem me mallem obſervaſſe modum in præſenti deliberatione. Itaque juxta illum faciendam eſſe mihi electionem facile intelligam, Et enim quia rerum temporalium amor nos decipit, opportunum eſt ſe ſe illo ſpoliare, ac ſe in eo ſtatu conſtituere, quo erimus proximi morti: Si quidem nihil eſt dubij, quin eligendum ſit id vitæ genus, in quo vellemus nos à morti intercipi. Et forſan dies hic electionis, ultimus vitæ tuæ futurus eſt. Oculos conijce in monita ſenſaque eorum qui in extrema animæ lucta verſantur; pleroſque reperies illigatos matrimonio, qui vixiſſe in Religioſo ſtatu optet; multos principes qui ſe arbitrarentur felices fuiſſe, ſi abjectæ fuiſſent conditionis, Philippus III. Rex Hiſpaniarum moriens ægrè ferebat dolebatque ſe non fuiſſe opilionem, & pro Sceptro pedum non geſtaſſe. Contrà verò Religioſi complures, multi Continentes, & alij qui in humili ſtatu vitam duxere, æquo animo quietoque moriuntur. S. Gregorius Magnus ea conſideratione quendam ſpectatiſſimæ nobilitatis, ſtudentem ac militaris ſtatus munera & dignitates luculenter provehi, ab iſtiuſmodi conſilio deduxit, perpulitque ad quietioris vitæ amorem, En quibus ad eum utitur verbis, lib. Epiſtolarum ſuarum ſexto, Epiſt. 190. Cur magnificè fili non conſideras, quia mundus in fine eſt? Omnia urgentur quotidie; ad reddendas rationes æterno, & tremendo Iudici ducimur, Quid ergo aliud niſi de adventu illius cogitare debemus? Vita enim noſtra naviganti eſt ſimilis: is namque qui navigat, ſtat, ſedet, jacet, vadit, quia impulſa navis ducitur. Ita ergo & nos ſumus, qui ſive vigilantes, ſive dormientes, ſive tacentes, ſive loquentes, ſive ambulantes, ſive volentes, ſive nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cùm igitur finis noſtri dies advenerit, ubi nobis erit omne, quod modò cum tanta cura quæritur, & cum ſollicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ ſunt, quæ dimittuntur. Sed ſi bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus. Si autem mala pertimeſcimus, illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur. Hæc ille: quibus addere potes: etenim quæ hominum væcordia, ut ei rei nunc ſe addicam, cuius totam æternitatem pæniteat.

IV. Eſt proſpicere non minùs, quando pro tribunali ſiſtar judicandus quo concilio me in hac re uſum eſſe vellem; quo agnito, ego nunc utar, ut eo tempore magis ſim ſecurus. Quibus omnibus propter ſalutem meam, & animi quietem dil genter ſervatis, factam meam Electionem Deo offeram perficiendam, & comprobandam. Ea verò ſemel facta, nullòque omiſſo eorum quæ ad bonam Electionem conducunt, perſpectaque in illa Dei voluntate, nihil deinceps circa eandem mutandum eſt, cùm certum eſſe debeat, quidquid deinceps ſuccedente tempore, melius in ſpeciem videbitur, Dæmonis artificium eſſe, ne ſit in propoſito conſtantia. Quoniam enim lux Diuina tunc maxime affulget, cum ad aliquod opus, nos omni conatu, ſola Dei gratia fulti diſponimus; illud eſt unicum benè eligendi tempus: reliquum verò quod electionem conſequitur, tempus non deliberandi, ſed exequendi. Adde tamen, niſi deinceps manifeſtè nobis conſtaret perſeràm aliquid à nobis in noſtra electione commiſſum: Tunc enim coràm Deo, iteranda eſſet electio modo quo diximus eſſe faciendam:

Non tamen prima rejjcienda, niſi clariſſime contrarium apparet.

Sed proh! Deus immortalis! quam hæc omnia longè à noſtris non dicam moribus, & conſuetudine, ſed etiam ſermonibus, & cognitione abſunt! Omnia vel ira, vel cupiditate, vel temeritate reguntur.

Hinc 1. Ut heri inſinuavimus, & hic magis eſt ponderandum, omnia cedunt in contrarium, & exiſtunt infelicia matrimonia, negotia miſerè ſuſcepta, exitus plerumque tragici ac miſerandi.

Hinc 2. Nullus ferè huic vitæ ſe addicit ad quam idoneus eſt: nemo ferè in eo ſtatu vivit, in quo eum vivere Deus voluiſſet.

Hinc 3. Omnia vitæ officia præpoſtero ordine invertuntur, nec Deus rebus ullis benedictionem largitur.

Quid dicam omnes ferè humanas res, & conſilia regi mundanis conſilijs, & dirigi ſæcularibus regulis, hoc eſt, perniciosis, & damnationem invehentibus? Quis enim iam rationes Evangelicas, & Chriſtiana principia ſequatur? Quaſi verò prudentia carnalis ſuperet divinæ ipſius Sapientiæ prudentiam. Sed nimirum carnalis prudentia, præterquàm quod inimica eſt Deo, hanc tantùm vitam ſpectat, & ſequitur: & tamen ut dicebamus nuper, idque tam multis exemplis oſtendebamus comprobatum; etiam utrumque amittit & temporale, & æternum. Neque enim unquam ulla calliditate intercidens Dei ſapientia falli poteſt. Huius, Auditores, huius axiomata vobis propono; ſimulque vos obteſtor ut vobis data à Deo ratione utamini, offerentes Deo rationabile obſequium; nihil unquam facientes ſola propenſione, vel libidine; nihil imitatione ſola, nihil cupiditate, vel ſpe ſed omnia præmiſsâ coram Deo conſultatione, & habita ratione finis veſtri. Id unum ſemper inquirentes: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Hoc enim unum nobis propoſitum eſſe debet; Cætera omnia vana ſunt, inutilia, caduca, mortalia: *Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, anima vero ſuæ detrimentum patiatur?* &c. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria* Patris *ſui, cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera eius.* Matth. 16. Quid autem ſit redditurus docet Apoſtolus in Epiſtola ad Rom. cap 2. *Iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem qui ſunt, ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio*, quod à nobis avertat Chriſtus Ieſus. Amen.

* * *

DOMINICA PALMARUM.

CONCIO PRIMA.

Crucem fortiter tolerandam.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21.

CUm ſæpius Chriſtus Dominus ingreſſus ſit in urbem Jeruſalem, id ſemper fecit ſilentio, ſine apparatu, pedes, exiguo comitatu, nulloque ſtrepitu. Unde itaque fit ut hodie tam inſolenti pompâ ingrediatur, ſedens in aſino, concurrentibus populis, magnâ acclamatione, quod non modò non prohibet, ſed etiam ſic approbat, ut dicat, ſi illi tacuiſſent, futurum ut lapides loquerentur. Hujus rei tam inuſitatæ, multæ rationes afferuntur.

1. Enim Scripturæ Interpretes agnoſcunt impletam figuram Agni Paſchalis, qui ut eſt in Exodo cap. 12. quatuor dies ante Paſchatis diem introducebatur in domum cujuſque coronatus, & redimitus, die Paſchatis immolandus: Ita Chriſtus decimâ die primi menſis Jeruſalem ingreditur, cum eſſet decimâ quartâ die immolandus, & impleturus figuram Paſchatis, *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

2. Cauſa fuit quam indicat Evangeliſta, ut cogerentur Judæi ex prophetiæ teſtimonio, ipſum tanquam ſuum Regem ac Meſſiam agnoſcere; cum enim diſertè dixerit Propheta, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis*; hac nota humilitatis regnum Meſſiæ notavit: Siquidem cum hæc nota & aliæ quæ in Prophetis leguntur in nullo alio quam in Chriſto fuerint completæ, argumentum eſt infallibile ipſum eſſe Meſſiam, nam prophetiarum eventus ſub calumniam venire nequit: Apocal. 19. *Teſtimonium enim Ieſu eſt Spiritus prophetiæ.*

3. Cauſa fuit ut eâ ratione celebraretur de mortis victoria triumphus: nam occaſione ſuſcitationis Lazari hæc omnis pompa Chriſto ivit obviam, unde ait Joan. cap. 12. *Teſtimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum à mortuis. Propterea & obviam venit ei turba, quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.* Idcircò Eccleſia in ramorum benedictione ſic ait in Antiphona: Triumphatori mortis clamantes, Hoſanna in excelſis: Et in alia, Victori triumphanti digna dant obſequia; & in laudem Chriſti voces tonant per nubila. Hoſanna in excelſis.

4. Cauſam affert S. Chryſoſtomus, quæ bono ſenſu accipienda eſt, ut invidiam Judæorum

Digitized by Google

dæorum concitaret eo facto, cum ſe eorum Regem profiteretur: ut ſcilicet oſtenderet, ſe mortem non fugere; in cuius cauſam volens occurreret: non quia hoc facto eos excitarit, ut facerent quod anteà nollent, ſed ut poſſent facere quod prius volebant; facultas (inquit) eis data eſt, non mutata voluntas.

5. Cauſa fuit ut regni ſui ſpeciem, quod in humilitate conſiſtebat, ob oculos poneret; eius virtutis nobis daret exemplum, cuius nec ipſe oblitus eſt, etiam in ſummo triumpho.

6. Cauſa, ut cum ſic honoratus fuiſſet, gravior deinde eſſet eius infamia in cruce, ſecundum illud Sapientis, Proverb. 16. *Ante ruinam exaltatur ſpiritus.* In quibus cauſis & rationibus hærere non placet, ut quam potiſſimam judico vobis afferam, ſi prius opem a cœlo accerſivero per Virginis intercesſionem. AVE MARIA.

VNiverſis ex cauſis quæ mihi venerunt in mentem, cur filius Dei ſæpe ingreſſus in Ieruſalem ſine ſtrepitu, & apparatu, hodie alio prorſus modò intravit, comitatus hominum turba, quæ manu palmas & ramos oliuarum geſtabat, & ſternebat veſtibus ſuis vias quibus incedebat, cum votis, laudibus, lætitiæ acclamationibus, teſtimoniiſque exiſtimationis atque amplitudinis ſicut Regi ſupremoque Domino adhibitis: Quæ me omniũ maximè affecit, permovitq; cauſa hæc eſt, illũ ea ratione agendi, voluiſſe nobis ſignificare vehemens ſuũ patiendi deſideriũ, ſuumque amorem in crucem, quam non defugiebat, ſed potius ad eam progrediebatur triumphans. Nos inde intelligimus 1. contra ſenſum carnis quæ à patiendo ſe quantum poteſt eximit, 2. contra communem hominum opinionem; quo loco, & qua in exiſtimatione debemus tolerantiam habere. Quia in re mihi hòc dicendi aditu fatendum eſt, multum eſſe diſcriminis ac differentiæ inter hæc duo, ſcilicet dicere, & facere, magnumque intercedere ſpatium inter cognitionem & praxim. Sermones qui fiunt de perpeſſione, pleni ſunt magnitudine animi & fortitudine; ſed qui ſunt Achilles in verbis, evadunt in experimẽtis Therſites. Nihil luculentius eſt in ore quàm de Cruce loqui, eſtque delectabile ſeipſum crucifigere, quùm id agitur tantùm lingua: verùm ſi crucis onus humeris noſtris imponitur, decerptum è ſacris hiſce reliquiis fruſtulum nobis intolerabile videtur. Attamen quia cognitio eſt principium actionis, & multum refert perſuadere ſibi rei veritatem, priuſquam veniatur ad uſum, & praxim, ad ingenerandam nobis animi fortitudinem in patiendo, tres profero ſequentes propoſitiones.

1. Eſt, tribulationem non eſſe formidandã.

1. Ratio eſt, Quia propriè loquendo, nihil timendum eſt præter Deum, ille verò unus eſt ſecundùm illud Iſaiæ 48. *Ego ſum primus, & noviſſimus, abſque me non eſt Deus*: Id ipſum, ſignificatum eſt Beato Ioanni Apocal. 1. *Noli timere: Ego ſum primus, & noviſſimus.* Quaſi diceret, ſi ego quem ſolus timere debes, te iubeo ſecurum eſſe, nihil eſt, quod timeas. Eodem ſenſu Chriſtus Dominus Matth. 10. dicebat Diſcipulis ſuis. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Oſtendit imbecillitatem eorum qui timentur, dum id ultra quod ſævire non poſſunt, aſſerit non eſſe formidandum: qui ſi maximè ſæuiant ſibi auferunt ubi ſævire poſſint: è contrario oſtendit, quis timeri debeat, ille nimirum qui omni modo ſævire poteſt, & ſemper. Hæc cogitatio immobilem facit quemcunque animum: Ita S. Babylas, cum à templo Imperatorem arceret, cogitabat (ait S. Chryſoſt.) ſummi Regis Dei immortalis Maieſtatem, Angelos, circumſtantes, aulæ cœleſtis potentiam, & hac cogitatione fretus, hominis

mortalis minas, & faſtum aſpernabatur. Inſignis locus eſt ea de re Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ubi vox illa *Quis* comprehendit tyrannos, Reges, perſecutores, quoslibet Dæmones, mortales omnes, tormenta, paſſiones, &c. Quia Electis nihil nocere poteſt, cùm à Deo protegantur, in cujus comparatione omnia pro nihilo reputantur. At, inquies, illud peracerbum videtur, quod aliqui iuſtè, & meritò videantur affligi, quod hinc probatur quia per Iudicum ſententias condẽnantur Sed audi quid Paulus ſubjiciat loc. cit. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* Certè judicia & accuſatione & dãnatione perficiuntur; neutrum timere debent Electi Dei, hoc eſt neque hominum accuſationem, neque condemnationem: quos enim Deus ſua Electione dignos cenſet, malè accuſantur, & quos approbat ſua ſententia, & juſtos pronuntiat, nemo damnare poteſt. Vnde ſubdit. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti?* id eſt activa, ſeu quà nos Deus diligit: *Tribulatio, an anguſtia*, quæ ſic hominem premit, ut eum non ſinat elabi: *an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius*, mortem ſignificat, quæ omnia mala ſuperat: ſicut ſcriptum eſt. *Quia propter te mortificamur tota die*, id eſt omni die occidimur, *æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*, id eſt propter nominis tui confeſſionem, expoſiti ſumus morti, ſicut oves quæ in macello detinentur mactationi deſtinatæ. Si quis igitur tibi aliquid minatur, veniat tibi in mentẽ, an ſit Deus an alius: Si ſit Deus, audi quõodo ſecurũ te reddat; *Noli timere, Ego ſum primus, & noviſſimus*: Si eſt alius, cùm Deus non ſit, quia Deus unicus eſt, nihil eſt quod timeas: nam ſi homo dedecus tibi minatur, at honorẽ tibi reddere poteſt Deus; ſi paupertatem, audi quid dicat tibi Apoc. 2. *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed dives es*: ſi alia mala. 2. Cor. 9. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis ut in omnibus omnem ſemper ſufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum* Sed vide quam præpoſterè agant homines. Deus minatur peccatori mortem, inferos, æterna ſupplicia, ignem qui nunquam extinguitur, vermem nullo tempore moriturum, & ex minæ omnes nihil illi terroris inferunt: minatur tibi homo mortalis, cujus poteſtas nullius ponderis eſt; & ſanguis tibi congelat in venis, nullius es animi, virtutemque deſeris, licet dictum tibi à Deo fuerit, nihil horum timeas, quæ paſſurus es; noli timere, *Ego ſum primus, & noviſſimus*. Id animo tuo penitus imprime, nihil metuendum eſſe Pater Deum.

2. Cauſa eſt. Quia ſi quid patimur, poſt Chriſtum patimur. Quæ res tria infert; 1. eſt quòd à pœnis omnem acerbitatem ipſe ſuſtulit; ebibit Calicem ante nos, bibendoque ſacra ipſius labra eum balſamo condierunt; vel mutavit in mel, & abſynthium in ſuavitatem; retudit tribulationis aciem; minimè ampliùs timenda eſt; ac ſicut poſtquam crucifixus eſt, abſtulit Cruci quicquid habebat dedecoris, ita poſteà quàm Paſſionis ſuæ exhauſit Calicem, omnem amaritudinem doloris amovit. *Et Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt* igitur *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Vnde cum dixit filiis Zebedæi: *Poteſtis bibere Calicem meum; dicunt ei poſſumus*. 2. Quod idem ſperare debes quod ille: de ipſo autem dicitur in Apoc. cap. 2. *Qui fuit mortuus, & vivit*, ut idem ſperare poſſis. ac proinde quid ſupereſt nobis metuendum? 3. Quod poſt illũ patimur, hoc eſt minus quã ille: Et quidem nunquam tantundem aut ſpernemur, aut illudemur, aut patiemur. Deinde ejus exemplo, ibimus ſemper poſt ipſum, ejuſque inſiſtemus veſtigiis. Denique non poteris recuſare quod ipſe non recuſavit. Ideoque ubi quid acciderit adverſum, qualecunque ſit, dicito advenit id mihi poſt Salvatorem meũ: ſequor eum duntaxat: mihi perhonorificũ eſt, eodem

Digitized by Google

eodem ac illum modo tractari, eique in tolerando eſſe comitem, & eundem cum ipſo Calicem ebibere. *Calicem meum bibetis.* Veni & ſequere me.

3. Cauſa eſt. Quia nihil accidit nobis inſciente Deo, & non volente. Apocal. 2. *Scio tribulationem tuam & paupertatem, ſed dives es*: nihil pateris quod Chriſtus ignoret, & nolit te pati. Quid ergo conquereris? Vis ab aliis vicem tuam doleri, latere incomodum tuum exiſtimas, teque inſciis omnibus pati: *Scio tribulationem tuam*: Scit Deus quid ſuſtineas, idque melius quàm tu ipſe pernovit. Quinetiam ita vult: Quamobrem illud ſcit approbationis ſcientiâ, non quòd approbet malum quod tibi fit, ſed quia vult ut patiaris. Cauſã attende potius ſupremam, quàm imediatam quã utitur Deus, ut humiliter te habeat. Vide quomodò loquitur de proditione Iudæ, inimicorumque ſuorum crudelitate: Ioan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Maria Diaz fidelis Dei miniſtra, notaque familiariter Sanctæ Thereſię, conquerebatur die quâdam apud Deum amanter de acerbitate frigoris: os ei mox Deus occluſit reſponſi verbulo: Et ego feci, illius cauſa ſum & author, Si habes de ullo querimoniam, ego ſum ipſe de quo eam habes. Convenit quidem Sanctis ita dicere; Objiciet mihi quiſpiam; At mihi non tantum virtutis eſt. At ſcit hoc ipſum Deus, ideòque ſic loquitur, *ſcio tribulationem tuam & paupertatem tuam*: ſcio etiam quid & quantum patieris: ſcio itidem imbecillitatem tuam, tenuitatem virium, animi exiguitatem; quapropter feci onus conſentaneum humeris tuis; ſcio ex qua farinæ maſſa ſubactum ego te conflarim: minimè conditus es ex ære aut ferro; doloris ſenſu corpus tuum tuuſque animus non carent; ſed cum gratia mea quæ tibi nunquam deerit, plus etiam iſtis omnibus potes. Parco viribus tuis, tàm exiguo afflictationes tuas determinans; adeòque volo te pati non ſolùm patienter ſed faciliter, ſed hilariter & cum delectatione. *Sed dives es*: ſuppetit tibi unde ſufficias iis quæ pateris, & poſtquam impenderis quod expedit ad exiguum iſtud martyrium quod tibi offero, reſtat inſuper tibi robur. *Sed dives es* virtute: Et quidem vim ſuam, & gratiæ robur, homines penitus ignorant: clamant ut pueri priuſquàm feriantur: plus poſſumus, quàm putamus. Quare fruſtrà timemus, atque exhorreſcimus, idque poſt tot exempla? Quid pateris? Quid verò non paſſi ſunt, tot pueri, tot Reges, tot Reginæ? Tu non id poteris, quod illi, & quod iſtæ? Pudeat poſt tot exempla timere & gemere. *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis* peccato repugnantes. Hinc oritur generoſa in Deum fiducia, quæ nos cum Apoſtolo 1. Cor. 10. facit exclamare, *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſuprà id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

II. Propoſitio. Non ſolùm minimè formidabilis eſt tribulatio, ſed etiam amabilis eſt, diligi expetique debet, cùm ſine illa nullam habeamus virtutem quæ certa firmaque ſit, nullam quæ ſit perfecta, eiuſque ab illa conſummationem habemus.

Dixi 1. loco, nullam virtutem eſſe certam ſine tribulatione. Quicquid ſplendet minimè aurum eſt. Major hominum pars virtutem tantum fucatam & fictam habet; occaſiones demunt larvam, & ſimulatione depulsa exhibent quod abditum ſubtus latebat. Fit in virtutibus itidem ut in metallis, faciliter admodum in æſtimatione erratur. Solus obryſæ catinus beatitudinem præbet de auri aut argenti puritate; ſola item tribulatio virtutem probat. Alchimia ſpeciem auri & argenti ementitur, ſed fornax ignisque explorant uſque adeò ut comperiatur, nihil ea niſi figmentum fuiſſe. Hypocriſis pietatem ſimulat, juſtitiam & ſanctitatem, at tribulationis ignis redigit omnia in fumũ. Tribulatio vocatur tentatio,

quia nos experimento ſubjicit, efficitque ut à Deo & à nobiſmetipſis & ab hominibus noſcamus. Quamobrem non probamur eſſe virtute præditi, niſi poſt eius explorationem. Hoc ipſum induxit Angelum Smyrnæ ut Sancti Ioannis ſtylo diceret. *Scio tribulationẽ tuam & paupertatem tuam, ſed dives es*: id eſt profiteor te locupletem virtute ac ſanctimonia, ſed poſt tribulationem. Ita Geneſis cap. 22. *Tentavit Deus Abraham*: Et illa probatio fuit omnium quas ejuſmodi vir ſubire poſſet agitationum maxima: ſcilicet mandatum accepiſſe ſacrificandi filii unici manibus ſuis. At ipſius animus cum eſſet ex auro puriſſimo conflatus, illum, nec ignis nec obryza falſitatis arguerunt; quem ipſe Deus ſcalpro ſuo ſignavit, & hocce ornavit teſtimonio: Gen. 22. *Nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*: Deus quippe agnovit experientia, ſoliditatem ipſius virtutis; meruitque tentatus teſtimonium illud poſt probationem adeò difficilem. Iobi virtus ſuperavit Diaboli calumniam, qui accuſabat eum non ſervire Deo niſi propter bona quæ ab eo acciperet: Deoque eadem melius innotuit ab experimento ſuæ fortitudinis & patientiæ, ſicut ipſemet ait cap. 23. *Ipſe verò ſcit viam meam, & probavit me*. Particula, &, hoc loco ſicut in aliis pleriſque Scripturæ, ſignificat, Quia *quaſi aurum quod per ignem tranſit*. Ita David de ſeipſo loquens, ait Pſalm. 138. *Domine, probaſti me, & cognoviſti me*: Sic dicitur de Tobia: Tob. 12. *Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te*. Et in univerſũ dixit Sapiens, Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe, tanquã aurum in fornace probavit illos*. Et Iudith. cap. 8. *Memores ſint, quia tentati ſunt Patres noſtri, ut probarentur ſi verè colerent Deum ſuum: Memores eſſe debent quomodò Pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt: ſic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles*: Sicut igitur in Scripturâ, ut deſignetur aurum optimum, & argentũ putum, dicitur *aurum, atque argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum*, Pſalm. 11. ita, ut dicatur Virtus eximia, Virtus probata. Nam uti dicitur Proverb. 17. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Deus*.

Quòd ſi Deus nos probat adverſis, & Sanctorum virtutem magis cognoſcit non in ſe, ſed ratione objecti, cum videt, non tantum quid habitu, ſed etiam quid actu, & ipsô factô contineant, multo magis nos ipſi cognoſcimus Accidit enim plerumq; ut nobis de virtutibus blandiamur, quas nunquam probavimus, & ea non poſſe credamus, quæ non modò non conficere, ſed nec afficere valeamus, Mirabilis eſt hîc in re Apoſtoli doctrina, quã explico in ſenſu exemplari, ut Scholæ loquuntur: ait itaque 1. Corinth. 3. varios varia imponere fundamento fidei: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam; uniuſcujuſque opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit: ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. Quàm multi in virtutis probatione inventi ſunt ſtipula, aut fœnum! Mille ſunt exempla in Hiſtoriâ Eccleſiaſtica. Hæreſeon principes, qui virtutem ſimulabant, aut ſolidam non habebant, cum aliquid ambiebant, conſequi non poſſent, larvam detexerunt. Ita multi bonis ſe adjungunt, aut favent, cum aliquid ſperant: quòd ſi fruſtrentur, viri boni ſpeciem, ac perſonam abjiciunt: hinc quid non agunt? quid non loquuntur? Quare ſi te ipſum noſſe vis, ora cum Davide, Pſalm. 25. *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum*. Vtere itaque hâc reflexione: Si ad Dei flagella es impatiens, nullius es virtutis. Sed illud modò adverte,

Digitized by Google

verte, Deum nos probare, per quemcunque probemur: ad hoc enim uti poteſt aliorum hominum vel malitiâ, vel improbitate, vel imprudentia, vel indolis aſperitate, qua ratione magis nos probat, quàm cum ſua manu utitur.

Denique hæc probatio alijs notam facit, aut virtutem, aut vitium. Itaque S. Chryſoſt. & alij Patres cum explicant illud dictum Dei ad Abraham, *Nunc cognovi, quod times Deum*, dicunt ſic intelligi debere: Nunc omnibus, & præſentibus & futuris apparere feci, te Deum timere. Ita enim omnes exiſtimant, ſola tribulatione ſolidam virtutem explorari. Quin ipſe Diabolus hoc prætextu virtuti Iobi detrahebat cap. 1 *Nunquid Iob fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum, ac domum eius*, &c. *Sed extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi*. Et cap. 2. *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi*. Verum igitur eſt eam virtutem veram oſtendi, quæ per tribulationem probata eſt.

2. Loco dixi, nullam virtutem eſſe abſolutam perfectamque niſi eam quæ exercitata eſt in tribulatione. Vltimus eſt penicilli ductus quem Deus adhibet, quùm ex aliquo mortali homine vult luculentũ ſanctitatis ſpecimen effingere; poſtremus eſt color tabulæ appoſitus, & poſt diuturnas exercitationes virtutis, hoc uno ſemper opus perficit: contrà vulgarem opinionem hominum, qui ſibi perſuadent, propterea quod aliquis coluit Deum, mereri ab eo, ut deſinat ipſum exercere incommodis, & ab afflictationibus eximat, ubi Deus planè contrarium agit. Tob. 12. Angelus Raphaël ita loquitur. *Et quia acceptus eras Deo neceſſe fuit ut tentatio probaret te*. Quaſi dicat: plus habes virtutis quàm ut negligaris; manus extrema huic operi adhibenda fuit; id tribulationis officio factum eſt. Et 2. ad Timoth. 3. *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur*: id eſt, quiſquis apud ſe ſtatuit perfectè vivere, in tribulatione vitam finiet. Quare ſecundum animadverſionem ſapientum, magni labores, graveſque afflictiones non tribuuntur niſi perfectis, ſicut ſummo tantum opificio coronis imponitur. 2. Cor. 12. *Nam virtus in infirmitate perficitur*. Ita videmus magnas probationes non conceſſas fuiſſe niſi viris longè præſtantiſſimis, ut ſuprà à Iudith didicimus, cap. 8. Et quos non recenſet Paulus Hebr. 11. *Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem: alij verò ludibria & verbera experti inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes anguſtiati, afflicti*, &c. Seneca etſi ethnicus iſtud agnovit lib. de Provid. Non vides, quanto aliter Patres, aliter Matres indulgeant, &c. Patrium habet Deus adverſus bonos viros animum, & illos fortius amat: operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur: languent per inertiam ſaginata. &c. Verum quippe eſt virtutem corroborari rebus adverſis, ſicut corpus labore ac exercitatione collum per injurias ducit, nec ulli malo cedit, ſed etiamſi ceciderit, de genu pugnat. Inde evenit, ut ſi nulla aut quidem exigua tribulatione vexaris, argumentum certiſſimum ſit, aut te nihil habere virtutis; aut tuam nondum perveniſſe ad gradus celſitudinem, quò Deus eam vult adducere; aut denique eam eſſe infirmam, & ideo in te Deus miſericordiam adhibere, quòd te tuetur, aliſque ſuis contegat: Si autem robuſtæ & confirmatæ virtutis eſſes, te probaviſſet. Ita, pro veriſſimo pronunciato id habe; ſi quiſpiam ubi probè pièque vixit, ſub exitum affligitur, ſignum eſt, virtutem ipſius integram eſſe ac perfectam; contra verò ſi afflictationem metuis, indicium eſt, quo nemo unquam fallitur, virtutem tuam eſſe exilem, infirmam & contemnendam.

Dixi

Dixi 3. per tribulationem virtutem accipere conſummationem; hoc eſt pervenire ad extremum; quæ extremitas à Philoſophis moralibus nobis exprimitur per virtutẽ Heroïcã. Porrò cum agunt de actione Heroïca, tria ad illam deſiderant. 1. Vt verſetur in objecto aliquo illuſtri & ſublimi, hoc eſt in re difficili & generoſi facinoris: ſicut enim qui pauper eſt, nequit reipſa eſſe liberalis, & qui mediocriter tantum eſt dives non poteſt eſſe magnificus, cum magnificentia ſit magnorum tantummodò propria; ſic qui non occupatur in operibus arduis, nequit exiſtimari Heroïcus in virtute quia ipſi magnæ illius virtutis occupatio deeſt. 2. Vt ſit in eo qui juvetur peculiari auxilio, ſed extraordinario, opeque planè divinâ. 3. Vt fiat cum magna contentione, conatu & applicatione animi totis viribus agentis: Inde fit ut plurimæ virtutes quamvis ſplendidæ, & quæ nomine ſuo magnitudinem præferunt, uti magnificentia & magnanimitas, nequaquam virtutes heroïcæ ſint; nam licet operentur in re magna & difficili, non tamen indigent auxilio niſi ordinario naturalique, & conatu qui adhiberi ſolet in cæterarũ virtutum praxi.

Magnorum autem laborum tolerantia continet eminenter omnes illas qualitates. Vt enim natura mortalis & fragilis quæ ſibi ubique ſtudet, id ſuperet quod ipſi contrarium eſt, delectetur depreſſione atque afflictione, crucem diligat, & ea glorietur; ad ea opus eſt ſingulari ope Dei, intendendus eſt totus animus, vireſque omnes ſunt adhibendæ. Homerus in luculentis occaſionibus, ingentibuſque periculis & ubi omnes evadendi viæ deeſſe homini videntur, inducit Deos Deaſque occurrentes ad Heroas ſuos, quibus illi ſubveniant & opitulentur. Ita in ejuſmodi caſibus ad hominis latera Deus aſſidet, Pſalm. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione*: & hoc ex eo comperitur, quod nunquam majus ſit robur ad tolerandum quàm ubi perſecutio vehementior exiſtit. 2. Cor. 12. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Et attende quomodo ibidem loquatur idem Paulus. *Cum enim infirmor, tunc potens ſum*: unde mirabiles ſequuntur conatus, fidemque omnem ſuperantes. Ex quo apparet virtutem nunquam eſſe heroïcam, niſi quùm probatur tribulatione.

Si porrò volumus exploratum habere quid de virtute heroïca Sapientes ſenſerint, eadem veritas nobis eluceſcet. Plotinus doctrinæ Platonicæ peritiſſimus, ait virtutem illam eſſe heroïcam quæ perfectè animam purgat: nihil autem magis purgat animam quàm tribulatio. Ignis obryzaque ut ante dicebamus, aurum expurgant ab colluvione extranea ſtanni, æris ſqualioris, alteriuſque cujuſvis metalli: ſic tribulatio ſordes animæ abſtergit; quapropter in Scriptura, omnes ignis, obryzæ, fornaciſque metaphoræ, nihil aliud ſpectant niſi animæ purgationem igne tribulationis. Præterea nihil eſt, quod melius quàm afflictio, animam ab omni creaturarum amore ſejungit; ſicut ignis res diſſimilis naturæ ſeparat: Pſal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

Ariſtoteles heroïcam virtutem explicat ſimilitudine divinitatis, quamobrem veteres appellabant Heroas Semideos. Et lib. 7. Moral. cap. 1. ait, à Lacedæmonijs eum vocari divinum, qui magnam aliquam & extraordinariam commendationem meretur: cum enim aliquem valde admirantur, divum appellant. Atque miramur maximè omnium, eos qui multum perferunt cum gaudio: & animoſa perpeſſio laborum rerumque adverſarum, eſt perfecta Ieſu Chriſti Imitatio, habetque neſcio quid naturam ſuperans: adeò ut miremur etiam mancipia, ſi patienter ſuſtinent pœnas quas commeriti ſunt: In hominibus autem liberis, nobilibus, meritoque inſignibus, patientia divinitatem impertit.

At

Digitized by Google

At quamvis Sapientes minimè nos illud docuiſſent, communis univerſorum ſenſus, frequentiuſque hominum judicium poſſet nobis ſufficere: quia virtutem appellamus heroicam, eam quæ nequaquam ordinaria eſt, ſed quæ in magnis præclariſque viris exiſtit. Ac neſcio unde fiat, ut in virorum magnorum numero ponamus eos qui multa toleravere, totamque vitam duxere inter magna pericula: ſic illa apud Poëtam: Credo equidem nec vana fides, genus eſſe deorum, &c. Nimirum Deus rem tantùm habet cum egregiis fortibuſque animis, quos inter afflictiones & ſupplicia traducit. Vide quomodò laborant textilis picturæ artifices: Diſſecant in fruſtula materias auri, argenti, ſimileſque alias, atque è minutis hiſce ſegmentis, opificia egregia pretioſaque concinnant: Sic ad ornatum Eccleſiæ, Deus quaſi concîdit, ſecuitque in particulas Sanctos ſuos ſuppliciis, & cruciatibus, cutem uni detrahens, alteri caput, illi oculos, huic manus, uni mammas, pedes alteri, aliudve membrum fruſtumque corporis laceri, conciſi, & modis mille deſecti. Hanc ob rem permiſit innocentem Abelem à fratre interimi: Abrahamum tentari, mandatumque unici filij mactandi ſuſcipere: Iſraëlis populum ingemiſcere ſub Pharaonis tyrannide: Davidem ſuſtinere odium & invidiam Saülis: Suſannam accuſari ab impudicis ſenibus: Iſaiam ſerra diſſecari medio corpore ſicut arboris truncum: Danielem fami, & furori Leonum obiici: tres Babylonis pueros in fornacem ardentem immitti: Tobiam primò in fortunis boniſque, tum in corpore affligi: æquè ac Iobum ſæculis omnibus pro miraculo habendum. Et tu iam queri voles in afflictationibus, ſi proberis à Deo? Tecum nimis honorificè agit, qui te tractet ut Sanctum, eodemque modo quo præſtantiſſimos homines tractavit.

Punctum hoc finio, hacce poſtremâ cogitatione. Cur arbitraris erectas fuiſſe ſtatuas Heroibus, niſi ut ipſorum virtutis memoria eſſet aliis archetypus? Quorum porrò ſpecimen exemplumque nobis Deus proponit niſi eorum qui magnoperè probati ſunt tribulatione? Id ſcriptum eſt cap. 2. libri Tobiæ. *Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & Sancti Iob.* Eiuſque exempli ſpeciem declarans Scriptura ſubiicit: *Nam cum ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit agens gratias Deo, omnibus diebus vitæ ſuæ:* Eodem modo poſtquam de Abrahami tentatione egit Paulus Hebr. 11. ſubdit. *Unde eum & in parabolam accepit.* Id eſt, omnibus in exemplum propoſuit.

Agendum, poteſne in ſpeciem exemplumque poſteritati ſtatui? Quid conquerendum habes ſi Deus velit te in parabolam dari? Vult ponere te in ore omnium. Vult te ad Crucifixi formam effingere, ac de te excellens efficere ſpecimen, ad cuius poſteà exemplum multa luculentorum operum millia exprimat. Vult illum inſpiciendo te animari ad patientiam, hunc venerari Iudicia Dei tàm acerbè animos ſuos tractantis, illum ſuam de divina Providentia cogitationem corrigere, ac ediſcere, aliam eſſe mercedem, bonaque longè majora ijs quæ in præſenti vitâ donantur. Vult alterius obſtrui queritur ſe acerbius, nimiaque ſeveritate tractari, vultque omnia hæc fieri ſumptibus tuis. Nam ut animadvertit S. Ambroſius Serm. 14. Deus minus perfectos erudit meliorum impenſis, ut ſignificet quanti faciat animā minimi cujuſq; hominum. Et ſicut vitæ Filij nō pepercit ut ſuum erga nos amorē oſtenderet, ita amicis ſuis non parcit, ſi eorum tolerantia poteſt imperfectioribus prodeſſe. Quanta eſt (inquit Sanctus ille Doctor) circa nos Dei noſtri ſolicitu-

ſecitudo? Illos examinat, ut nos erudiat: Illos conterit, ut nos acquirat: Eorum cruciatus, noſtros vult eſſe profectus. Cogita quanto tibi poſſit eſſe honori, ad uſum tàm eximium impendi. Argumento eſt, certoque teſtimonio virtutem tuam eſſe perfectam, quando ſpecimē exemplumque aliis ſuppeditat. Adeò verum eſt, quod protuli in ſecundâ propoſitione meâ: Scilicet, virtutem non eſſe veram, nec perfectam, nec conſummatam, nec heroicam, niſi probatur tribulatione, ac proinde, non modò minimè formidandam eſſe tribulationem, verum etiam optandam eſſe atque appetendam.

III. Propoſitio. Non ſolùm, ut dixi, concupiſcenda eſt tribulatio, ſed eâ inſuper lætandum & gloriandum eſt, proinde eundum eſt ad Crucem triumphanti animo, maiori cum pompa magnificentiaque ſi fieri poſſet, atque apparatu inſigniori, quàm ductores exercituum, Romanique Imperatores progreſſi fuerint ad Capitolium, quàm de hoſtibus ſuis triumpharunt: ſecundùm quod Apoſtolus dixit, ad Roman. 5. *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Quid eſt illud *non ſolum* ait S. Chryſoſt. Non ſolùm inquit, non animum deſpondemus afflicti, & ærumnis oppreſſi, ſed tanquam, ad maiorum honorem, atque gloriam provecti, gloriamur potius ob ea, qua nobis contingunt incommoda. Rationes attende.

1. Eſt ex eodem Paulo ad Rom. 8. quoniam tribulationis opera certam ſalutis noſtræ ſpem & fiduciam habemus: *Spe autem ſalvi facti ſumus*: In ea autem ſpe conſiſtit tota hujus vitæ beatitudo: Nam ſicut alterius vitæ felicitas conſiſtit in Dei viſione; viſio autem eſt rei præſentis, rei autem præſentis eſt poſſeſſio: ita tota beatitudo huius vitæ conſiſtit in illa certa ſpe ſalutis, ſeu in ſecuritate beatitudinis futuræ; nulla autem eſt maior ſecuritas futuræ beatitudinis quam in tribulatione. Vide probationem Apoſtoli ad Rom. 5. *Quia tribulatio patientiam operatur.* Idq; duobus modis: 1. Ratione materiæ: eſt enim tribulatio materia patientiæ: 2 Ratione gratiæ, quam ſemper præparat Deus, & offert, dum alicui immittit tribulationem: *Qui dat nivem ſicut lanam.* Subdit *Patientia autem probationem*: Qui enim patienter tulit adverſa, eius virtus probata eſt: ſiquidem ut aurum igne, ita patientia virtus probatur; ut è cōtra qui nihil paſſi ſunt, nondum ſciunt an ſint robuſtæ virtutis. Qui vero perſecutione fractus non eſt, qualis eſt patiens, intelligit nihil eſt quod illum à Deo dimovere poſſit. *Probatio verò ſpē* Etenim primò eum firmat, & roborat; ut qui cum diſcat experientia, ſe nullis adverſis à Deo divelli, vehementer erigatur in ſpē vitę cœleſtis, & nihil jam vereatur: & prætereà, cum in adverſis gratiam ſit expertus, in Deo mirabili modo confidat. 2. Non tantum ſpem roborat, ſed eam auget; cum eo modo præmiū augeatur quod & aſſerit 2. ad Cor. 4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: Qua de cauſa Petrus 1. Epiſtola cap. ad patiendum exhortatur; *Vt*, inquit, *Probatio veſtræ fidei, multo pretioſior auro, inveniatur in laudem, gloriam, & honorem, in revelatione Ieſu Chriſti*; Id eſt, in die revelationis eius gloriæ. Pergit Paulus, *Spes autem non confundit*: Quia non eſt ſpes huius mundi, quæ excidat, & robore perfundat eos qui ſperant: præſertim cum, uti ſubditur, *Charitas Dei diffuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Iam verò quis explicet quanta ſit gloriæ ſeges in hac gloriæ ſecuritate, ſecundum illud ad Rom. 5. *Et gloriamur in ſpe gloriæ Filiorum Dei?* Cogita enim ſi cui facta eſſet revelatio ſuę ſalutis, quis eſſet ſenſus eius? quæ exultatio, quæ gloriatio? Exemplum habemus in S Franciſco, cui cum facta fuiſſet ejuſmodi revelatio, ſeipſum præ gaudio continere non poterat. In quo graviſſimè homines decipiuntur, qui ſi quidem videant multis malis affligi, miſerum illum judicant, cum

ille ſolus in hac vita beatus ſit. Cũ enim huius vitę beatitudo non ſit in re, ſed in ſpe ad Rom. 8. *Spe enim ſalvi facti ſumus?* & aliunde nulli potius hæc ſpes conveniat, quam tribulatio, profecto ille ferè ſolus iudicandus eſt beatus. Nõ igitur tantum amanda eſt & optanda tribulatio; ſed etiam eſt in ea gloriandum.

2. Ratio petitur ex ſenſu & judicio Chriſti & Apoſtolorum. Incipiamus à Magiſtro, qui hodie triumphans civitatem Hieroſolymam ingreditur, ut ſcilicet cum triumpho properaret ad Crucem. Quare, uti docet S. Chryſoſt. in libro ad eos qui ſcandalizati ſunt cap. 15. Crucem, appellat gloriam ſuam. *Pater* (inquit Ioan. 17) *Venit hora, clarifica Filium tuum*: Et Diſcipulus, qui illa ſcripſit, dicebat cap. 7. *Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus*: In quibus verbis Crucem Chriſti gloriã appellavit. Cum verò charitatem eius voluit deſignare, quid protulit? Num ſigna? num miracula? nullo modo, ſed Crucem, ſic ſcribens, cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Et Paulus ad Rom. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hic quoq; cum nos indicat ad humilitatem, ad Philipp. 2. *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm in forma Dei eſſet &c. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortẽ mortem autẽ Crucis.* Et de charitate conſilium dans, ad Epheſ. 5. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Ita ad Maritos, ut concordent cum uxoribus ad Epheſ. 5. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* Atque ut ipſe Chriſtus ſuam patiendi cupiditatem indicaret, Petrum ſibi mortem diſſuadentem ſic repulit Matth. 16. *Vade poſt me Sanata, ſcandalum es mihi.* Ac reſurrectionem ſuam clàm, & in occulto fieri voluit, ſed paulatim manifeſtari, idque paucis hominibus, qui præordinati erant: Crucem autem & mortem ſuam in loco ciuitatis apertiſſimo, in monte Golgotha, in celeberrima feſtivitate, ſcilicet in Paſchate, coram omni populo Iudæorum, & in maximo concurſu, hominum indigenarum, & advenarum, cum adeſſet utrumque tribunal Iudaicum, & Romanum, cum ſolemnitas totã gentem congregaſſet, medio die, in communi orbis terrarum theatro, ſuſtinuit. Et quia tantum qui oderant præſentes, id videbant, imperavit Soli ut ſe ſe occultaret, atque ita orbi terrarum rem proderet. Quid verò miraris quòd Crux in hac vita ſit mirabilis, & quòd eam Chriſtus vocet gloriam ſuam; cum in illo terribili ac tremendo die, quando gloriam ſuam oſtenſurus advenerit, cum in gloria Patris ſuis veniet, cum terribile tribunal adſtabit, cũ omnis hominũ natura coram Iudice ſiſtetur, cum Angelorum turmæ, cœleſteſq; Virtutis effundentur ut cum ipſo deſcendant, cum innumera illa præmia & coronæ proponentur, cum alii ſicut Sol, alii ſicut ſtellæ refulgebunt, cum Martyrũ cohortes, cum Apoſtolorum chori, Prophetarũ ordines, cum generoſiorum virorũ cœtus omnes in medium prodibunt; Tum in illo ſplendore, tũ in illa magnificentia, ſplendidos radios emittentẽ illam in cœlo apparere & ſibi præire faciet. *Tunc* (inquit) *parebit ſignũ Filij hominis in cælo, & ſol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum.* O Paſſionis ſplendorem! ô Crucis fulgorem! Sol obſcuratur, & ſtellæ cadunt ſicut folia: Crux autem omnibus illis clarius refulget, & univerſum cœlum occupat. Vides ut ea Dominus glorietur; vides ut rem illam, gloriam ſuam eſſe declaret, cum in illo die toti orbi terrarũ cum tanto ſplendore illam manifeſtet. Hactenus Sanctus Ioannes Chryſoſtomus.

Non alius etiam fuit tanti Magiſtri Diſcipulorum ſenſus. Audi Iacobum in epiſtola ſua cap. 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Idem: *Beatus vir qui ſuffert tentationem,*

 quoniam

membra, & reliquias; Immò, uti loquitur S. Leo, ipſa inſtrumenta ſupplicii tranſierunt in honorem triumphi. Hinc tyrannorum ſtudium, & cura ut eorum reliquias abolerent ut delatum ipſis honorem impedirent. Verùm id in illis impletum quod ſuis Chriſtus promiſerat. Lucæ 21. *Et capillus de capite veſtro non peribit.* Quid dicam de Confeſſoribus, qui tormentis ſuam fidem contutati ſunt; Eorum tanta fuit in Eccleſia dignitas, & authoritas, ut pœnitentes ipſis uterentur pro interceſſoribus. Quàm religiosè Conſtantinus Imperator multorum oculos effoſſos oſculatus eſt! Et quidem ſi militum vulnera glorioſa ſunt, quantò magis Martyrum? Quàm putas etiam religiosè ipſos Martyres ſua membra pertractaſſe, cum ipſa etiam ſuorum ſuppliciorum inſtrumenta arctiſſimè complecterentur? Quid non dixit S. Andreas cruci ſibi paratæ? Quàm amanter complexus eſt? Quàm ſuaviter exoſculatus? Quàm blandè compellavit?

4. Ratio. Cum omnis gloriatio ſit prohibita, & quoddam ſcelus, ea tamen quæ ex perſecutionibus petitur licita eſt: Quia omnis illa, vana eſt, & falſa, hæc autem legitima, & ſolida. Audi Apoſtolũ 2. ad cor. cap 11. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.* & cap 12. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Tum ſubdit ſuarum infirmitatum, & perſecutionum catalogum; diceres eum ſuarum paſſionum trophæum erexiſſe, & titulos gloriæ ſuæ inſcripſiſſe. Solent paſſim homines ſuas paſſiones occultare, quia earum pretium neſciunt: Sed longè aliter facit Apoſtolus. Et certè unde de ſe gloriaretur, qui cum gloriatur de Domino, non niſi inde gloriatur? ſecundum illud ad Galat. 6. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti:* Vt ſcias omnem Chriſtiani hominis gloriationem, in ſe, & in Chriſto nullam aliam eſſe præter Crucem. Ac vide ut Crucis Chriſtum non puduerit, ut etiam in ſtatu gloriæ, vulnera paſſionis ſibi retinuerit, quaſi non ſatis appareret, glorioſus, ſi etiam in ſuſcitato paſſionis gloria deſideraretur.

5. Ratio, Quia hæc eſt perfecta cum Chriſto configuratio, uti dicitur ad Philippenſes 3. *Ad cognoſcendam ſocietatem paſſionum illius configuratus morti ejus*: nulla autem major gloria eſſe poteſt imaginis quàm ſi perfectè ſuo prototypo reſpondeat & ſit ſimilis. At cum propoſita nobis fuit imitatio Chriſti, ea fuit potiſſima, ut eſſemus ſimiles Crucifixo, ſecundum illud Exodi 25. *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.*

6. Ratio. Quia ut ait S. Damaſcenus, cum Chriſtus in ſe ſuſcepit paſſiones, & afflictiones, eas ſibi quaſi hypoſtatirè univit; itaque fecit divinas; unde omnem vilitatem & contemptum amiſerunt, & ſortitæ ſunt ſummum honorem, & gradum ad quem evectæ ſunt.

7. Ratio. Nec inde mirum eſt ſi Dæmones eos præcipuè reformidant qui actu aliquid patiuntur, quia illis ſingulariter adeſt Deus, ſecundùm illud Pſalmi 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, itaque reformidant in eis præſentiã divinam. Chryſoſtomus loquens de S. Paulo. Cogita (inquit) quantus vir eſſet cum carceres habitaret, & ad tribunalia traheretur: Vel ipſis Dæmonibus erat formidabilis, cum virgis cæderetur: cum verò eſſet in vinculis, cum naufragia pateretur, tùm maxima edebat miracula, tum magis adverſarias poteſtates ſuperabat. Ex quibus omnibus conſtat, non modò non eſſe metuendam tribulationem, non modò eſſe amandam, & optandam, ſed etiam in eâ eſſe gloriandum, & Chriſti exemplo ad Crucem eundum per triumphum.

Pro concluſione. Quærendum unde in nobis oriatur tam contrarius ſenſus. Etenim paſſim nihil ita exhorreſcimus quàm pati. Sed

Digitized by Google

quotus quiſque eſt ita animo generoſus, qui pati amet & deſideret? Quod autem diximus id etiam non ſatis eſſe, ſed in tribulationibus, & in adverſis eſſe gloriandum, id ferè omnibus videtur incredibile, & paradoxum. Sed nimirum aliter palea, aliter aurum tractatur ab igne: in quò palea comburitur, cum in igne aurum purgetur, & rutilet. Hinc qualis ſis, agnoſce. Et qui ſunt aurum, diſcant gloriari in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Veniet tempus cum ipſa Crux mutetur in gloriam. Quanquam & ipſa gloria eſt & certantis, & triumphantis: certantis in hâc vitâ, & triumphantis in alterâ, ad quam nos perducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Amen.

DOMINICA PALMARUM CONCIO SECUNDA.

REGIA DIGNITAS IN CHRISTO CONSIDERATUR.

Quomodò ejus munera occultarit, & tota ſit in amore.

Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21.

DISSIMILIS eſt in ſpeciem currus gloriæ Dei viſus ab Ezechiele Prophetâ, à Chriſti Domini ingreſſu in Ieruſalem; nimirum primus eſt gloriæ, alter humilitatis. Verum in utroque viſuntur animalia, & in illis mira ſignificatio: nec Chriſtus minor eſt in ingreſſu humilitatis, quàm in ingreſſu gloriæ. Nam quia Dei Majeſtas nullius gloriæ acceſſione fit major, neque accreſcit; idcircò oportuit ut creſceret humilitate, ut quondam dictum eſt à Panegyriſtâ, Imperatori, quòd creſcere non poſſet niſi ſolâ dimiſſione faſtigii. Vt hoc videamus in Chriſto ad profectum noſtrum, ad eam recurramus quâ nemo melius novit quæ ad eum pertinent, utpotè quæ ſit ejus Mater. AVE MARIA.

INTER cætera quæ in ſacris Scripturis admirabilia ſunt, unum eſt quòd multa loca videntur in ſpeciem contraria, quæ tamen inter ſe maximè concordant, unde opus eſt intelligentiâ, ſecundum illud, *Qui legit, intelligat*, & eſt induſtria interpretis oſtendere convenientiam. Porrò id præcipuè apparet in veteri & novo Teſtamento, dè quibus dixit Chriſtus, *Omnis Scriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt Patrifamilias qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera.* Quanta autem ſit utriuſque concordia paſſim docent Sancti Patres, unde variæ apud eos utriuſque Teſtamenti comparationes, quibus eorum conformitas oſtenditur. Sanctus Gregorius lib. 1. in Ezechiel. homil 6. exponens currum gloriæ Dei, atque inter cætera illud quod dicitur, unam fuiſſe ſimilitudinem, unum aſpectum, & unum opus quatuor rotarum, ſubdit:

Vna ſimilitudo ipſarum eſt quatuor, quia quod prædicat Lex, hoc etiam Prophetæ, hoc exhibet Evangelium; quod exhibuit Evangelium, hoc prædicaverunt Apoſtoli per mundum: Vna ergo eſt ſimilitudo ipſarum quatuor, quia divina eloquia etſi temporibus diſtincta, ſunt tamen ſenſibus unita.

2. Pergit

Digitized by Google

2. Pergit in expoſitione Prophetæ. *Et aſpectus earum & opera quaſi ſit rota in medio rotæ*: Rota intra rotam, eſt Teſtamentum novum intra Teſtamentum vetus, quia quod deſignavit Teſtamentum vetus, hoc Teſtamentum novum exhibuit, & quod illud occultè annunciat, hoc illud exhibitum, apertè clamat: Prophetia Teſtamenti novi, Teſtamentum vetus eſt, & expoſitio Teſtamenti veteris, Teſtamentum novum.

3. Ibidem docet idem exprimi per duo Cherubin ſeſe mutuò reſpicientia. Quid eſt quod ſe mutuò reſpiciunt verſis vultibus, in propitiatorium, niſi quod utraque Teſtamenta, ita ſibi in Mediatorem Dei & hominum concordant, ut quod unum deſignat, hoc alterum exhibeat? Quid enim per Propitiatorium niſi ipſe Redemptor humani generis deſignatur? de quo per Paulum dicitur; *quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*. Quid verò per duo Cherubin, quæ plenitudo ſcientiæ dicuntur, niſi utraque Teſtamenta, ſignificata ſunt, &c. Duo ergo Cherubin in ſe mutuò reſpiciunt verſis vultibus in Propitiatorium, quia utraque Teſtamenta in nullo à ſe diſcrepant, & quaſi ad ſemetipſa viciſſim facies tenent: quia quod unum promittit, hoc aliud exhibet, dum inter ſe poſitum Mediatorem Dei & hominum vident.

4. Idem Sanctus Gregorius lib. 19. in Iob exponens illa verba: *Arcus meus in manu meâ inſtaurabitur*, Intelligit de prædicatione, ſecundum illud Iſaiæ 7. *Cum ſagittis & arcu ingredientur illuc*: Quid igitur hoc in loco arcus nomine niſi ſacrum eloquium debet intelligi: In chorda enim Teſtamentum novum: In cornu verò Teſtamentum vetus accipitur; In arcu autem dum chorda trahitur, cornu curvatur; ſic in hoc eodem ſacro eloquio dum Teſtamentum novum legitur, duritia Teſtamenti veteris emollitur; ad eius namque ſpiritalia & blanda præcepta, illius literæ rigor inclinat, &c. Nec indecenter dicimus chordam Teſtamento novo congruere, quod de Incarnatione Dominica certum eſt extitiſſe. Quaſi ergo chorda trahitur, & cornua curvãtur; quia dum in Teſtamento novo Incarnatio Mediatoris agnoſcitur, ad ſpiritalẽ intelligentiam rigor Teſtamenti veteris inclinatur

5. Gregor. Nazian. docet vetus Teſtamentum eſſe primam picturæ delineationem, novum autem eſſe perfectionem operis, & vividorum colorum additionem. Nemo autem dicat pictorem, cum tabulam abſolvit, priorem delere, ſed perficere. Nemo etiam dicat duplicem eſſe tabellam, ſed unam quidem prius imperfectam, ſed poſteà abſolutam.

Atque inter cætera loca, occurrit 1. locus hodierni Evangelii, ubi deſcribitur Regnum Chriſti Domini in manſuetudine. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis* Et 2. occurrit locus ſumptus ex Pſal. 2. ubi agitur de eodem Chriſti Regno, ſed exprimitur ſub ſumma duritia & rigore: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*: quod etiam ſæpius repetitur in Apocalypſi. Porrò quæ maior in ſpeciẽ videtur contrarietas, quàm ut Chriſti Regnũ nunc dicatur futurum in manſuetudine; unde ſecuritas imperatur: *Dicite filia Sion, Noli timere, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*: nunc dicatur futurum aſperrimum in virga ferrea, idque ad homines confringendos, tanquam vas fictile, & teſtaceum? nihilominus tamen mira intelligenti apparebit loci utriuſque concordia, ad quam oſtendendam triplicem affero propoſitionem.

I. eſt. Vtrumque locũ intelligi de dignitate Regia Filij Dei, & de titulo Meſſiæ. Vt enim à loco Evangelii & prophetia Zachar. cap. 9. initium ducã; Non eſt dubiũ in hodierno triumphali ingreſſu contineri manifeſtationẽ illius dignitatis, & qualitatis auguſtæ; unde Rex à populo acclamatur, & ſalutatur, eique fit ſolemnis apprecatio, *Hoſanna Filio David*, qua nempe ſubditi ab eo ſalutem depoſcunt, tanquam

Digitized by Google

quam à vero Liberatore, & à Rege ſuo, hærede regni & ſcep.ri Davidici. Manifeſtatur autem non regio apparatu, non manificentiâ, ſed poteſtate regiâ: hæc enim exteriora non ſunt ſigna niſi terreni dominatus, nō autem veri Meſſiæ, cuius inſignia ſunt virtutes; atq; illæ quidem non illuſtres, & quæ magis oculos feriant, ſed depreſſiores, ut manſuetudo & paupertas, unde in ipſo triumpho, & ſummo apparatu, has qualitates conſervat. Itaque non ſedet in equo, ſed aſino; non eſt armis circumdatus, ſed ramis; non milites, non centuriones circumſtant, ſed Apoſtoli, ſed plebs, ruſtici, & pueri: ad hæc; ſignum habet infallibile, ipſum humilitatis apparatum, juxta Prophetæ vaticinium: *Ecce Rex tuus veniet* &c. *ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam*, &c. Zach. 9. quâ notâ convincuntur Iudæi erroris, quòd expectent neſcio quem Meſſiam glorioſum, cum Propheta diſertè notet, Chriſti regnum hâc notâ humilitatis, quæ nulli hactenus convenit. Vnde ſapientiſſimè Proſper in libro quem inſcripſit, In medio. &c. cap. 12. probat hinc convincendum Antichriſtum, quòd non ſit Chriſtus: Quia in ſuperbiâ veniet, cum omnis de Chriſto prophetia reſonet, quod eius adventus erit in humilitate: Et in Iſaiâ legitur: *Iudicium eius in humilitate ſublatum eſt, generationem autem eius quis enarrabit?* Nam ducetur ſicut ovis ad victimam, id eſt, ad paſſionem & mortem: uti Evangeliſtæ teſtantur eum ductum fuiſſe, & promiſerant Prophetæ: & alia ſexcenta, quæ ibidem fusè perſequitur. Cum itaque hæc nota & aliæ quæ in Prophetis leguntur in Chriſto fuerint completæ, argumentum eſt infallibile illum eſſe verum Meſſiam: etenim prophetiarum eventus ſub calumniam cadere non poteſt. Cæterum ut ſcias Regem non fieri populi favore, aut inſtitutione, ſed ex natura ſua talem eſſe, propterea ei ſic acclamatur, *Hoſanna Filio David*, ut cum audies filium eſſe Davidis, intelligas ex genere ſuo atque ſtirpe ſua Regem eſſe: unde de eo Apocal. 19. *Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus Dominatium*: femur autem agnoſcit Scriptura locum generationis, & ſtirpem, ut ſcias Regem eſſe natura: Itaque nomen Regis, & Meſſiæ, ſeu Chriſti, non eſt ei uti cæteris Regibus appellativum; ſed proprium nomen: quoniam in cæteris, regia dignitas adjungitur naturæ; ſed in noſtro Rege, ea naturalis eſt, & eſſentialis: & hac ratione locum illum Canticorum intelligo, *oleum effuſum nomen tuum* quaſi diceret, nomen Chriſti, nomen Meſſiæ, ſeu vncti, nomen tuum eſt, quoniam unctio fit oleo effuſo: ut enim ſcias aliter unctum fuiſſe, quàm alios Reges ſic eum David alloquitur in Epithalamio, *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, quod S. Paulus interpretatur de divinitate, & unione illa mirabili cum Verbo, per quam ſubſtantialiter unctus eſt divinitate, & ſingulari modo conſtitutus Rex à Patre, quâ ratione nullus alius: unde dicitur plus unctus quàm cæteri, qui tantum divinitatis ipſius, & regiæ dignitatis participes ſunt effecti: nam uti dicitur *omnes de plenitudine eius accepimus*, de quo dictum eſt, *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*.

Iam alterum locum Pſalmi ſecundi, agere de eadem Regia dignitate Sole clarius eſt: nam & mentio fit ſubditorum, & finium imperij: *poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: fit etiam mentio Sceptri, & modi quo gubernabit, *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*: quod S. Ioannes ter repetit in Apocal. cap. 2. *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas fi-*

& reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eas: & cap. 12. *Mulier peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*: & cap. 19. *Et ipſe reget gentes in virga ferrea.* Virgam pro Sceptro accipi, nulli eſt dubium, præſertim cum vox, Reget, ipſum dominatum ſignificet. Quod autem hoc Sceptrum dicat non aureum, ut Aſſueri, ſed ferreum, id fit ut ſignificentur omnes qualitates, & virtutes neceſſariæ ad perfectum regimen, quæ omnes in Chriſto eminentiſſimè elucent, teſte Davide Pſal. 44. *Virga directionis*, aut ut vertit Paulus Hebr. 1. *Virga æquitatis, virga regni tui*: id eſt enim: Sceptrum tuum tuum, mi Saluator, virga eſt directionis, imperii & reregiminis, quia in illo geſtas inſignia virtutum omnium, conditionumque optandarum in principe qui digne vult munere ſuo perfungi.

Nihil eſt dubij, quin finis Regiæ dignitatis & gubernationis ſit bonum felicitaſque ſubditorum. Atque hæc eſt differentia inter dignitatem regiam & tyrannidem, quod tyrannus nihil niſi commoda ſua ſpectat, nullâ ratione ſubditorum habitâ, contrà verò Regia dignitas coniunctè ſuum ſubditorumq; bonum attendit. Pariter certum eſt ſubditos nihil amplius à bono regimine Principis expetere poſſe quàm Æquitatem & Liberalitatem; Iuſtitiam & Beneficentiam, quæ duo ſunt ſemper conjuncta in S. Scripturâ ſub nominibus Miſericordiæ & Veritatis, vel Pacis & Iuſtitiæ, quas fatetur Propheta ſibi occurriſſe invicem in Filio Dei. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Sed quia nihil efficeretur, ſi Princeps ſolam haberet voluntatem ſine facultate ſcientiaq; benè merendi, oportet inſuper Poteſtatem habeat animatã magnitudine animi, & conformem voluntati ſuæ; habeatq; Sapientiam qua moderetur poteſtatẽ, & voluntatem quæ ineſt ipſi erga ſubditos. Ita ut ad perficiendum Principem in gubernationis munere, in eo conſociandæ ſunt quatuor virtutes, Sapientia, Poteſtas, Iuſtitia & Liberalitas. Et hæ quatuor ſunt dotes quas Propheta Iſaias agnovit in Meſſia cap. 9. *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, &c. ſuper ſolium David, &c. ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & juſtitia, amodò & uſque in ſempiternum.* ô felix gubernatio Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, ubi is qui dominatur, adeò eminet ſapientia ut eius conſilia admirabilia ſint! Quicquid agit, ſubditorum bona reſpicit, rectèque id demoſtrat conſiliarij munere defungens. At prodigioſa ſunt ipſius inventa in excogitandis rationibus tàm aptis ad conſilia ſua deſtinatum ad finem provehenda, exhibendoſque ſubditis ſuis ſuaves juſtitiæ ac beneficentiæ ſuæ fructus. Quæ autem maior quàm Dei Poteſtas? *Deus fortis*: vocabulum Dei apud Hebræos gigantem ſignificat ad indicandum, omnes creaturarũ vires à Dei robore ſuperari. Ipſius Liberalitas & Beneficentia exprimi nequeunt ſuavioribus verbis quã ſi dicatur eſſe, *Pater futuri ſæculi* id eſt Chriſtiani; *Princeps pacis*, futurus tàm magnificus in donis, ut Patris loco eſſet Chriſtianis omnibus boniſque eos cumularet; ad pacem, quæ totius fœlicitatis eſt cumulus, gubernationẽ omnem ſuam dirigens. Verum iuſtitia non poterat commendari melius quàm dicendo, *ſuper ſolium David ſedebit ut confirmet illud & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodò & uſque in ſempiternum.* Quatuor porrò conditiones illas ſcitè repræſentatas fuiſſe in Sceptro ferreo Filii Dei, facile demonſtrari poteſt. 1. Vis & poteſtas elucent mirificè in ferro, ſicut docent S. Hieronymus & S. Gregorius, qui quidem in ferro agnoſcunt vim Prædicationis Evangelij. S. Hieronymus in caput 4. Michææ, explicans cornu ferreum Eccleſiæ, ait illius eſſe Poteſtatẽ. Sed nihil eſt magis convinces quàm quod

Digitized by Google

apud Danielem dicitur cap. 2. Vbi poteſtas Romani Imperij oſtenditur parte ferreâ ſtatuæ: *quomodo*, inquit, *ferrum comminuit & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc.* Idem dico de Beneficentiâ: nam inter omnia metalla nullum eſt utilius ferro, ſine quo artes univerſæ ferè inutiles forent, nihilque prodeſſent. His adde, nos ex eo intelligere Regem noſtrum magnificum & amantem, non ſibi feciſſe Sceptrum aureum ex ſubditorum ſuorum ſpoliis, uti plerumque Reges terræ faciunt, at contrà ut nos ditaret, ſeipſum pauperem effeciſſe. Licet de Iuſtitia & æquitate conticeſcerem, nemo eſt quin videat eam eminere ſingulariter in Sceptro ferreo, quod inflecti non poteſt, *Virga æquitatis, virga regni tui.* Nil nobis ſupereſt præter Sapientiam, quæ procul dubio elucet in operis artificio & formâ. Cùm enim materia ſi ſola ſpectatur, vilis ſit, exiguique pretii, ſitque nihilominus Sceptrum Regis Regũ, oportet illud ab ſapientia induſtriaque opificis, raroque artificio ſuo redditum eſſe admodum commendabile, ac dignum eius manu à quo geſtatur, qui non eſt alius niſi Meſſias. II. Propoſitio. In duobus illis locis, ita ſuam occultavit rationem agendi, ut conditionem muneris ſui diſſimularit ſub rerum planè contrariarum ſpecie. Nam ſi Hiſtoriam Evangelicam ſpectemus; cum agatur de manifeſtatione ipſius Regiæ dignitatis, quid minus regium quàm illud. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinã, &c.* Quàm enim hoc alienum à Regum omnium conſuetudine, & uſu? Nam quid memorem triumphos multorum principum, quid aureos currus, quid equorum quadrigas, quid captivos, quid equos albos, quid Leones, quid Elephantos, quid Cervos, quid animalia peregrina, quid fatigatos hominum humeros, quid umbellas, quid lecticas, quid munera, quid congiaria, quid purpuram, quid aurum, quid ebur, quid gemmas? Vnus Salomon cum per urbem incederet, quanta pompa id faciebat? *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatoriũ aureũ, aſcenſũ purpureũ: media charitate,* hoc eſt rebus chariſſimis, & pretioſiſſimis *conſtravit, propter filias Ieruſalem* Sed hodie his omnibus omiſſis, unius aſinæ, & pulli fit mentio. Verum dum Chriſtus in ſpeciem viſus eſt regiam ſuã dignitatem occultare, hac una re maximè oſtendit. Nam ut omittam hunc omnem mundanum ornatum infirmitatis eſſe, non roboris, & ſolum conferre ad ignaros obſtupefaciendos, cum homines ſapientes rebus illis non commoveantur: quid enim ſunt tot ſatellites Regum, quàm turba, tumultus, & impedimentum; quid ille externus apparatus, quàm perſonata gloria, & theatralis majeſtas: hoc ideò fecit, ut ſe ſingulariter illũ regem oſtenderet, qui per tot ſæcula promiſſus fuiſſet. Enimverò ſi alio veniſſet apparatu, dubitari potuiſſet, an eſſet iſte promiſſus, cum multi ante eum fuiſſent eâdem pompa ingreſſi: ſed cum eum habitum ſumpſit hactenus à nullo unquam rege, omnibus retrò ſæculis uſurpatum, eas ſumpſit notas imperii ſui, quas nemo potuit ignorare, nemo diſſimulare, cum longè ante fuiſſent à Prophetis notatæ: hæc enim eſt Prophetia Zachariæ. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, &c.*

Quòd ſi locum Pſalmi attendimus: In illa virga ferrea quæ dicitur Sceptrum eius, Aſſero ſignificari modum ipſius gubernandi ipſi uni proprium, qui conſiſtit in arcano conſiliorum ſuorum prorſus mirabilium, quæ divino plane invento homines celat, diſſimulans egregium providentiæ ſuæ ordinem, occultando res tam eximias ſub vilibus formis, reſque involuendo in ſuo cujuſque contrario; ut eas mundanæ ſapientiæ oculis ſubtrahat. Minimum pretio inter metalla ferrum eſt; voluit tamen in Sceptrum virgulam ferream aſſumere, auream Regis Aſſueri contemnens

quamvis

Digitized by Google

quamvis ſceptrum florentiſſimi omnium quæ poſſint exiſtere, ſplendidiſſimique regni gereret: ſed diſſimulare voluit regiæ dignitatis ſuæ magnitudinem ſub vili ſpecie Sceptri pauperis atque deſpecti. Nam ut ad ſingulâria deſcendam; Quid maius redemptione Mundi, profligatione Idololatriæ, Imperiorum mutatione ac everſione, depopulatione inferorum, peccati exitio, mortis ipſius interitu, & adeptione regni cœleſtis, tum ſibi, tum ſuis lucrandi? Ingentia tamen illa facinora edita ſunt tam parvo apparatu, ac tanta diſſimulatione, ut ea nõ potuerit mundi ſapientia dignoſcere paucorũ dierũ infans, ortus parentibus egenis, in ſtabulo editus, jacẽs in præſepio, in ærumnis, in miſeriis, in paupertate: vita ſine honore ac ſplendore tranſacta, in obſcuritate & officina fabri lignarii: mors horribilis & cruciatibus ignominiiſque affluens, ultra id quod unquam toleratum eſt: Ecce redemptio orbis, vaſtatio inferorum, ruina peccati & cœlorum adeptio. Inopes duodecim homines ſine doctrina literarum, ſine eloquentia, ſine authoritate, ſine viribus & præſidiis, nihil habentes in ore quàm hominem crucifixum, prædicantes egeſtatem, contemptum divitiarum, odium voluptatum, & afflictationum amorem; Ecce profligatio Idololatriæ, & mundi labefactatio. Puſillus infans honoris expers, ſine comitatu, ſine aſſeclis; tenuis gleba devoluta ex monte, exiguus lapis diremptus ex ingenti rupe, abſque vi & induſtria hominum, incutitur grandi ſtatuæ, eam diſicit, humi affligit, in pulverem redigit: Intumeſcit, deinde augeſcitque ad craſſitudinẽ montis: Ecce ſubverſio Imperii. Quid dicam, quô pacto robur ſuum diſſimulavit ſub imbecillitatis ſpecie? Ipſe, ac ſui fuere pauperes, ſine authoritate in mundo; Se inimici ab ipſo ulti ſunt, & ſuperiores fuere: Invaſere in eum, nec ullus eos avertit, accuſarunt perperàm, nemo inquiſivit de injuria, miſerè trucidarunt, morti nullus obſtitit, tremit in certaminis ſui aditu, contriſtatur, tædio afficitur uſque ad mortem, induciaſque à Patre poſtulat, nec exanditur, traditur adverſariis, daturque in prædam cruciatibus tàm ſævis ut de iis ſilere nequeat: Neque vero æquius actum eſt cum ipſius Diſcipulis & ſectatoribus; quiſquis de eo eiuſque doctrina verbulum profert è Synagoga excluditur, immo ejicitur ex hominum cœtu, pro inſano habitus, pro impio & ſacrilego; nullus eſt Iudex, nec Præſes, nec Magiſtratus, neque Gubernator Provinciæ, nullum eſt judiciale forum, neque tribunal quin eos arguat, accuſet, perſequatur; id enim & ad exquiſita ſupplicia, ad mortem horribilem & execrandam; fures, homicidæ, patricidæ, rèi læſæ majeſtatis, & ſacrilegi ac ſceleratiſſimi quique puniuntur mitius quam Chriſtiani; ferrum, gladius, rotæ cultrorum acie, mucronibus & novaculis armatæ, forcipes igne ardentes, ſulphur, pix, liquatum plumbum, flamma fornaceſque cenſentur tormenta eſſe leviora ad plectendum hoc ſcelus. Attamen *Virtus in infirmitate perficitur*, tantæ fortitudinis & poteſtatis eſt, ut quæcunque ſe contra opponunt, contradicunt, & vexant, perrumpat cum victoria, ſuumque Regnum ſupra ſtrages cædeſque conſtituat. Quò plures Chriſtiani mactantur, eò multiplicantur magis: ſanguis Martyrum ſanguis eſt Chriſtianorum. Objectum fortitudinis, eſt ingens, arduum ac difficile aliquod facinus atqui nihil magis magnificum eſt quàm ad ſua conſilia convertere, quidquid inimici noſtri ad noſtrum exitium apparaverant. Ita ô Chriſtiani, ſi Deus velit oſtentare vim ſuam ad generoſum cor firmandũ, id efficiet ſub ſpecie ſummæ infirmitatis. S. Athanaſium exponet generali totius orbis defectioni tumultuique; eum in certamine ſolum relinquet, ut ſæcula omnia mirentur conſtantiam, vimque animi tàm ſancti militis,

qui

qui ſolus in gradu firmus reſtitit Imperatoribus Arrianis, tot Regibus Ducibuſque, tot urbibus, Provincijs, nationibuſque integris.

At quomodò abdidit admirabiles Beneficentiæ ſuæ effectus, quis non obſtupeſcet videns quot peccta, & mala in hocce mundo accedere permittit; quot in graves culpas electos ſuos prolabi? Cur nam (inquiet aliquis) tot ærumnas & afflictationes in homines effudit, peſtes, famem, bella, diluvia, terræmotus, generaleſque reliquas calamitates, quæ probos maloſque promiſcuè involvunt, electos ſicut & reprobos? Quis non ſtupebit audire Simonem Stylitam, ſanctitate quam ſede ſublimiorem, ictu fulminis obteri, viros ſanctimoniâ illuſtres à mari æquè abſorberi in naufragii hiatu horribili, ac ſceleratiſſimos? Ita beneficentię ſuæ effectus occultavit Deus, magnaque pars mortalium pro acerbitate ac pœnâ accepit, quod ille pro benefacto ipſis offert, adeo verum eſt quod ait S. Auguſtin. in Enchirid. cap. 27. Melius judicavit Deus de malis benè facere, quàm nulla mala eſſe permittere: ac nemo exiſtimare debet voluiſſe Deum acerbè agere in eos, quibus non permiſit quicquam accidere quod in majus bonum ipſorum non cederet.

Verùm quàm pauci intellexere Iuſtitiam & æquitatem quam in gubernatione obſervat, videndo quantum inæqualis eſt in diſtributione bonorum, honoris, ſanitatis & ingenij? Attamen quid juſtiùs quàm ut quiſquis ſuum dat, donet id prout vult? Largiri æqualiter omnibus, ſuadoret id ex debito tribui. Si ea inæqualitas bonos aliquos fines ſpectat eius qui dat ſuum; ſi etiam fructuoſa eſt iis qui accipiunt ſeu parum ſeu multum, quis non fatebitur nihil eſſe juſtius poſſe? Nolo hic ſermonè producere illud demonſtrando in diſtributione bonorum Salvatoris cum id nimis manifeſtum exiſtat.

Caput hoc tantum finio dicendo illum pariter diſſimulaſſe Sapientiam ſuam ſuſcipiendo conſilia quæ adverſabantur penitus in ſpeciem ijs quæ ſibi propoſuerat. Atque id Regis eſt ſapientis, adhibere media ad aſſequendum quod conſtituit, quæ videantur in contrarium ferri, ne ij quorum intereſt ſeſe illis opponant; atque hæc agendi ratio Salomone digna eſt, ut infantem veræ matri ſalvum tuetur, ſimulare ſe velle ipſi necem inferre: ſic Dei Filius reperit honorem in contemptu, pacem in bello, delectationem in toleran tiâ, divitias in paupertate, vitam in morte, reſurrectionem in ſepulchro, concentum faciens è rebus diſcordantibus, & contraria uniens. Idem præſtitit in Apoſtolis, quorum unus ita loquitur. 1. Cor. 6. *A dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, ut ſeductores, & veraces, ſicut qui ignoti, & cogniti, quaſi morientes, & ecce vivimus, ut caſtigati, & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, ſicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Quibus verbis clarè oſtenditur quod diximus.

III. Propoſitio, univerſum Regnum Filij Dei, eius Imperium, dominatumque in ſolo amore conſiſtere, ſive ſpectetur in pace, ſeu conſideretur gerens bellum & in conflictu. Nimium facilis eſt locus Evangelii, & Zachariæ Prophetæ, ut in eo diutius hæream: unde & ad lætitiam, & ad confidentiam excitatur populus ad eius adventum: *Exulta ſatis filia Sion*, & alter Evangeliſta, ex eodem ſenſu. *Noli timere filia Sion.* Ratio communis eſt in verbis ſequentibus: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, unde populi acclamatio, Hozannæ, quod ſalutem ſignificat, quam ab eo ſibi populus depoſcit, cum ab eo liberationem flagitat. Quid enim à Filio David cuius tantoperè manſuetudo commendatur, ſecundum illud, *Memento Domine David & omnis manſuetudinis ejus*, expectare aliud Populus debuit niſi ſalutem, & liberationem? Cum enim plenus

plenus ſit manſuetudine, qui *venit manſuetus*, pronus eſt ad miſericordiam, atque ad benefaciendum.

Idem in loco Pſalmi ſignificatur, ſed venuſtius, quia occultius. Quis enim non diceret Sceptrum ferreum eſſe imperii duriſſimi omnium, acerbiſſimique ſignum, quandoquidem S. Scriptura, nunquam nobis purititem, crudelitatem, intolerandumque pondus rerum omniũ denotat melius quàm ferro. Sic Deuteron. 3 Moleſta ſervitus vocatur jugum ferreum, Deut. 4. Ægypti captivitas, fornax ferrea. Pſal. 14. Severus carcer, manicæ ferreæ. Virga nihilominus ferrea, cum pro ſceptro ſit Filio Dei, nobis ſignificat regnum ipſius eſſe Imperium amoris, abſque vi, abſque coactione, abſque violentiâ: adeo verum eſt id quod oſtendimus in 2. propoſitione, eum abdidiſſe egregium gubernationis ſuæ ordinẽ ſub ſpeciebus planè contrariis. *Verè tu es Deus abſconditus*, exclamat Iſaias cap. 45.

At ſicut prima fronte ſceptrum ferreum repræſentat gubernationem acerbam, ſeverumque Imperium; ſic aio ſi quod exterius eſt, & quod apparet, attendamus, nullum unquam regimen gravius acerbiuſque in mundo fuiſſe, gubernatione Filii Dei. Nam, Auditores, quid dicturi eſſetis de eo Rege qui adigeret ſubditos ſuos ad deſerendas opes, fortunas, & bonorum commoditates quin & facultatem iis adimeret cujuſquam rei, unquam poſſidendæ: Qui poſtquam ſpoliaviſſet, aut ſacco induiſſet ac cilicio, pauciſſimo victu aleret, oneraret ictibus, nec eſſe quietos unquam fineret: Qui amoveret illos à loco nativitatis ſuæ, à parentibus, amicis, notiſque omnibus, cogeret eos nuntium remittere honori ſuo, & ut ipſos omnibus vitæ oblectamentis privaret, ad æternam damnaret ſervitutem, ad vitam in perpetuo luctu degendam, ad vivendum aſſiduè in lachrymis & mœrore? Quid porrò de illo qui ſervorum ſuorum optimos quoſquũ ita nihili faceret, ut eos objiceret hoſtibus ſuis, millies adhiberet ad equulei tormentũ, alios enſe concideret, fune plecteret alios, alios igne, inauditis alios cruciatibus; ediceret ne lacrymulam vel unicam, immò ne unum quidem ſuſpirium emitterent: Inſuper cogeret gratiã ipſi habere quod tam barbarè crudeliterque in eos ageret, hilarem vultum præferre in tantis acerbitatibus, in tormentis canere, carnificinæ ſuæ inſtrumenta deoſculari ac fovere? Nonne diceremus crudele hoc Imperium eſſe, ſanguinolentum regnum, atque ut nihil diſſimulem, ſceptrum verè ferreum? Veruntamen, Chriſtiani, quicquid mox dixi Ieſu Chriſti eſt regnum, ea eſt ejus gubernatio, ipſius Imperij hæc ratio eſt. Attendite quo pacto ſe gerit in ſuos: Exuit eos bonis ſuis, aufert quę habebant, & voto paupertatis reddit ad quidquam poſſidendum neque hæreditate, neque acquiſitione, neque alterius etiam liberalitate. Interdicit uſu voluptatum, earumque etiam quæ aliunde non prohibitæ ſunt: quin & iis adimit illarum ſpem & facultatem voto caſtitatis: Eripit libertatem, ſuique arbitrij uſum, optionem actionis ſuæ, ſuæque vitæ ductum, voto obedientiæ: eodem, procul eos removet à ſuis, à patria, ab ædibus propriis, ac ſæpe illos inde in perpetuum exules facit, damnatque alios ad aſſiduum in ſolitudine carcerem, ad æternas alios lachrymas, ipſos cum pœnitentia copulando, ut de iis dicatur, Et habent pro conjuge luctum, alios denique ad labores nullo modo & exitu niſi morte finitos. At quo pacto agit cum Martyribus. optimiſque ſervorum & amicorũ fideliſſimis? Horrendum eſt id vel tantum cogitare: Nihilo parcius leniuſque ſe in eos gerit quàm in hoſtias, victimaſque, ſeu in arietes deſtinatos lanienæ. *Propter te mortificamur totà die, & æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Eos efficit mundi purgamentũ, fæcem vulgi, ludibrium & execrationem nationum, crudelitatis eſcam, anſam petulantiæ, objectum carnificinæ, injuſtitiæ

titiæ materiam: eos obligat ad dandum ſanguinem ſuum, vitamq; in mille tormentorum uſu, neque vult eos lamentari, totque rerum jacturam deflere, ſed arbitrari ſe felices, amplexari patibula, admovere ſe ad cruces exoſculari vincula, gratiam habere tortoribus, & orare pro tyrannis à quibus necantur: Nonne oportuit ſceptrum eſſe ferreum quo obligarentur, ſubiicerenturque tantæ incommodorum diritati? Oportebat ſanè amorem aut illud ſceptrum eſſe aut manum quæ id geſtaret. O quàm rectè illud noverat Sapiens cùm dixit in Canticis, *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum; aqua multam non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illā.* At At illius videte ſeveritatem; & quàm immiſericors eſt. Quot homines ad inopiam redegit propter amorem Salvatoris verbulum unum Evangelii, *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus*? Multa millia fortunis omnibus nudavit. Serapion ſpectatæ vir conditionis, ab eodem illo exutus & ad nuditatem adductus, nihil præter Evangeliſtarum codicem ſibi reſervaverat, quem ſub axilla ferebat, ibatq; per urbem vicatim clamitans, ille me ſpoliavit, Quot mortales ſe ipſos armavit, immiſericordes in corpus ſuum eos reddendo, brevi monito Evangelii, *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud?* Nihil in ſpeciem clementius eſt amore; ita planè eſt; at dicere auſim, reipſa & verè nihil eſſe acerbius. Eius enim verò inſtructū attendite Veſtes ornatuſq; ipſius ſunt inſtar armamentarii, arcus, ſagittæ, pharetra, faxque; at ubi jacula ei deſunt, ſeipſum immittit ad inferendum vulnus, ictumq exitioſiorem infligit, neq; unquam aberrat. Proh Deus! quod acerbitates in amore! quanta ſeveritas in ſceptro Filii Dei! præceptum Confeſſionis, condonandi iniurias, benè merendi de inimicis amandi ieiunium, orationem auſterioremque victum· Affligendi carnē ſuam, amandi app[e]ditiones, co[e]rcendi cupiditatem, adverſandi ſibimet aſſiduè. Hæc ſunt ad quæ nos amor adigit, præſtat in pace.

Quid autem in bello & in certaminibus agere ipſum putatis? *Accingere gladio tuo ſuper ſemur tuum potentiſſime.* Prodi mi Rex prorſus glorioſe, bellicoſe & fortiſſime, prodi in campum. At ne idcirco putatote, Chriſtiani, eum deſinere Regem amoris nominari. Proprium amoris eſſe bellicoſum: ſemper eſt armatus: & quidem audite quæ addit Pſalmiſta in divino ſuo Epithalamio: apponit gladium ad latus: non igitur ad uſum ſed ad ornatum: at vultis arma ei accommodata, & propria? *Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſperè procede & regna.* Et inferius, *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis,* Quamquam nulla ipſi meliora ſunt arma, quàm ſceptrum. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Nonne vobis ſtrenuus Imperator videtur, qui hoſtium aciem perrumpit, turbat ordines, vi manipulos infringit, concidit omnia, univerſa labefactat, tanto ſucceſſu & ea facilitate, ut ſi vaſa fictilia confringeret virgula ferrea. Vobis tamen auſim aſſerere illū in tantæ ſeveritatis uſu, exercere eximium amorem; atque ut acerbè agit adverſus hoſtes ſuos, ita eò magis efferre miſericordiæ ſuæ opera: Non modo quia ſecundum S. Hieronymi, multorumq; aliorum authorum interpretationem Deus agit inſtar figuli qui ſomens argillam, glutinoſamque terram, unde vaſa fingat ſi quod vitiū in aliquo animadverti, illud eff. ingit, deſtruitq;, quandiu materies adhuc mollis eſt, neque ignem perſentit, ſubigitque iterum, priora vitia corrigens; ſic Deus expolit electos huius vitæ tēpore, atque afflictationibus, & experimentis vitia quæ ipſis inſunt emendat: Sed inprimis quoniam Deus nunquam ſe magis miſericordem, clementemque oſtendit, quàm ubi crudelem in hoſtes ſuos cædem exercet. Quia verò id primo aditu continet paradoxum doctis,

doctrinamque inauditam, eius fontem vobis aperiam neceſſe eſt. Valde uſitata eſt in Scriptura loquendi formula, explicare juſtificationem peccatoris, mundi converſionem, extinctionem Idololatriæ, vocabulis quæ ſignificent bellum certamen, victoriam, cædem, internecionem, vaſtationem & everſionem imperij, quoniam peccatum erexit regnum adverſus Filij Dei regnum. Cum autē generali defectione nationes univerſas iſtud commoverit in legitimum Principem, hic dominatum recuperare non poteſt niſi armorum vi, cruentóq; prœlio, quod omnia igne ac ſanguine compleat; nulli rei parcendo, quoad peccatum deleverit & infidelitatem. Atq; ut nihil peccatum deſtruit prœterquàm juſtitia & ſanctitas, ratioque unica evertendæ impietatis ſit in eius locum ſubſtituere religionem, ac virtutem, conſequens eſt, ut conſtitui ſtabilirique religio & ſanctimonia non poſſit, niſi horribili cæde ac internecione; abundanter ſanguinem fundendo. Verum audiamus loquentem S. Scripturam. Pſal. 97. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*: S. Auguſtinus per eas naves intelligit, omnes terræ nationes, quæ ſuperbiæ flatu tumidæ, vela adverſus Eccleſiam expandunt: Quarum ſuperbiam Chriſtus evertit, quando eas ad fidem traduxit. Pſal. 67. per alluſionem ad Davidis bella, Chriſti victoriæ narrantur in mundi converſione: Vbi verſu 22. dicitur: *Deus confringet capita inimicorum ſuorum*, &c. *ut intingatur pes tuus in ſanguine*: ubi Genebrardus ait in ſacra Scriptura hoſtium clades non tàm ſignificare abolitionē, quàm converſionē: idq; docet à Rabbinis, ut à Kimhi & Aben-Ezra. Pſalm. ceri ait 96 *Ignis ante ipſū præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, quod Ambroſ. Lucæ 12. de Charitatis igne exponit: Pſal. 103. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita ut non ſint*: Baſil. ait. Non ut pereant erat, ſed ut convertantur: Pſal. 149. *Et gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: ut faciant in eis judicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius* Certum eſt Apoſtolos non alio bello aggreſſos eſſe gentes, quā prædicatione & converſione: Hinc illud *increpationes in populis*, quod non eſt aliud quàm eos, peccatores eſſe convincere, & ſalutari pœnitentiæ ſubjicere. Lege ibid Auguſtinū quâ ratione Sancti pugnent gladio ſpiritus: Pagani (ait) occiduntur cum Chriſtiani fiunt: quia quæro ego Paganum, & non invenio: Ergo mortuus eſt Paganus: nam ſi non occiduntur, unde dictum eſt Petro *macta, & manduca*: Iſai. 34. *Indignatio Domini, ſuper omnes gentes, furor ſuper univerſam malitiam eorum interficit eos, & dedit eos in occiſionem, &c. Quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicij Sion*, &c. *Nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius.* Nomine Idumeæ intelligit Montanus Romanum Imperium; Romam in urbe Boſra; incendium interpretatur ignem Evangelii: Sophon. 3. *In igne zeli mei devorabitur omnis terra: quia tunc reddam populis labium electū, ut invocent omnes in nomine Domini, & ſerviant ei humero uno.* De igne Evangelij interpretatur S. Hieronymus. De eodem accipe quod dicitur in Apocal de urbe Roma ſub figura Babylonis, cuius incendium dicitur ſemper duraturum.

Ex iis omnibus apparet, iracundiam Dei adverſus nationes, prælia, victorias Meſſiæ, cædes, ſtrageſq; ab illo inſigni bellatore editas, nō fuiſſe niſi admirabilis eiuſdē clementiæ, benevoliq; amoris effectus. Vivificando interimit, perdit ſalvando, vitā largiendo trucidat: exceſſus iræ ipſius, bonitatis exceſſus eſt: acerbiſſima eius vindicta, eſt generaliſſima venia: unde concludi facilè poteſt, illum in pace & bello eſſe Regem amoris.

Pro concluſione, Cum nemo ſit qui non ſub aliquo vivat imperio, & ad aliquem Regem non pertineat, hoc eſt, vel ad Chriſtum,

ve

vel ad Diabolum; cum regnum Diaboli ſit tyrannicum, & conſequenter crudele, durũ furioſum; Sequitur Chriſti regnum eſſe legitimum, & conſequenter regnum amoris. Ne quis autem huius nominis ſuavitate decipiatur; ſcire unuſquiſque debet amoris imperium non eſſe molle & delicatum, ſed forte & imperioſum. Vide enim quò perducat amoris imperium; cui nihil unquam ſatis, immò ut ille loquitur, etiam de impoſſibilitate non capit ſolatium. Certè ſi amor ſit in pœnitente, quid non efficit? quid non exigit? Quòd ſi ſit in homine innocente, aut homine perfecto, quas non exercet tyrannides? quò hominem non perducit? Hoc ſatis in ſe experitur, quicunq; amat: hoc omnis qui amabit. Ama, aiebat ille, & fac quod vis. Sed ſi amas, id facies quod ille volet. Fœlix qui novit, miſer qui neſcit. Hoc experiri nobis donet qui ſolus amorem dare poteſt: qui ſolus amorem noſtrum meretur: qui ſolus amorem noſtrum poteſt compenſare, Ieſus Chriſtus. Amen.

FERIA SECVNDA.
HEBDOMADÆ SANCTÆ.
CONCIO PRIMA.
De præparatione ad mortem.

Sine illam ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. Ioan. 12.

IN domo Simonis Leproſi in Bethania mirabile inſtituitur Chriſto conviviũ, quod & vitæ & mortis eſt. Certè in omni convivio utrumque reperitur: comedunt enim homines ut vivant; & ferè in hominibus cauſa mortis eſt alimentum: ſed in hoc convivio illud eſt præcipuum quod ſit convivium vitæ: Nam quia Chriſtus Lazarum ſuſcitaverat in Bethania, cum Chriſtus illuc veniſſet *fecerunt ei cœnam ibi* ut ait textus: additur etiam *Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo*: vere reſurrectionis teſtis exiſtens. Vt autem ſcias eſſe convivium mortis. *Maria accepit libram unguenti nardi piſtici precioſi*, quo unxit & pedes & caput Chriſti eſt interpretatus, unctione mortis: unde ſubdit, *ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*; quaſi diceret, hæc unctio facta eſt in officium ſepulturæ meæ unxit enim me ſicut ſolet ungi corpus mortuum Chriſtus itaque non ad delicias hoc officium accepit, ſed ut ſepulturæ officium, pluſque fecit Magdalena quàm putavit; nam & viventi, & mortuo officium reddidit; ac ſicut aliquando prævenienda erit à Chriſto, qui ei apparebit vivus, cùm mortuũ requiret; ita nunc Chriſti mortem prævenit, & vivum, ungit ut mortuum, unde dicitur, Marci 14. *Prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.* Vide itaque diverſa duarũ ſororum officia. Martha miniſtrabat; Lazarus diſcumbebat; Maria ungebat.

Primum

Digitized by Google

Primum obſequium commune fuit, nam Martha miniſtrabat convivis: Lazarus ſibi attentus erat, unus erat ex diſcumbentibus: ſed Maria ad Chriſtum ſolùm attenta, cui & ſeipſam & ſua liberaliter impendebat; *Exterſit enim pedes eius capillis ſuis, & unxit pedes Ieſu*; vide quid ſequatur, *& domus impleta eſt ex odore unguenti*: Sanè eius exemplum vniverſam Eccleſiam odore replevit, & nos in odorem unguentorum eius currimus: Sed ne inutiliter curramus, gratiam Dei poſtulemus per Virginem. Ave Maria.

Oportet, Auditores, me vobiſcum hodie partiri imitationem religioſi officij Mariæ Magdalenæ erga Filium Dei: Pro parte veſtrâ vobis relinquendo curā abſtergendi pedes illius, hoc eſt, ſecundùm Sancti Auguſtini interpretationem, concredendo charitati veſtræ curam pauperum, qui Salvatoris pedes ſunt, quibus ſaltem impendatis quæ vobis ſuperflua ſunt, ſignificata per capillos: mihi verò retinendo odoramenta unguentaque, ut ea copioſè capitibus veſtris affundam, præveniendo ſcilicet ſepulturæ veſtræ diem, voſque diſponendo maturè ad mortem, ſuſcepto in manum officio eorum qui vos ad benè moriendum adiuturi ſunt. Spero ſi commoverim curâ ſalutis veſtræ, gratum forè vobis officium à me præſtari, longè optimum omnium quæ expectari poſſent ab homine obſequij veſtri ſtudioſiſſimo. Sermonem exordior.

Hâc I. propoſitione: Nullum tempus eſt impenſum meliùs, eò quod ponitur in comparando ſeſe ad mortem.

1. Ratio, quia ſatis ſemper futurum eſt temporis ad reliqua negotia, minimè verò ad illud ſemper ſatis erit, *Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*. Teſtis eſto ille qui aiebat, Inducias uſque ad mane, Inducias uſque mane.

2. Ratio. Quia ultimum eſt, & ſummum officium quod nobis præſtare poterimus, nam in eâ re expectare aliorum opem, meræ nugæ ſunt: Itaque ſi te amas, de hâc re, tanquam de ſummâ, tibi provide: *Miſerere animæ tuæ placens Deo*: Pſal. 48. *Frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem ſuam*: Id eſt, ne frater quidem juvare poterit in illâ horâ, multò minus, alter homo: itaq; eo tempore nemo redimere poteſt.

3. Ratio. Quia res eſt ſummi momenti. 1. Ex frequenti admonitione Chriſti Domini: Matth. 24. *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Ideò & vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt*, & Matth. 25. affert ſimilitudinem Virginum prudentum, & fatuarum: *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua*, &c. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam*: & alibi, *quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate*. Vnde varia exempla affert ſui adventus; Exemplum furis, diluvij ſupervenientis, & laquei injecti ſuper homines, ut intelligas Dei eſſe propoſitum homines non opinantes intercipere. Cùm tamen adeò ſæpe moneat, ne imparati intercipiantur, ſignum eſt rem eſſe magni momenti, & cui maximè attendere homines debeant.

Quia agitur in hâc præparatione de ſummâ rerum; ex hâc enim ferè ſequitur bona aut mala mors; nam licet exteriùs videantur mortes non differre, in ijs qui moriuntur, reipſâ tamen valde differunt, *mors* quippe *peccatorum peſſima*: Contrà verò, *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*: Quin etiam ejus diverſitatis ſæpe ſigna dantur: unde ſuperſtites vel lætantur, vel augent luctum ſuum: Inde etiā ſæpe pendent vel felicitas, vel damnatio: eſt enim momentum unde pendet æternitas, vel beata, vel miſera.

3. Quia in eo eſt prædeſtinatio, vel reprobatio: Id eſt, ultimus quaſi effectus prædeſtinationis, vel reprobationis; quòd Deus quoſ-

quoſdam occupet paratos, alios autem imparatos: Lucæ 12. *Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.*

4. Quia in ea re non licet bis peccare, error enim eſt irreparabilis, ſemel ſiquidem tantum morimur, atque inde omnia pendent: Eccleſiaſtis 11. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem; in quocunq; loco ceciderit, ibi erit*: nam mors affert immutabilitatem.

5. Quia Deus revelavit Sanctæ Gertrudi cum aliquis ante mortem aliquid egit, quo ſe ad mortem diſponeret, ſe illud omne ei reſervare in diem mortis.

II. Propoſitio tempus minus aptum ad comparandum ſe ad mortem ipſum eſt mortis tempus 1. Quia ſæpe illud tempus non datur, ſecundum illud. *Me autem non ſemper habebitis.* poſſum enim ſubitò mori, vel ſenſu deijci, vel privari uſu ſenſuum, vel vi morbi impediri, vel juſto Dei iudicio ob ſocordiam meam eo gratiæ auxilio deſtitui, quòd in hora mortis ad res meas in tuto collocandas eſt neceſſarium: Itaque idem nobis poteſt contingere, quod ſtultis Virginibus, quæ cum oleum non habuiſſent veniente Sponſo, excluſæ ſunt à nuptiis, & clauſa eſt ianua. Ex quibus intelligi poteſt quantum ſit periculum, quod in re tanti momenti, etiam dubiũ, eſt extimeſcendum, & verò probabile apparet. Sicut enim ob experientiam, licet omnes aliæ rationes deeſſent, certi ſumus omnes homines eſſe mortales, ita etiam eadem conſtat experientia, maximam hominum partem mori imparatam, & non opinantem: quanquam & hoc nobis aliæ perſuadent rationes, uti comminationes Chriſti Domini, & vita in multis ſceleribus tranſacta cum nulla ſuæ ſalutis cura.

2. Quia tempus mortis ferè ſolet eſſe impeditum: ubi enim dolor, ibi ſenſus, & huc tendit omnis animæ intentio, ait Auguſtinus: quid enim facias in tanta anguſtia? Cogita quid fecerit Saül dum enſi ſuo incubuiſſet; hinc enim vivere non poterat, jam gladio transfixus; itaque in illa anguſtia, alterius manum ad necem imploravit. Hanc anguſtiam ſic expreſſit Eccleſiaſtes cap. 8. *Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis*: Olympiodorus interpretatur de precibus hominis morientis pro impetrando pluſculo temporis: nequaquam enim poterit eiuſmodi preces effundere, mitte me Domine in vitam, ut pœnitentiam ſubeam peccatorum, & da mihi ut pœnitentiæ cauſa modicum quid adhuc vivam. Pergit Sapiens. *Non ſinitur quieſcere ingruente bello*: Nam quid memorem quod ait S. Ephrem & quod alias diximus de ſtatu eorũ qui agunt animam? Non vides (ait) apud fratres morientes, animamque agentes, quibus aſſidemus, quàm terribilia tunc eis accidere cernantur, &c.

3. Quia illud tempus non ſufficit ad tantum opus: neque enim vno die diſcitur benè mori, & uſurpari poteſt illud Caſſiodori de arte bellica: Ars bellandi, ſi non præluditur, cum neceſſaria fuerit non habetur: Nam cum plurima in eam horam paſſim rejiciantur, incredibile eſt quantum negotiorum illo tempore ſit præſtandum.

4. Denique quomodo hæc convenire poſſunt, eodem tempore, plus tentari, pluſque operis habere; & ſimul minus habere ſpatii, cum mors inſtet. Quis jam efficere aliquid poteſt in tantis rerum omnium anguſtiis, cum anima ad præterita ſe referre non audet, ad futura quò eat neſcit, in præſentibus conſiſtere non ſinitur? Hinc itaque patet mortis tempus eſſe minimè idoneum, ad ſe comparandum ad bonam mortem.

III. Propoſitio. Quandoquidem, ad hoc minus aptum eſt tempus mortis, conſequens eſt ut ante mortis tempus id facere oporteat. Eò pertinent verba Evangelii à me citata, Sint

Sine illam ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud; quaſi diceret, quia hoc officium ungendi, quod mortuis fieri ſolet, mihi mortuo præſtare non poterit, propterea id nunc prævenit: eſt igitur unguentum ſepulturæ meæ. Et certè illud accidit: nam cum Magdalena ſummo mane profecta eſſet ad monumentum, ut Ieſum ungeret, ſuſcitatum reperit: quod itaque ſuo tempore facere non potuit, tùm ob corporis abſentiam, id fecit ante mortem, ſed pro ſepultura: ſecundum illud Marci 14. *Prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*. Ita ante mortem diſponere ſe oportet, quandoquidem in ipſa morte fecerè non licet: quod quo fructu fiat, diximus revelatum fuiſſe à Chriſto Sanctæ Gertrudi: Et ei qui id fecit contingit quod dicit Iobus cap. 5. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum*: Septimam tribulationem Sanctus Gregorius mortis difficultatem interpretatur in Moralibus.

IV. Propoſitio. Quia vero tempus magis accommodatum, ad præparandum ſe ad mortem, illud eſt quod eam antecedit, ſequitur id eſſe faciendum ante mortem, quod tempore ipſo mortis faciendum erit. Scio id tam ab aliquibus eſſe factum, ut nonnulli ſæpius in vita ſeſe tractarint, quaſi mortuos. De Pacuvio Syriæ Præfecto, quod & alias diximus meminit Seneca, quotidie in lectum deportatum fuiſſe cum ſymphoniâ puerorum canentium βεβίωκε, βεβίωκε. vixit, vixit: & ita nullo non ſe die extuliſſe. Alij adfuere ſuis juſtis funeribus, vigiliis, & Miſſę Mortuorum. Alii in ipſis ſepulchralibus loculis decubuere. Non hæc damno, ſed utiliora, & communiora omnibus conſulo. Vt itaque rem propiùs attingamus, & de præparationę ad mortem dicamus.

Exiſtimo præparationem ad mortem triplicem eſſe, ſecundum tria tempora quibus fieri poteſt. Primum eſt tota vita: Alterum ſingulis annis. Tertium in morbo, aut in quocunque mortis periculo.

I. tempus obſervatur: tum quia ſemper vivimus in certo, atque dubio, cum nullum ſit certum mortis noſtræ tempus, nulla hora determinata. *Neſcitis diem neque horam*: Occupari enim poſſumus improvide; idemque nobis poteſt contingere quod ſtultis Virginibus, quæ cum non haberent oleum veniente Sponſo, excluſæ ſunt à nuptiis: tum quia ipſa vita nihil aliud eſt quàm quædam benè moriendi diſciplina: Itaque S. Nazianzen. orat. 10. refert ſuos liberos inſtituiſſe, ut ſcirent vitam nihil aliud eſſe quàm quandam migrationis ab hâc vitâ meditationem: μελέτην λύσεως.

II. tempus obſervandum eſt, quia ſingulis annis ſumus morti viciniores, atque identidè rationes noſtræ componendæ ſunt.

III. Denique, quia mors inſtat, & quia ut monet Angelus in Apocalypſi cap. 10. *Tempus non erit ampliùs*: De duobus primis temporibus hodie nobis dicendum; De tertio craſtina die.

Optima itaque præparatio per totam vitam, eſt bona vita: nam rarò contingit ut qui malè vixit, benè moriatur. Tremenda ſunt Sancti Hieronymi verba, qui moriturus, cùm ſuos adhortaretur, uti refert Euſebius in epiſtola ad Damaſum, adjecit: Vix de centum millibus hominum, quorum mala fuerit ſemper vita, meretur unus habere à Deo indulgentiam: hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus eſt finis, cui mala ſemper fuit vita: è contrario verò qui benè vixit, benè moritur: etenim mors quædã vitæ portio eſt, cum ſit ejus finis ac terminus. Sed quia illud nimis generale eſt, obſervanda ſunt quæ monet Chriſtus in hunc finem, Lucæ 12. his verbis *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos*

vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis, ut cum venerit, & pulſaverit confeſtim aperiant ei: ubi tria nobis præcipiuntur, in quibus præparatio ad mortem continetur:

1. *Vt renes ſeu lumbi ſint præcincti*, quibus verbis quo ſignificantur: Vnum eſt, ut ſtudeamus mortificationi, tum vitiorum, tum paſſionum, tum voluptatum, ut crucem noſtram deferamus, & nos ab aliis cingi patiamur. Vno verbo, vita omnis noſtra debet in eo verſari, ut mori aſſueſcamus; id eſt, ut nos privemus rebus ſenſibilibus, & iis quæ delectant, & corpore noſtro; eo ſenſu viventes quem habimus morituri: id dico pro affectu: hoc eſt enim lumbos cingere: Hinc quippe fit, ut facile iſta deſeramus in morte, quia mori didicimus: hinc oritur diſcrimen anxiæ & tranquillę mortis: is enim qui ſic vixit, omnia libens deſerit: ab altero extorquetur anima ut ab invito: juxta illud, *Stulte, hac, nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti, cuius erunt*? hinc demum Apoſt. Petrus 1. Epiſt. cap. 2. *Obſecro vos tanquam advenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militans adverſus animam* 2. Renes cincti ſignificant hominem collectâ veſte, vel ad agendum, vel ad iter eſſe paratum, quod illi in noſtrâ materia vonvenit, qui nihil habeat præterea agendum in vita circa res humanas; unde neceſſe eſt ut ſuis rebus exterioribus providerit: quod conſilium magni momenti eſt, ut nemo ita ſe implicet, & involuat in aliquo negotio, ut ſi à morte deprehenderetur, non poſſet Dominum vocantẽ ſequi, & eſſe, ut ait Pſalm. 87. *inter mortuos liber*.

Alterum quod Chriſtus præcipit, illud eſt. *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris*. Bona opera intelliguntur, quæ ſola nos comitantur, & adſunt in morte. 1. Itaq; in genere ſignificantur opera bona, ut fiat meritorũ collectio. Semper enim aliquid eſt reponendũ. Nulla dies, & ſi fieri poteſt, nulla hora prætereat ſine dato beneficio; alioqui ut ille aiebat: Amici diem perdidimus. Sed videndum ut fiant in gratia, ne pro æternitate ſint amiſſa: Eccleſiaſticis 9. *Quocunq; facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quo tu properas*: & Proverb. 13. *Anima operantium impinguabitur*. Quid enim expectamus? Ioan 9 *Venit nox, quando nemo poteſt operiri*: & Apoſtolus ad Hebr. 3 *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*: & ad Galat 6 *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet*, &c. *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes: ergò dum tempus habemus, operamur bonum* Cogita quod ait Eccleſiaſtes cap. 9. *viventes ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil noverunt ampliùs, nec habent vltra mercedem*: Id eſt, nihil ampliùs mereri poſſunt: Quia ut ait S. Hyeronimus, Mortui nihil valent ad id adijcere, quod ſemel ſecum tulerunt de vita. Et ratio eſt: quia ſunt in vitæ termino, ultra quem nullus eſt progreſſus; nullæ cum legiſlatore quaſi negotiandi induciæ, ſed accepta mercede, & perſoluto denario diurno, ſine fine quies, atque fruitio. Sic ille ſupremus gratiæ arbiter ſtatuit, ſic promiſit, ſic rerum natura poſcebat, ut aliquandò tandem ſuccederet merito ſua merces ultima. Sic etiam ipſa humani ſtatus, & via, & viatoris natura exigit, ut deficiente & via, & ſtudio, laborandi etiam ac merendi locus & tempus deficiant. Meminit hoc loco S. Hieronymus erroris Originis, & Origeniſtarum his verbis: Licet quidam huic expoſitioni contradicant, aſſerentes etiam poſt interitum, excreſcere nos poſſe, & decreſcere: ſed refelluntur multis locis Scripturæ, ubi variis ſimilitudinibus, res eadem exponitur, & confirmatur; videlicet, tempus

Digitized by Google

tempus laborandi, & ſeminandi, vilicationem exercendi, operandi in die, cibum victumque dum vivimus quæritandi; idem eſſe & merendi apud Deum, & agendi in corpore, velut ſarcina, merendi videlicet atque elaborandi conſorte. Quæ cum ita ſint neceſſe eſt commeatum in tot annos comparare. Quid enim facies per totam æternitatem, ſi parum comparaveris? Certè pro itineris diuturnitate ſumitur maius, aut minus viaticum? nulla autem major fingi poteſt diuturnitas æternitate. Cæterum ambæ manus ferre debent lucernas: hoc eſt in proſperis, & in adverſis. Item noſtræ manus: ut ſcilicet non fidamus alienis, ut præcipua fiant à nobis dum vivimus, neque illa tantum filiis, aut aliis imperemus.

2. Significantur multa opera quæ ſunt in obligatione ob varia præcepta poſitiva, quæ paſſim in vita non obſervantur, quoniam tempus determinatum non habent, & ſaltem obligant ut ſemel fiant ante mortem; præſertim cum tempus mortis multis rebus ſit impeditum. Vide quid paſſim agant homines eo tempore: Omne enim ipſorum, & aliorum qui circa ipſos ſunt ſtudium impenditur in procuranda valetudine, in leniendis doloribus, & minuenda ægritudine; Sicqui plurima, quia in hoc tempus reiecta ſunt fere omittuntur. Ne igitur id ita accidat, alio tempore facienda ſunt, ut actus fidei, ſpei, charitatis, contritionis, veræ pœnitentiæ, & ſimiles.

Tertium quod Chriſtus exigit, illud eſt ut continuò expectemus Dominum, juxta illud, *Expectantes Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis*: id eſt ut ita vivamus, tanquam morituri, *quia hora non putatis, veniet*, in 1. vel in 2. vel in 3. vel in 4. vigilia. Sicut itaque viri Principes ſibi præparant monumenta, ita & nos in cœlo nobis locum paremus. Vno verbo, mortis aſſidua meditatio, optima eſt ad bonam mortem præparatio: unde qui eam cogitationem in vita reſpuunt, ferè à morte occupantur: ſed qui huic cogitationi eſt aſſuetus, non perturbatur, cum venit. Cyprian. Epiſtola 52. Nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum. Certè hæc verba Chriſti Domini plus aliquid ſignificare videntur: nempe quoddam mortis deſiderium: nam ſervi, qui expectant Dominum ſuum revertentem à nuptiis, eius reditum exoptant: ſic Apocalypſim concludit Ioannes. *Et ſpiritus, & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni,* &c. *Etiam venio cito. Amen. Veni Domine Ieſu,* quibus verbis nihil expreſſius dici poteſt.

II. Præparatio eſt ſingulis annis, commodo aliquô tempore, quale eſt harum feriarum tempus; eligendo aliquos dies, quibus omnibus aliis negotiis ſepoſitis noſtram diſpoſitionem videamus: quia cum difficile ſit tempore morbi, & mortis his rebus attendere, oportet ſaltem ſemel in anno his rebus ſeriò incumbere. Exiguntur autem in hunc finem à nobis tria potiſſimum, 1. eſt examen noſtri ſtatus, circa vitia & peccata, circa paſſiones & malos habitus, circa virtutes, circa obligationes, & negotia, denique circa perfectionẽ, ut rationes noſtras componamus cum Deo, ut vitam mutemus in melius, & nos in eo ſtatu conſtituamus in quô mori non timeremus. Itaque ſi aliquid habes reſtituendum, reſtitue. Si aliquid voviſti, imple. Si ad aliquid teneris, ſatisfac. Si mala conſuetudo rumpenda, id effice. Si aliquid ad ſalutem eſt neceſſarium id præſta. Nam ſi cum potes, non facis, voluntariè omittis, nec te ulterioris vitæ ſpes excuſat: poſt tot Chriſti monitiones, poſt quotidiana exempla. Si intereſt ut tui hæredes aliquid ſciant, ſcribe, ut ſi morte præventus fueris, non id omiſeris dicere, neque cum culpa prætermiſſeris,

 alioqui

cùm mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus, ubi quæſo eſt? Denique eſſe tranſitum ad alteram vitam, eamque æternam, eamque fœlicem, vel infœlicem, utramque ſub dubio, ſed alterutram certam.

2. Cogita mortis incertitudinem, & repentinam occupationem: potes mori ſubitò, vel de ſenſu deiici, vel privari uſu ſenſuum, vel vi morbi impediri, vel ob peccata præterita, & in pœnam præteritæ negligentiæ auxilio Dei extraordinario deſtitui, quò unô adiutus res tuas in tutô collocabis, quô deſtitutus, nihil omninò præſtabis: ex quibus intelligere potes quantum ſit periculum quod in re tanti momenti, etiam dubium extimeſcendum eſt. Beatus es Arſeni, jam ſæpe aliàs diximus; qui hanc horam ſemper ob oculos habuiſti. *Vale & tu fac ſimiliter*, & habebis quod ille obtinuit, ut ſecurus moriaris: Qui ſic moritur, beatus erit in æternitate quam nobis donet Deus. Amen.

FERIA SECUNDA.

HEBDOMADÆ SANCTÆ

CONCIO SECUNDA.

Quæ eſt continuatio præcedentis, de præparatione ad Mortem.

Sine illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. Ioan. 12.

ET adhuc hodiernum Evangelium ad Magdalenam pertinet, cuius ſemper amor commendatur. Fuit is ſanè magnus jam à prima eius converſione; nam *remittuntur ei peccata multa quon am dimittitur, minus diligit*: Sed ſi ipſa cum ſeipſa componetur, ille idem amor ita crevit, ut primus parvus fuiſſe videatur. Itaque initio lachrymas dedit, ſed poſteà unguentum pretioſum: initio ad pedes tantum, ſed poſteà auſa eſt & caput attingere: initio judicatur ut peccatrix, nunc arguitur ut prodiga: Nam & ubi effudit quod effluere potuit unguenti, reipſa etiam fregit alabaſtrum, ne aliquid remaneret. Eo enim amor pertingit, ut *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*: Denique initio multum fuit quod abſolveretur, *va'e in pace*; Sed nunc etiam eius factum in totam poſteritatem comẽdatur: *ubicunq; prædicatum fuerit hoc Evangelium, & hoc diceretur in memoriam eius*. Certè me beatum, qui Chriſti prophetiam ex parte hodie apud vos impleam! Ipſa unguenti ſui odore totam domum implevit, & ſuarum virtutum odore, & fama vniverſum orbem

Sed

Digitized by Google

Sed quoniam ipſa prævenit diem ſepulturæ Chriſti Domini, hoc idem officium mihi permittite, ut veſtram mortem præveniam, vos ad rem tanti momenti diſponendo: ad quod gratia nobis eſt neceſſaria, quam nobis impetrabit B. Virgo. Ave Maria.

Plerique cenſet, hæc Eccleſiaſticis verba cap. 3. *Vnus interitus eſt hominis, & jumentorum: & aqua utriuſque conditio*, dicta fuiſſe prolataque ab impijs? ut in Evangelio de Lazaro dicebamus: Sed ea quæ ſequuntur, *ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur*, oſtendunt æqualitatem hominis iuſti & impij, qui nomine jumenti deſignatur, quia ſenſuum duntaxat uſum habuit, conſiſtere tantummodò in eo, quòd fine differentiâ homo juſtus, pravuſque morti tributum dependunt, & deſinunt vivere. Nam cæteroqui admodùm mors utriuſque diſcrepat; cùm *Mors peccatorum ſit peſſima*, è contrario autem *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius*. Scio S. Ambroſium lib. de bono Mortis cap. 2 dicere triplex eſſe genus mortis: Bonum ſcilicet unam, malam alteram, tertiam verò indifferentem. Mala mors eſt peccatum lethale, quô ſcilicet anima vitam gratiæ amittit: *Anima quæ peccaverit ipſa morietur*. Bona & ſpecioſa mors eſt iuſtificatio, quâ peccator moritur peccato, ut juſtitiæ vivat: de quâ loquitur Apoſtolus in Epiſtolâ ad Romanos. *Conſepulti cum illo per baptiſmum*. Mors indifferens, eſt naturalis, in quâ anima ſejungitur à corpore: quæ quidem vocatur bona vel mala, ſecundùm diſpoſitionem ejus qui moritur. Cæterum bona mors adeò pretioſa eſt, ut nemo ſit quin benè mori velit: juramentumque multorum, inquit S. Auguſtinus, iſtud eſt, poſſim benè mori; aut, Deus me vindicet à malâ morte: unde idem Doctor colligit, improbos magis diligere mortem ſuam, quàm vitam: ſibi enim volendo malam vitam, nullus eorum eſt qui ſibi bonam fœlicemque mortemque mortem non expetat: Inde confido ſermonem hunc iteratum diſplicere vobis non poſſe, cum in ſe contineat benè moriendi modum, quod omnes deſiderant: homo enim iuſtus bonam mortem exoptat, ſicut coronamentum vitæ ſuæ; ſed eam deſiderat improbus ſicut emendationem. At cum mors non evadat bona quaſi fortuito & inopinato caſu, ſed conſultò & ex animi ſtudio, ac ſecundum rectum ordinem qui adhibetur; aliunde verò cum univerſi prope homines occupatos ſe ac interceptos ab poſtremâ illâ horâ videant; ſicque anguſtatos ut illud ſcilicet benè mori, rectè ab iis fieri non poſſit, date id mihi, ut in ſermone inchoato perſiſtam, anteveniamque exemplo Mariæ Magdalenæ erga Salvatorem, ſepulturæ veſtræ diem veſtræ diem, voſque diſponam ad benè moriendum. Diſtinximus tria præparationis illius tempora, univerſam ſcilicet vitam; aliquot, annô quô libet, dies; vitæque noſtræ ultimum tempus, ſive in morbo, ſive in aliquo alio periculo mortis. Cum dixerimus de primis duobus, reliquum nobis eſt ut loquamur de hac ultimâ præparatione, quæ omnium plurimi intereſt; utpote ſola qua nobis ſupereſt, & quæ propiùs mortem noſtram attingit, ſine quâ quæ ſuperiores nobis inutiles ſunt, & quæ aliarum duarum poteſt vitia ſupplere.

Vltima proinde diſpoſitio eſt in morbo, vel in periculo, aut certo, aut incerto moriendi; quia extra morbum alia ſunt, pericula, ut ei qui ad bellum proficiſcitur, ſaltem ad conflictum; ei qui navim conſendit ad longum ter in mari; item mulieribus prægnantibus, paulò ante partum; & iis qui longa, & pericula itinera ſuſcipiunt: illi enim omnes ſeſe diſponere debent ad mortem; ſed communius illi qui gravi aliquo morbo detinẽtur; quia morborum acutorum incertus eſt exitus.

I. Ita,

Digitized by Google

I. Itaque unuſquiſque ſcire debet periculum in quo verſatur, neque illud ignorare; cui rei providiſſe oportuit in ſanitate, vel initio morbi: quin vero quilibet judicio hoc uti poteſt, quòd omnes morbi acuti ſunt periculoſi, & quiſque ſuum periculum conjicere poteſt ex curâ extraordinariâ quam Medici, & domeſtici habent de ſuâ valetudine. Oportuit itaque dediſſe ejuſmodi mandata, ne res tanti momenti nobis taceatur; aut tanta libertas danda eſt, ut non vereantur domeſtici aut Confeſſarij nos de noſtro periculo admonere. In quo ſæpè graviſſimè peccant & Medici & domeſtici & ipſi ægroti: Illi quidem, quia diſſimulant, fallunt, ac blandiuntur, præſertim uxores, & mariti: cùm tamen inter uxorem, & maritum hæc eſſe deberet confidentia, ut ſe mutuò de re tantâ admonerent: hi verò quia oſtendunt ſe nimiùm mortem expaveſcere; uti Ezechias vultum obverrit Iſaiæ, & in lachrymas ſe totum effudit. Non ideò tamen diſſimulavit Propheta, ſed Regem allocutus ſic eum compellavit cap. 38. *Diſpone domui tua, quia morieris tu & non vives.* Et Elias 4. Reg. 1. miſit ad Ochoziam qui diceret, *De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Rectè dicebat Ludovicus XIII. ſpeciem eſſe crudelitatis, ægroto periculum in quo eſſet diſſimulare.

II. Debet ea præſtare quæ quilibet eo tempore agere tenetur, quod cum dico, plurima dico: Etenim cum multa ſint præcepta poſitiva, quæ nunquam in vitâ ſunt obſervata, quorum obſervandorum nullum eſt tempus determinatum, ſaltem in morte obligant: itaque unuſquiſque intelligat ſe diverſis rebus obligari. Tales ſunt actus Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, Contritionis, condonationis injuriarum, ſatisfactionis proximo in bonis, in fama, & ſimilibus: Item reconciliationis, declarationis obligationum realium, & rerum innumerarum, ſine quibus paſſim homines abeunt è vivis. Ad hæc, cum Chriſtiani in illud tempus multa referant peragenda, quæ in vita facere omiſerunt, ſaltem illud tempus diligenter expendere, in quod ſua omnia rejecerunt. Ex quo fit ut cum vulgò homines, nihil magis, immò minus, agant eo tempore, quam alio quocunq;, quæ tandem de maxima hominũ parte habenda à nobis eſt opinio? Vide enim quid paſſim agant homines eo tempore, cum & ipſorum, & aliorum qui circa ipſos ſunt, omne ſtudium impendatur in valetudine procuranda, & leniendis doloribus & ſic ea omnia omittantur quæ per totam vitam ſunt omiſſa.

Vt itaque ab exterioribus initium ducam III. Condendũ eſt Teſtamentum iuxta illud Iſaiæ ad Ezechiam cap. 38. *Diſpone domui tua, quia morieris tu, & non vives.* Ita Tobias cap. 14. cum ſe brevi moriturum credidiſſet, omnia mandavit filio, quæ fieri debere credebat. Idem fecit Moyſes de ſua morte monitus à Deo, uti dicitur Deuter. 31. 32. & 33. Idem Iacob præſtitit Geneſ. 49. & ſancti veteres. Neque ferendus eſt quorundam neglectus, qui id facere omittunt, cùm ſit ultimum noſtrũ de rebus externis judicium, & contractior vitæ noſtræ tabella: neque id facilè omittendum, cùm inde plurima oriantur incommoda; & ſaltem ea ſunt ordinanda quæ pertinent ad reſtitutionem, & ſua nomina, ac debita declaranda, atque ad mercedes domeſticorum, & ad ſuarum obligationum ſatiſfactionem: item quæ fieri velis pro animâ tuâ, & pro ſepulturâ tuâ: uti fecit Sanct. Monica, multique alii Sancti, & dicitur de Patriarcha Ioſeph Heb. 11. *fide Ioſeph moriens de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandavit.*

Porrò illud initio morbi faciendum eſt, quia cũ ſit ultima voluntas debet maximo judicio fieri, & maximâ curâ ne quid peccetur.

Tria verò maximè ſervāda ſunt, Prudētia, Iuſtitia, Miſericordia.

Prudentia requiritur, ut non ſit temeritas, neque paſſio: ad hæc, ut omnia ita clarè dicantur & perſpicuè ut non ſit diſputandi locus; item ut auferantur omnes cauſe quere arum; ut periti juris & conſuetudinis conſulântur; ut non ſit locus derogandi teſtamento.

Iuſtitia in hoc hæret, 1. ut ſatisfiat æri alieno, hoc eſt, ut debitorum fiat mentio ut ſolvantur; item malè parta reſtituantur; denique ſatisfiat obligationibus undecunque naſcantur; ex voto, ex damno illato quomodocunque; ex mercedis intuitu. Quod ſi verum eſt quod docent aliqui Theologi ſuperflua debere in pios uſus expendi, non ſufficit, ſi id non ſit factum, ſe de omiſſione accuſaſſe, ſed oportet quod omiſſum eſt, eo tempore præſtare: Ita Bellar. l. 2. de arte benè moriendi cap. 5. quod præſertim intelligendum eſt de bonis Eccleſiæ. Eôdem modo ſi impoſitæ ſunt ad ſatisfactionem peccatorũ aliq; eleemoſynæ, vel aliquæ obligationes non ſunt à parentibus perſolutæ, earum ratio habenda eſt, & facienda ſatisfactio. 2. ut ijs opes relinquantur ad quos de jure pertinent, maximè ſi egentes ſint: ne alioquin à morientibus jura lædantur: & ita providendū eſt ut hi non ſinant ſe ab æquitate abduci odio, vindictâ, aut alia paſſione: In ijs verò quæ pro arbitratu dare poſſunt, & diſponere ad libitum, ſpectent 1. gloriam Dei; 2. Majores neceſſitates proximorum; 3. gratitudinem.

Miſericordia ſervare debet ordinē charitatis: & 1. ratio habeatur domeſticorum: 2. conſanguineorum: 3. amicorum, & à quibus beneficium accepiſti: demum aliorum ſecundum præſentem ſtatum, quia in univerſum nihil definiri poteſt. Cæterum qui aliorum meminit, videat ut ſui ipſius non obliviſcatur. Itaque de eleemoſynis provideat, & faciat ſibi amicos de mamona iniquitatis qui eum recipiat in æterna tabernacula: & ſi cum viveret ſeptem opera miſericordiæ non obivit, proſpiciat ut fiant; ut in die judicii poſſit audire, *Eſurivi enim & dediſti mihi manducare*, &c. Sed ſupra omnia provideat ſibi multa Miſſarum Ad extremum de quibuſdam admoneo.

I. eſt, Melius futurum ſi diu ante mortem fieret teſtamentum: tùm quia maiore judicio fit, & maiori libertate; tum quia ſæpè homines incauti nec opinantes deprehenduntur; & multa ignorantur, quibus à nullo providetur; unde in multis violatur juſtitia, cuius peccati nemo reus præter mortuum; & ſæpe domus pereunt, & fit poſtea id à quo ſemper abhorruimus. itaque ſapientiſſimus Romanorū Cato dolebat ſe vel unū diem vixiſſe non condito teſtamento: præſertim cum mutari poſſit teſtamentum ad libitum, & addi codicillus.

2. Eſt, ut ſi teſtamentum contineat aliquas Eleemoſynas, aut opera pia, fiat in gratia, ut prodeſſe poſſint ad meritum vitæ ęternæ: Itaque aut poſt confeſſionem eſt, aut poſt factum actum contritionis aut ſaltem poſt iſta, ratum habendum, ut diſpoſitio facta proſit ad ſalutem; neque ſit tantum actus prudentiæ humanæ, ſed etiam ſupernaturalis.

3. Eſt, plurima eſſe quæ longe melius fiunt à nobis, quàm aliis committuntur: nam ſi nos ipſi in vita omiſimus, quomodo id alii facient; præſertim cum hodie liberi & hæredes ſibi omnia deberi credant, unde parentum animas negligunt, itaque non reſtituunt, atque interim animæ parentum in pœnis ſolamen expectant, atq; ingemiſcunt, dum mille prætextus filii reperiant cum parentum dedecore, ne eorum nominibus ſatisfaciant.

4. Eſt, cum mors ſit bonorum ſpoliatio, & teſtamentum quædam illorum derelictio, faciendam hanc eſſe ex animo, neque

quaſi

Digitized by Google

quaſi ab invito, illa eſſe extorquenda. Et tu quoque id ſæpe cogita dùm laboras, dum in illis comparandis inſudas, aut in ædificandis domibus, aut in ornandis, te omnia illa aliquando eſſe relicturum, & in alios translaturum: Itaque non ſic eſſe diligenda, ut non ſponte ſed coactè relinquas.

5. Quod ſi alio ſint extra teſtamentum ordinanda, hoc facito ſuo tempore, & ut aiebat Romanorum doctiſſimus Varro, collige ſarcinas, & ita accinctus ad profectionem paratus eſto: & illud imple Chriſti Domini, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Fœlices illi qui ab omni rerum temporalium cura, & moleſtia liberi ſunt, quales ſunt Religioſi, qui cum Apoſtolo Petro dicere poſſunt *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te!* ex quibus fuit S. Auguſtinus de quo hęc habet Poſſidius in ejus vita: Teſtamentum non fecit, quia unde faceret pauper Chriſti non habebat: quamvis enim Epiſcopus eſſet, tamen more Regularium nihil proprij habebat.

IV. Fieri confeſſio debet, neque ad extremum differenda eſt, ob periculum, ne anteoccupemur aut lethargia, aut ſtupore capitis deliratione; prȩterquam tanti momenti res debet fieri cum aliqua animi corporiſque vi, ſic ut ægrotus ſeipſe accuſare poſſit: Vbi quæ ſubjicimus obſervari oportet.

Faciendam eſſe Confeſſarij optionem qui nobis id temporis aptior ſit: nempe qui eruditione, animique fortitudine prędıtus exiſtat, ad veritatem nobis in tanti momenti occaſione non reticendam. Sicut enim in morbis ordinarijs, Medici quoque ordinarii ſufficiunt, at in periculoſis advocantur peritiſſimi quique, ac celeberrimi; ſic in ultimis confeſſionibus agendum eſt, ubi nullius perſonæ ſed neceſſitatis ſolius rationem habere opòrtet.

2. Satis eſſe non deberet attendere tempus ab poſtrema confeſſione tranſactum, ſed generali confeſſione revocanda eſſet in memoriam vita univerſa: Saltem inſiſtendum eſt in tempore poſt ultimam confeſſionem generalem, ſi nobis hnc ſatisfeciſſet. Ratio eſt, quia poſtrema hæc confeſſio eſt ultima cautío quā adhibemus conſcientiæ noſtræ rationumque redditio ex qua judicandi ſumus; quapropter admodùm refert nihil in ea ultrò vel per incuriam omitti.

Iudicare ſeipſum ſeverè oportet, larvam ſimulationibus omnibus tollendo nos quibuſcunque erroribus, qui nos per vitam tenuerunt, ut qui nudi penitus, in Dei conſpectum venturi ſimus, ſine excuſatione ac ſine defeſſione, neque ullo ſeu noſtro, ſeu populari errore obtecti: quod efficit ut aliter in ultima confeſſione ac in alijs accuſare ſe homines ſoleant: neſcio enim quo pacto accidit, ut eo tempore omnia nobis alia ac in ſanitatis ſtatu appareat.

4. Expedit eo tempore, ſe accuſare non ſolùm de rebus commiſſis, & iis quæ alicujus ſunt momenti, verùm etiam de omiſſis, quibus muneris noſtri ratiò, juſtitia & miſericordia nos obligabat; quod maximæ mortalium parti perniciem infert, qui quidem res tantum commiſſas aliquo in numero habent, nec attendunt omiſſas. Item de univerſis rebus dubijs, & de iis quæ magis conſcientiam noſtram gravant Immò quantum fieri poteſt de omnibus peccatis venialibus ſecundum univerſas ſpecies; de omnibus pigrè ac negligenter factis: tum nihil inquinatum ſit introiturum in cœlos, & ſtudendum ſit lucrifacere plenariam indulgentiam, quæ non obtinetur, niſi peccatis omnibus remiſſis.

5. Si aliàs unquam contritio valuit, eò præſertim tempore locum habet, 1. quia ut aliqui docent, obligat aliquando; igitur, maximè eo tempore: 2. Obligat amoris præceptum ſi uſquàm, certè eo tempore. 3. Quia ſupplet defectus confeſſionis: ut nimirum fiat

Digitized by Google

cum vero dolore præteritorum a& propoſito emendationis ut peccata deſeramus: Sed tunc vix fieri poteſt niſi ab eo qui ſanus ea præſtiterit. Iam diximus ſupra referre Bellarminam lib. 2. de arte benè moriendi cap. 6 ſe cum adeſſet morienti, eum de contritione monuiſſe, morientemque reſpondiſſe ſe neſcire quid ſit contritio: cumque rem explicaſſet ipſe qui aderat, ſubdidiſſe ægrotum, non intelligo, non ſum capax harum rerum, & ita obiiſſe relinquentem apertiſſima ſuæ dãnationis indicia.

6 Ac licet eo tempore difficilis videatur ſatiſfactio, quia tamen ſi unquam digni faciendi ſunt fructus pœnitentiæ, cùm præſertim unuſquiſque eos fere ad hoc tempus differat, ea pars maximè implenda eſt. Itaque 1. reſtituendum ſi fieri poſſit: 2. ſatisfaciendum: 3. remittendæ iniuriæ, & quærendæ reconciliationes; deſerendæ, & abrumpendæ peccatorum occaſiones; quod vix unquam à ſanis hominibus præſtatur. Quia verò ægrotus non poteſt multum orare, nec aliquid pati in corpore; poteſt verò facere eleemoſynas, poteſt miſſas & preces jubere, poteſt liberare detentos in carcere; propterea hæc illis ſũt imponenda: ſicut etiam tolerantia facilis, & voluntaria morbi, & dolorum: quæ omnia ab eo ſperare qui eſt in extremis perdifficile eſt, quoniam afflictæ vires id non ferunt, & deeſt attentio neceſſaria, & animi præſentia: quare non ita differenda eſt Confeſſio.

4. Poſtulanda eſt Communio & ea quidem ad Viatici formam, quæ forma duo efficit 1. ut à non ieiuno quâvis horâ ſumi poſſit 2. ut peculiarem habeat effectum conformẽ ſtatui præſenti: Hic autem ambigi poteſt, an ſit præmittendum Viaticum, an Extrema unctio, nam ſi veterem Eccleſiæ morem attendamus, prius dabatur Extrema unctio, poſtea Viaticum, quod erat ultimum Sacramentorum; Et quidem ut refert Surius o. 1. in Vita S. Guillelmi Archiepiſcopi Bituricenſis qui vixit temporibus Innocentij III. ille ſanctus prius ſumpſit Extremæ unctio- Sacramentum, deinde Viaticum. Idem de S. Malachia ſcripſit S. Bernardus. Paulinus in Vita S. Ambroſii ait eum ſumpto Viatico expiraſſe: Idem ait Metaphraſtes de S. Chryſo. Ratio veterum fuit Extremæ unctionis ex Inſtitutione: qui quidem duplex eſt: 1. ſanitatis recuperandæ: 2. auferendarum reliquiarum peccati: ad 1. effectum neceſſe eſt ut non ſit ſalus deſperata: 2. eſt optima diſpoſitio ad Euchariſtiam. Sed nunc immutatus ordo: quia cùm differatur in extremum tempus ne terreantur ægroti, non differtur Communio ob varia quæ contingere poſſe t: nam extrema unctio dari poteſt, etiam non ſentienti, & quidem ſæpe utiliter unde à nonnulllis veteribus appellatur pœnitentia infirmorum. Agamus itaque priùs de Viatico: poſtea de Extrema unctione dicemus.

Tria tempora ſpectanda ſunt: 1. ante ſumptionem: 2 cum ſumitur: 3 poſt ſumptionem Q oad 1. diſponere nos oportet variis actibus virtutum & variis affectibus, quia nunc ultimò recipi debet. Sed præſertim tria ſunt cogitanda: 1. ratio Inſtitutionis huius Sacramenti: 2. effectus: 3. ratio pignoris quod datur, immo arrha eſt cœleſtis beatitudinis; nam pignus aufertur, ſed arrha perficitur. Quoad 2. adorandum eſt Sacramentum quãtâ fieri poteſt devotione: Sumendum eſt pari affectu, & ſi vires ferre poſſunt flexis genibus & aperto capite. Et ferè ita fit, ut eo tempore vires reddantur: Ita S. Guillelmus flexis genibus ſumpſit, ita S. Malachias, ita S. Hieronymus, & alii multi. Mirandum deinde eſt quod ad nos venire dignetur Chriſtus, præſertim eo tempore: unde faciendus eſt actus profundiſſimæ humilitatis, & ardentiſſimæ fidei, & charitatis maximæ. Quoad 3. ſeu poſt ſumptionem. 1. gratias agat Deo moribundus de omnibus beneficiis totâ vitâ acceptis,

ac ſin-

ac ſingulariter de iſto. 2. veniam petat omniũ commiſſorum, ſuamque nunc cauſam agat, ut ſibi Iudicem propitium efficiat. 3. vitam, & mortem, ſuaque omnia offerat. 4. ei ſuum agonem commendet, atque optet ab eo nunquam ſeparari, dicendo cum Sponsâ, *Tenui eum*, &c. 5. petat perſeverantiam, & auxilium contra tentationes &c.

V. Procuranda eſt Extrema unctio, quam petere oportet: de qua S Iacobus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Primus itaque effectus Extremæ unctionis eſt ſanitas corporis ſi expediat ægroto: unde non tàm differri poteſt, ut ſit inutilis ægro; neque enim Deus facit aperta miracula ſine neceſſitate; & ideó hominibus damnatis ad mortem non datur, tum quia nec prodeſſe poteſt ad ſanitatem, nec opus habent illo Sacramento, quia pollent & animi & corporis viribus. Refert S. Bernardus de S. Malachia, cum tardius alicui fœminæ hoc Sacramentum attuliſſet, illâque expiraſſet, tota nocte ſuis lachrymis ei vitam reddidiſſe, & eam ſacro oleo unxiſſe, & ita in multos annos eandem convaluiſſe Alter effectus eſt, ut, ſi non ſit utilis ſanitati, ſedentur dolores, & detur animo robur, ſecundum illud: *& alleviabit eum Dominus*: 3. remittuntur per illud reliquiæ peccatorum, hoc eſt, mortalia, ſi aliqua occulta ſupereſſent; deinde venialia ad quæ non eſt effectus: nam formæ Sacramentorum operantur ſecundum ſuam ſignificationem, atqui ſignificant remiſſionem peccatorum admiſſorum occaſione quinq; ſenſuum, quibus omnia peccata ſignificantur, quia omnia intrant per ſenſus. 4. ungitur anima ut pugnet adverſus tentationes Dæmonis, ut pugil 5. adjuvat hoc Sacramentum ad vitanda peccata, quæ in extrẽo committi poſſunt. 6. conducit ad finem, & ad perſeverantiam, itaque & torpentem animum excitat, & amolitur terrores qui eo tempore occurrunt. *Vt exhilaret faciem in oleò.* Porrò illud ſumendum eſt cum attentione ad ſignificationem: nam ut modò dixi ſignificantur per ſingulos ſenſus; ut intelligat æger ſeper ſenſus peccaſſe, & aditum dediſſe ad omnia. Item ungitur æger tum ad ſanitatem corporis & animæ, tum ad diſpoſitionem athleticam. Deniq; unctio fit ſolo oleo non autem chriſmate; ut æger intelligat ſe in ſola Dei miſericordia confidere, non autem in fama ſanctitatis, & in ſuæ virtutis opinione.

VI. Si ſanitas ſit omninò deſperata, atque certum periculum, iterum ac ſæpius ſumus admonendi. Tum vero rejicenda ſunt omnia alia negotia, & in actus ſequentes intendendus animus. 1. offerenda Deo vita cum reſignatione ſumma ac ſi illa oblatione amitteretur. Tum uti dixit Iſaias Ezechiæ ultima mandata commendanda ſunt vxori, liberis, & domeſticis: ita fecit Iacob jam moriturus: ita Chriſtus in cruce alloquens Matrem & Ioannem. 2. diſponendus animus adverſus tentationes per actus fidei, ſpei, & charitatis. Quoad fidem 1. Pronuntiandum ſymbolum. Profiteri ſe oportet Catholicum. Gratiæ agendæ Deo de fide, & in ſignum eius rei, agenda quæ hanc fidem proteſtantur: lucrandæ Indulgentiæ, jubendum ut nobis morientibus tradatur cereus benedictus, & accipiendus cum eo ſenſu, ut Sponſo occurramus habentes lucernas ardẽtes in manibus. Quoad ſpem 2. audienda Paſſio Chriſti. Pronuntiandæ quædam orationes breves: *Ieſu Fili David miſerere mei*: *Deus propitius eſto mihi peccatori, In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Invocanda Virgo, & Sancti, & Angelus. Recitandæ per alios Litaniæ, Imperandæ preces, Speranda reſurrectio ſui corporis, & vita æterna 3. Contra odiũ Dei actus amoris exercendi. Adoranda, benedicenda, & amanda eſt Trinitas. Invocandus & appellandus Chriſtus

Dominus. Exoſculandus Crucifixus *Amen veni Domine Ieſu.* Eliciendi iterum actus contritionis, & ſæpius pronuntianda, lucrandæ Indulgentiæ cauſa, non ina Ieſus & Mariæ. Ornandus lectus cum Sponſa, ſed virtutum actibus, & præſertim humilitatis: Tunc enim Principes appellantur nomine proprio, quod Maximilianus Imperator, & Nepos eius Carolus V. multis ante mortem diebus voluere, ut & Rabbi Salomon obſervat de Davide, cum à Scriptura, in morte ſolo nomine fuiſſe appellatum. 3. Reg cap. 2. *Appropinquaverunt dies David ut moreretur*: Item actus obedientiæ producendi, patientiæ, miſericordiæ, confidentiæ, & pœnitentiæ, exemplo Auguſtini qui ante mortem recitabat Pſalmos pœnitentiæ, dicens nullum Chriſtianum abſque pœnitentiâ decedere debere: Quin & multi iubent ſe deponi in cinere ut S. Franciſcus. 4. Demum cum paulatim deſtituimur viribus, gratiæ iterùm Deo agendæ, Deo iterùm vita, & omnia noſtra offerenda, & tandem finiendum in illa voce *Pater in manus tuas* & in nominibus Trinitatis, & Ieſu, & Mariæ.

Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.

Amen.

* * *

FERIA TERTIA.

HEBDOMADÆ SANCTÆ.

CONCIO PRIMA.

Elapſum vitæ tempus conſiderandum: & quomodò.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Iſaiæ 38.

HOC commune dictum eſt Patrum ſpiritalium, defectum in vita interiori communiſſimum, & unde omnia ferè mala oriuntur eſſe defectum reflexionis: de quo ſæpe conqueritur Scriptura: Ierem. 12. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde*: Iſaias ita expoſtulat cap. 57. *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo*: Ita Moſes in ſuo Cantico. *Vtinam ſaperent & intelligerent ac noviſſima providerent*: Et quidē iure merito. 1. Quia reflexio eſt propria hominis cognitio, nam animalia non utuntur reflexione: immò neque ſenſus in ſeipſum reflectitur, neque phantaſia hominis, ſed ſolus intellectus 2. Quia prima actio directa vix monet movetque, & vix eſt principiū operationum inde prodeuntium propter brevitatem. 3. Quia reflexio propriè pertinet ad diſcurſum, unde quæ primo occurrunt habent ferè rationem antecedentis, reflexio conſequentis. 4. Quia ferè non meminimus primarum actionum directarum, unde tàm multa tranſeunt in oblivionē, & ſola ferè reflexio manet recordatione: hinc accidit ut contemplativi maneant ſæpe ſine actione, & vix meminerint eorum quæ cogitarunt. 5. Quia non ſatis res cognoſcitur, per primam cognitionem, & per primum intuitum, ſed ſæpiùs iteranda eſt cognitio ut afficiat.

His

Digitized by Google

His de cauſis ſapienter fecit Ezechias cum dixit. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Porrò illud adverte quod dicit. *Recogitabo tibi*, hoc eſt coram Domino; nam quæ ſoli conſideramus, vix habent effectum, ſed quæ conſiderantur coràm Deo. Et illud eſt quod ego hodie à vobis exigo, ut coràm Deo recogitemus omnes annos noſtros. Quod ſi coram Deo, certè etiam cum Deo, ſecundùm illud Prophetæ, *Opus meum cum Deo meo*, non enim ut poſſumus ſine Deo, non tantùm præſente, ſed etiam auxiliante: Auxilium quippe noſtrum à Domino Sed id omne mediante Mediatrice noſtra, quæ eſt Virgo Maria, ad quam recurramus. AVE MARIA.

MAgnum in vita malum eſt, quod dies noſtri, & anni fere omnes inutiliter nobis fluunt, ac ſine ulla conſideratione: non enim diſſimiles ſumus illis qui abortivi naſcuntur, & in lucem veniunt per tenebras, & in mortem potius, quàm in vitam generantur; de quibus Iobus cap. 10. *Fuiſſem, quaſi non eſſem, de utero tranſlatus ad tumulum.* Vt nimirũ eiuſmodi infantes prius abeunt è vita, quàm in ea quicquam noverint, aut fuerint experti; ita pleriq; eorum quibuſcum vivimus, & quidem ſapientum ſæculi, ex eadem ſtatione excedunt, etiam ſenes, ignari quid verè fuerint, fecerint-ve, ut qui nunquam, ut par eſt, corde recogitent. Nam quoad præterita; nihil in nobis ferè niſi neglectus, & ut loquitur Pindarus, ſpiſſa oblivionis nubes In præſentibus ſtupor, & ignorantia; quaſi verò omnia temerè, & fortuitò nobis contingant: De futuris nulla proviſio; & proinde in vita noſtra, omnia perturbata ac ſine ordine. Ad quorum incommodorũ remedium hoc hodie molior, ut doceam rationem recogitandi omnes annos noſtros. 1. Vt nos ipſos ſemel cognoſcamus, & ſtatum animæ noſtræ; tum ne nos multa oblivione prætereant, tùm ne decipiamur, putantes nos alios eſſe, quam ſimus: 2, Vt aliquando tandem aliquem ordinationem in vita noſtra ponamus, neque ex occaſione, & temerè ea à nobis traducatur, ſed ex certa & ſalutari lege nobis à ratione & à religione conſtituta: Vt id rectè facias.

I. Diſpoſitio eſt, ut omnia alia deſeras: Itaque omnem aliàm occupationem miſſam facito, ut iſti tanquam præcipuæ vacare poſſis, Quam enim illud eſt iniuſtum, ut tempus habeas pro aliis vel tuis, vel amicorum negotijs; nullum verò pro iſta re quæ æternitatem reſpicit, & maximè ſeria eſt: cùm cæteræ omnes ſint temporales, & ferè ludicræ, *Porro unum eſt neceſſarium.*

II. Modus eſt ut tota mens in eo deſudet, & in hanc unam cogitationem incumbat, ſeſeque defigat. Alioquin enim quid ab ea ſperandum quæ niſi contineatur, vagatur per diverſa eſtque ut ait Abbas Serenus apud Caſſian. Collat. 7. ἀεικίνητος, ϗ πολυκίνητος, ſemper mobilis, & multum mobilis, unde eam Salomon appellat πολυφροντίδα, ſenſum multa & varia cogitantem. Quapropter ea colligenda eſt & in unum cogenda, ut negotium de quo agimus procedat; idque eſto modo faciendum.

III. Cogita te ad id obligari magis quam ad alia. Certè cum aliis nominibus, & titulis ſatisfacias, cur non etiam nomini Chriſtiano? homines prudentes ſæpè per intervalla agnoſcunt ſtatum ſuorum negotiorum. Vide diligentiam mercatorum, quomodò rationum ſuarum libros recognoſcant, ut ſciant, lucrum-ne fecerint an damnum. Item qui aliena bona tractant, ſuas rationes componunt, omnia ſcribunt, & notant. Quin tu eadem uteris diligentia in opere tanti momenti, quod æternitatem ſpectat.

IV. Quærenda eſt opportunitas loci, & temporis, hoc eſt otium, & ſecretum, vel domi

domi tuæ, vel in Eccleſijs, vel Monaſterijs, idque ad plures dies conſequentes, ubi facias, quod de ſe Ezechias cum Rex eſſet, profiteri non diſſimulavit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quoniam vero anni tui, vita tua ſunt; illius conſiderationem ſic partire: ut 1. conſideres præterita, tum præſentia, tum futura, eo ordine quo exiſtunt in rebus: hæc enim ſunt, ait Nazian. or. 2. de Paſchate, huius noſtri temporis, fluxæque, & caducæ naturæ ſegmenta: & quidem præterita, ut lugeas, atque emendes; præſentia, ut te cognoſcas, ac iudices: & futura, ut diſponas. Ego tuas conſiderationes præcedam, ut tibi viam aperiam, & hodie in ſolo præterito conquieſcam.

I. Conſideratio. Quæ præterita ſunt, ita præteriunt ut non ſint amplius, nec illa unquam futura ſint, immò ratione præteritionis facta ſint impoſſibilia: Namq; adhuc futura ſunt, licet nondum ſint, erunt tamen aliquando: Item quæ nunquam futura ſunt, quia tamẽ ſunt poſſibilia, eſſe poſſet aliquando, nullam enim magis habent repugnantiam ad eſſe quàm futura: Sed quæ præterita ſunt, ita amplius non ſunt, ut deinceps eſſe non poſſint, hinc enim quod fuerunt aliquando, habent repugnantiam ut ſint.

Itaque animo repete præterita, ea præſertim quæ tam acriter perſecutus es, voluptates, riſus, delicias, libertatem, convivia, ſpectacula, ludos, gaudia, congreſſiones, oblectamenta: hæc enim fuerunt, non ſunt, nec erunt in æternum: Sola memoria ſupereſt, immò neque omnium. Dic amabo, quodnam ſit illarum rerum diſcrimen, & ſomniorum? Etenim ut ſomniorum delectatio ſolam relinquit memoriam, ita res omnes huius vitæ. Oportet-ne igitur pro rebus ſic vanis, ſic caducis, ſic fallacibus, amittere Cœlum, Paradiſum, Beatitudinem, abalienari à Deo, eius amicitiæ nuncium remittere? Tanti-ne res eæ ſunt, ut earum cauſa exponas ſalutem, teq; adigas ad cruciatus æternos: Audi quid ſuper ea re tui ſimiles nunc in inferis poſiti judicent, ac dicant: Sap. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum iactantia, quid contulit nobis: Tranſierunt omnia illa tanquam umbra,* &c. copioſè & ornatè.

Eadem ratione repete animo quæ paſſus es, quæ olim adeò intolerabilia tibi videbantur: Vide quàm rectè Apoſtolus, quidquid patimur, appellarit *momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ.*

Cogita quæ præterita ſunt, eſſe imaginem futurorum: Etenim & præterita fuerunt aliquando futura: ex futuris facta ſunt præſentia: Sed ex præſentibus, in præterita devenerunt. Sicut itaque præterita, iam non ſunt, itaque expectas futura, uti ex futuris fient præſentia, ita ex præſentibus fient præterita. Quemadmodum igitur præteritæ deliciæ & voluptates, honor præteritus, & bona hominum exiſtimatio, & laudes præteritæ, iam non ſunt; ita erit aliquando ut tua omnia præterierint. Quid verò tunc poſſidebis? Tu itaque utere tua propria experientia, & ne ſinas te decipi rerum præſentium fuco, & falſa imagine. Item ex aliorum præterito, tum totum, præteritum aliquando futurum exiſtima: Cogita quid ſuperſit illi quidem vidiſti ſepulchro condi: Idem tibi aliquando continget.

II. Conſideratio. Quæ præterierunt, ita jam non ſunt, ut tamen fuerint aliquando, adeo ut impoſſibile ſit, ea non fuiſſe, nec facta eſſe, ſi facta ſunt. Scio S. Magnetem Martyrẽ authorem vetuſtiſſimum lib. 4. contra Theoſtenem docuiſſe, tantam eſſe in Deo potentiam, ut omnia poſſit, etiam quæ videntur impoſſibilia: Nihil eſt, inquit, quod non poſſit efficere Divina natura, ut idem eſſe poſſe Solem, & Nubem: Idẽ quæ præterierint non eſſe præterita, & facta, infecta: quomodò autem, &

tem, & quando neque explicari, neque comprehendi poteſt. Rectè dixit, comprehendi non poſſe: aliud enim non eſſet, niſi quod ait Sanct. Auguſtinus ſcribens contra Fauſtum Manichæum, quòd ſcilicet Deus efficeret, ut quæ vera ſunt, jam eſſent falſa. Sed vide in hoc hominum cæcitatem, qui rerum delectationi tantùm intendentes, earum præteritarum acerbitatem non cogitãt, cui nunquam providere poſſunt, quoniam præterita in noſtra poteſtate non ſunt. Hoc ſignificavit Bernardus, iam alias à nobis relatus l. 5. de conſider. cap. 12. Quæ priora, tranſierunt, & non tranſierunt: tranſierunt à manu, ſed non à mente: quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt: proinde etſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe, in ſempiternum manet: non tranſibit cum tempore quod tempora tranſit: in æternum ergo neceſſe eſt cruciet, quod perperam te egiſſe in æternum memineris. Rem accipe in exemplis. Sollicitatur Puella de diſpendio Virginitatis: Si tantum præſentem delectationem attendat, ſi tantum mercedem, ſi minas præſentes, facilè conſentiet: Exiguum eſt, ait improbus ſollicitator, veniale eſt, & dignum cui ignoſcatur. At ego quid ad hoc? omitto dicere gravitatem ſceleris, atque dedecus: hoc tantum propono: Si fecerit, irreparabile fecerit: atque ut ait Auguſtinus lib. de Virgi. cap. 27. Non habent quid faciant, ut Virgines ſint, in quibus jam factum eſt ut Virgines non ſint.

Item mulier coniugata ſollicitatur ut thorum violet: Ah miſera quid cogitas! quid moliris? Et ut innumera quæ ſunt graviſſima omittam, quibus vel mors ipſa eſt levior; quantum illud putas, quod ſi feceris, ita feceris, ut deinceps non ſit in tua poteſtate non feciſſe? Age deinceps quidquid volueris fias deinceps caſtiſſima, ſed hoc deleri nõ poteſt, quod aliquando crimẽ admiſeris. Quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt. Proinde etſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe in æternum manet. Ac ne illud parum exiſtimes, ſcito non minimam eſſe partem ſupplicij inferorum. Memineris hujus ſententiæ Bernardi: Hic eſt vermis qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæret firmiter nequaquã deinceps avellendus, &c. Horreo vermẽ mordacem, & mortem vivacem.

Ne igitur præterita contemnas, eo reſpectu quia amplius non ſunt. Etenim licet non ſint præſentia, ſunt tamen præterita: & ſicut cùm ſunt, delectant; ita poſtquam fuerunt, cruciant. Eſſe quidem præterit, fuiſſe verò non præterit. Quodlibet agit, ſecundum ſuam durationem. Præſens fuit exigui temporis, unde perexiguo tempore placuit, & delectavit: præteriti autem nullus eſt finis. At torquet in præterito, quod cum finem non habeat, neque etiam torquendi finem habet. Neceſſe eſt ergo, ut in æternum maneat, quod te in æternum feciſſe memineris. Hoc qui cogitaret nunquam peccaret.

III. Conſideratio. Quoniã ergò quæ præterita ſunt, tranſierunt à manu tuâ, nec ſunt amplius in tua poteſtate, ſed talia ſunt, qualia erunt in æternum; hic amabo totum tuum præteritum conſidera, qualis in eo fuiſti: hæc enim vitæ tuæ pars perfecta eſt. Examina ſingula, & ſingulos vitæ tuæ annos, ac vide in quibus Deum offenderis, percurrendo cogitationes tuas, verba, opera, omiſſiones: ini numerum, ſi potes. Tum appende ſingulorum gravitatem & malitiam, & ad ſingula graviora geme, ſecundum illud. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Vide quam vitæ partem innocentem habeas: quota pars ejus inutiliter fluxit, quota pars maculata eſt criminibus, quàm fœdata, vel deperdita, & amiſſa, quàm inanis, & vacua. Vnum diem æſtima, & reliquorum fac con-

Digitized by Google

conjecturam. Quotam partem Deo, quotas vanitati, ſceleri, creaturis & voluptati dediſti? Perge deinceps in reliquos dies, & in totam atque integram vitam præteritam. Cùm verò totum conſtet ex partibus, ſcito hanc partem numerandam in integro vitæ tuæ: nam, ut ait Ambroſius, libr. 3. epiſtolarum 25. Vna hora totius vitæ portio eſt. Quid vero annos, quid integros dies memorem? Perpende vel ſingula ferè momenta, ac vide ſi ſit aliquod innocens à culpa. Te igitur cogita quaſi ulcus, unde perpetuo defluat ſanies peccatorum; Et ex hac conſideratione prorumpe in admirationem, cur te Deus tandiu paſſus ſit, ac ſuſtinuerit, non modo inutilem, ſed etiam indigniſſimum ſervum, & viliſſimam creaturam, & affectu vehementi admirans, inquire hujus tantæ miſericordiæ cauſas ex teipso, ex vita tua priſtina, ex Iuſtitiâ divinâ: & eo major te teneat admiratio, quod te non tantum non rejecerit, ſed quod etiam te ad ſuam amicitiam vocet atque invitet. Atque ut majorem præteritorum notitiam habeas, hîc compone gratias, quas habuiſti, occaſiones, & opportunitates benè agendi quas tibi dedit Deus; beneficia varia quibus te affecit: Quàm parum Deo reſpondiſti? Quid ſi hîc finienda eſſet vita tua? Hoccine totum eſt quod facere decreviſti? Hiccine virtutum cumulus quem paras? Nihil aliud pro Deo facere ſtatuis? Itane inglorius morieris? Ita-ne vita tua præterita ſit, & tu tàm parvo ſis contentus? Cogita quod ſit opus maximum vitæ tuæ, ac erubeſce tàm eſſe exiguum. Cogita numerum bonarum tuarum actionum, & tàm parvum eſſe erubeſce. Cogita quas huc uſque virtutes acquiſieris. Cogita quam ſatisfactionem exhibueris Deo pro tuis delictis. Cogita quam partē expleveris eorum quæ pro æternitate facere decreviſti. Quid moraris? quid expectas; Exigua ſupereſt vitæ tuæ pars, & tantum ſupereſt faciendum: Ben-Syræ dictum fuit; Hora brevis, opus magnum.

IV. Conſideratio præcedenti eſt affinis & eam perficit eſtque ejuſmodi: Licet præterita non ſimul omnia fuerint præſentia; ſed per partes, nunc illa, nunc alia, quoniam ſucceſſivè diverſis temporibus facta ſunt, tamen in præteritione ſimul omnia ſunt. Vide itaque quanta hinc exiſtat rerum collectio. Certè ſi ſingula ſpectamus, fortaſſe plurima nobis exigua & minuta eſſe videbuntur: ſed cum uno die quædam facta ſint, alia altero, quædam tertio, & alia diebus ſequentibus; in fine vitæ ſimul omnia erunt præterita: quæ quia propè infinita ſunt, atque innumerabilia, non ſine ſtupore ingenti, atque admiratione ſpectari poſſunt. Si purgamenta corporis ſervarentur, ac ſimul ſpectares, obſtupeſceres, atque exhorreres: Tua autem omnia in vitâ admiſſa conſervantur univerſa, & tibi aliquando in unum collecta proponentur. Ejus rei veſtigium aliquod habes in Confeſſionibus generalibus, quanquam multa tuam diligentiam & memoriam prætereant. Hoc itaque tempore, revolve, atque animo repete quæ hactenus à te geſta ſunt. Quis tibi erit ſenſus, quis animus, quis ſtupor, quæ admiratio? Coge in unum tuas omnes vanitates, omnia tua mendacia, turpes omnes tuas cogitationes, omnes laſcivos aſpectus, tuas omnes diſtractiones: quot inſpirationes repuleris, quot occaſiones prætericris, quot bona propoſita in vanum abierint, atque infecta remanſerint, & alia ſexcenta, eadem ratione qua ſe ſe morienti tibi oſtendent: Non dubito quin tibi illud Iobi eventurū ſit, quod ſcribit cap. 15. *Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum, ſicut Regem qui præparatur ad prælium*: hæc enim omnia ſeſe objicient ſimul, & animum cingent uti ſolent copiæ militares Regem.

V. Con-

V. Conſideratio. Suſpenſa ob oculos tuos totius tuæ vitæ tabula, hæc Apoſtoli verba ad Roman. 6. perpende. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt*: Certè ut ait Chryſoſt. ſi ſola memoria pudore afficit, quanto magis ipſa actio? Nos quidem rerum præſentium titillatio, nos inconſiderantia abripit, nos timor, & hominum complacentia impedit; ſed ubi illa omnia deferbuerint, quàm aliter de rebus judicabimus. Vide qualis fuerit Amnō, ante, & poſt ſcelus 2. Reg. 13. amore in odium converſo, *ita ut majus eſſet odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat*. Atque hic eſt finis earum, omnium rerum quæ perperàm fiunt. Vide quid primis noſtris parentibus acciderit Geneſ. 3. Statim enim peracto peccato, ſubdit Scriptura: *Et aperti ſunt oculi amborum: cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*. Tu quiſquis es, qui nunc in parum honeſta conſuetudine verſaris, & periculoſa, nec ſatis capis, quantum tibi inde dedecoris accerſatur, & quantorum malorum jaciantur ſemina; Ne dubites venturū tempus, cùm te ingens earum rerum pudor capiet: Cur non potius cum res adhuc ſunt in integro non reſilis? Erit enim cum iſta præterierint. Tunc vexabit te illorū memoria: obſtupeſces tuam cæcitatem, tuam inſenſibilitatem. Et tu, qui nunc in ſcelere gloriaris qui maximam partem laudum tuarum facis, viciſſe puellæ conſtantiam, alienum thorum violaſſe; Erit illud tempus, cum tibi maximo eſſe probro animadvertes in illis ad mortem uſque erubeſces, qui nunc es ſine fronte. Vt futura colligas tibi propone præterita: *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis?* Cogita cum tibi fuerit iſta in confeſſione aperienda, quanto id feceris pudore, atque verecundia: Si puduit, cum ſalutem quæſiviſti, quantus erit pudor cum Deus exprobrabit ad pœnam.

VI. Conſideratio. Cogita te tuo præterito ſuperſtitem eſſe, ut ſi tui ipſius hæres eſſes; & ita te adhuc ſupereſſe poſtquàm diu fuiſti. Non ita ſe habet de pleriſque, quorum tempus tàm verè præteritum eſt ut omnino ſit finitum, & quoad eos penitus perierit, ut in gurgite præteriti immerſum. Cum enim tàm multorum præterita ſint abſoluta, ab ultimâ Quadrageſimâ, quot tibi cognitos & familiares, robuſtos, & ſanos, divites ac nobiles mors abſtulit? Quot ſunt mariti vidui, quot viduæ mulieres, quot orbi parentes, quot orphani liberi, quot in illorum numero à morte non opinantes deprehenſi? Quid eſt quod te huc uſque Deus toleravit? ad Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Hujus vitæ prolongationis triplicem cauſam affert Apoſtolus; bonitatem Dei ſeu benignitatem, qua immeritis etiam benefacit; patientiam, ſeu tolerantiam, qua peccantes homines non ſtatim punit, ſed expectat ut reſipiſcant denique longanimitē, qua multo tempore, & multa peccata peccatis addentes præſtolatur; earum autem immenſitatem divitias vocat, quia non tantum immeritis benè facit, ſed etiam demerentibus; neque ſuſtinet tantùm parum peccantes, ſed tàm graviter, & tàm ſæpe peccantes; neque tantum diu expectat, ſed aliquando totam vitam: Sed hæc omnia ille contemnit qui nec bonitate tangitur, nec movetur patientia tanta, nec tàm prolixa longanimitate vincitur: unde ſubdit, *Ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* oſtendens hujus contemptus cauſā eſſe ignorantiam, quòd nimirum benignitas Dei in hoc tendat, non ut homo vitæ prorogatione utatur ad nova veteribus peccatis adjungenda, ſed ut per pœnitentiam reſipiſcat: quod niſi fiat, vide quid ſequatur, *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi*

 iram

iram in die iræ, & revelationis juſti judicij Dei: tanto enim ſeverior eſt pœna & vindicta acerbior, quantò peccator diutiùs eſt expectatus ad pœnitentiam, nec reſipuit. Vocat duritiam, quia non emollitur Dei benignitate. Vocat cor impœnitens, quia ex cordis duritia oritur impœnitentia. At peccator durus & impœnitens cor accumulat, & ita pro divitiis benignitatis, iræ & vindictæ divitias coacervat. Itaque, ut ait Sanctus Gregorius homil. 13. in Ezech. De benignitate Dei iram ſibi in die iræ reprobus theſaurizat, quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipſum remedium gratiæ vertitur in augmentum culpæ. Vide itaque quantum debeas Divinæ miſericordiæ, quæ huc uſque te expectavit. Quid ſcis, cum eſſes cædendus ut arbor infructuoſa, an aliquis tibi iſtum annum non impetrarit à Patre-familias, ſecundum illud Lucæ 13. ubi Dominus conqueritur ſe in ficulnea quam in vinea ſua plantaverat, fructum non inveniſſe: *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dexit illi, Domine, dimitte illam, & hoc anno*, &c. Et vide finem huius prolationis: & quem alium niſi ut fructum afferas, & eum quidem pœnitentiæ. Vide quid circa te interim agat Deus. Cum magna cura te excolit. Denique vide quid deinceps expectare debeas: nempe ut excidaris. Quid ſcis an illud tempus quod tibi conceſſum eſt, jam ſit fini ſuo propinquum? Quid ſcis an non iam ſecuris ad radicem poſita ſit? Sanè ſi ſemel hoc factum fuerit planè de te actum erit, nihilque aliud ſupereſt exciſæ ficui præter ignem, quem Ioannes vocat inextinguibilem, tum quia non poteſt evitari, tum quia æternus eſt.

Quæ cum ita ſint, Auditores, noſtrum eſt ſeriò cogitare, quem fructum à nobis depoſcat Deus, & quo tempore. Fructus quem depoſcit eſt ſecundum uniuſcuiuſque virtutem & naturam. Enimverò à ficu quærit ficus; à vite uvas, ab aliis arboribus ſuos naturales fructus: Itaque à te depoſcit quod potes, quod vales, ſecundum dona tibi conceſſa & naturæ, & gratiæ. Quærit autem omni tempore. Vide enim quod ait Pater-familias; ſe ſingulis annis venire quærentem fructum, cum ſcilicet arbor poſſit ſingulis annis ferre. Immò legimus Chriſtum veniſſe ut quæreret ficus alieno tempore, & cum non inveniſſet, arbori ſic maledixiſſe, ut in inſtanti aruerit. Marci 11. *Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Qui corticem literæ aſpiciet, mirabitur cur Chriſtus ficui maledixerit, quod in ea fructum non inveniſſet, cum reipſa dicat Evangeliſta, *Non enim erat tempus ficorum*: Sed id fecit ad ſignificationẽ: oſtendere quippe voluit, ſe omni tempore à nobis exigere fructũ poſſe, quo non invento poteſt quolibet tempore arborem exſcindere: *Et cùm mane tranſiſſent viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti, aruit.* Quàm id de multis dicere poſſumus, quos cum Deus diu ſuſtinuiſſet, nec fructum feciſſent, illos aut excidit, aut maledixit. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.* Qualis ſententia, qualis maledictio! Ab ea nos liberet Chriſtus. Faxit per ſuam gratiam, ut ipſo frui in gloria mereamur.
Amen.

* * *

Digitized by Google

FERIA TERTIA
HEBDOMADÆ SANCTÆ
CONCIO SECUNDA.
QVÆ EST CONTINVATIO PRÆCEDENTIS.
Præſens & futurum vitæ tempus conſiderandum: & quomodò.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine Animæ meæ. Iſa. 38.

OMnium temporis partiũ nulla eſt quæ cum olim fuerit noſtra, minus ſit nunc in noſtrâ poteſtate quàm præteritum, nõ modò quia non eſt amplius, neque unquam erit, verum etiam quoniam id amiſimus, cũ non amittatur niſi prætereundo. Illud quippe ipſum eſt tanſire, quod perire, ait Sanctus Proſper: neque enim ad hoc accedit ut maneat, ſed in hoc tranſit ut pereat. Contrà verò, tempus præſens noſtrum eſt, cum in manibus noſtris ſit; & futurum pariter noſtrum erit, ſiquidem id expectamus; & die unâ adventante, vel præſente, noſtrum evadet. Vnde quandoquidem cum Rege Ezechiâ habemus conſiderandos coram Deo noſtros annos in amaritudine cordis noſtri; poſſumus longè æquius attendere in noſtris annis partem quæ eos facit noſtros, quàm eam quæ impedit quo minus noſtri penitus exiſtant. Præſens nimirum præterito ſuccedit, ex præterito enim ad præſens venimus, & ex conſideratione præteriti, nexus continenſque ſeries rerum nos adigit ad ineundam præſentis conſiderationem: Ecce rationem & modum.

I. Conſideratio. Præſens, inter omnes temporis partes fugaciſſimum eſt, & maximè exiguum. Illud vocat Philoſophus nunc fluens: Boëtius lib. de Trinit. currens tempus: Quantum illud eſt, ut cũ de ipſo præſenti tempore loquimur, iam ipſum effluxerit in præteritum: Immò vix de præſenti cum adhuc præſens eſt loquimur, quia ipſum jam præteriit. Porrò dixi omnium eſſe minimum, quia quod pluribus vicibus præſens fuit, ſimul eſt præteritum, nam licet non æq; primo totum ſit præteritum, tandem tamen ſimul eſt omne præteritum. Ad hæc tàm futurum quam præteritum partibus dividuntur; præſens autem ipſo Nunc continetur: nihil autem in tempore aut duratione minus eſſe poteſt inſtanti; & demum id tantum ſumus, quod Nunc ſumus: unde apparet quanti nos æſtimare debeamus, cum totum eſſe noſtrum uno Nunc contineatur.

 II. Con-

II. Conſideratio. Hoc tamen tantum eſt in noſtra poteſtate: Nam futurum, noſtrum non eſt, cum nondum ſit; præteritum eſſe deſiit noſtrum, quia periit, & amplius non erit: Nos itaque ſolius præſentis domini ſumus. Vide igitur quomodo illo utaris: quod ut rectè facias.

Perpende illud eſſe talentum, quod à Deo nobis datur ad negotiandum, ſecundum illud, Lucæ 19. *Negotiamini dùm venio.* Quandiu in manibus eſt, lucrari licet: Veniet illud tempus cum auferetur à nobis, & ut juravit Angelus in Apocalypſi, *Quia non erit tempus amplius.* Hoc eſt quod dixit Apoſtolus, verſiculum Davidis exponens, 3. ad Hebr. *Hodie ſi vocem eius audieritis*: &c. ait enim, *Adhortamini voſmetipſos, per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Quæ maior fallacia peccati, quam tempus præſens negligere, quod tibi certum eſt, & rem quæ tanti tua refert, in incertum tempus reiicere. Sed vide talenti huius pretium: Et enim nihil tempore melius Deus nobis in rebus humanis dedit, non terras, non maria, non opes. Hinc autem agnoſce, quòd quia illo caruerunt Angeli peccatores, facti ſunt dæmones. Quàm item multi homines damnantur, quoniam illis tempus non datur. Vide itaque quantum debeas Deo, qui tibi illud hodie prorogavit: Nam quandiu durat, tandiu eſt tempus ſalutis: *In tempore enim accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Vide iterum eius pretium: non minus eſt quàm æternitas, nam & finitur æternitate, & æternitate compenſatur, quam ſibi ſimilem facit aut facit aut beatitudine aut infelicitate. Quid igitur tàm inutiliter tempus teris in nugis, in confabulationibus, in vanitatibus? Memineris in præſenti tempore eſſe omnia: itaque te dum illud perdis, rerum omnium facere jacturam. Hoc eſt illud momentum unde pendet æternitas. Certè ſemen eſt æternitatis: nam quale fuerit tuum tempus, talis tibi erit æternitas. Vide ergò quam facias ſementem: eadem enim erit meſſis: *Nam quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne, & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo, metemus non deficientes. Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum.* Vide num benè concludat Apoſtolus.

III. Conſideratio. Quidquid aliàs fueris, hoc maximè es, quod nunc es. Itaque cognoſce præſentem animæ tuæ ſtatum, nam Deus ſecundum illum te judicat. Porrò ille ſtatus duplex eſſe poteſt, unus eſt circa neceſſaria, alter eſt circa perfectionem. Neceſſaria voco ea ſine quibus ſperari non poteſt ſalus, & quæ omnibus curæ eſſe debent, iis etiam qui perfectionis ſtudio tenentur: Id enim nonnullis contingit ut quæ perfectionis eſſe videntur, ea ſequantur; quæ verò neceſſaria ſunt ad ſalutem ea negligant: qua in re Chriſtus damnat Phariſæos hypocriſis, quibus ait, illud oportuiſſe facere, & aliud non omittere. Ad perfectionis autem ſtatum pertinet ſtudium augendi merita, & in virtute proficiendi. Circa neceſſaria hæc conſidera.

1. An ſit in te aliqua culpa mortalis: Aut præterita, cui nunquam providiſti, ſeu certa ſit, ſeu dubia, de qua nunquam interrogare te voluiſti; in particulari, num in juventute & adoleſcentia aliquid admiſeris, quod nunquam benè fuerit diſcuſſum, nec planè examinatum: Aut præſens, ſive ea manifeſta in continvatione ſtatus periculoſi, ſive occulta, verbi gratia in vindicta, in odio, in turpi amore, in omiſſa ſatisfactione, in boni alieni retentione, & ſimilibus quæ ferè mortalia ſunt.

II. An ſis in aliquo habituali peccato mortali, quod nunquam fuit retractatum, ſeu in affectu, aut in diſpoſitione, & præparatione ad

Digitized by Google

ne ad mortale aliquod actuale; ut ſolent eſſe Nobiles reſpectu duellorum; multi reſpectu negotiorum; item pecuniæ credendæ per uſuram; item Beneficiorum Eccleſiaſticorum injuſtè habitorum aut retentorum.

III. An ſis in certo aut probabili periculo eiuſmodi peccati; num affixus ſis creaturæ cuipiam, cuius aut amor aut amicitia, aut nexus, aut dependentia tibi exitioſa ſit; nunquid aliqua ſervituti tenearis, quæ faciat, ut non poſſis denegare alicui, quod arbitraris te ſalva conſcientia ipſi concedere non poſſe.

IV. Num ſis in aliquo fortunæ ſtatu quem mutari oporteat, aut in rei alicuius periculoſæ uſu.

V. An eveniat tibi ſicut pleriſque, ut quod veniale tantum eſt ad tempus aliquod, conſecutione evadat mortale: Vnde fiat ut in malo ſtatu ſit, quàm minus cogitas, quod quidem multis modis contingere poteſt, & quod advertunt pauci.

VI. In omiſſionibus; an non aliquæ graves exiſtunt. In quo attende rationem conditionis tuæ, & tui ſtatus obligationem, quæ offenſam mortalem infert, utpote quæ maximi ſit momenti: ut in Religioſis quoad vota, regulas & ſtudium perfectionis.

VII. Circa uſum ut abuſum Sacramentorum: nam heu quàm multi ipſis remediis pereunt!

VIII. Nihil ne eſt quod conſcientia tibi ſuggerat no eſſe faciendum, ſecundum illud Chriſti Domini *eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum illo*. Nam quod non fit ex fide peccatum eſt. Sed attende, nunquid imponis tibi & conſcientiæ tuæ, ut obedias paſſioni tuæ.

IX. Circa obligationes omnis generis: ut circa reſtitutionem famæ vel bonorum.

X. Et cum aliquid tale inveneris, ſic concelude: Quid cunctor ad id proſpicere, ac meam ſalutem in tuto ponere? Nonne expertus ſum plus ſatis expectationem mihi inutilem eſſe? Et ſi aliquando, cur non modò? Modò, modò ajebat Auguſtinus, expecta, reexpecta, &c. & illud modò non habeat modum. Certè nihil fit niſi in præſenti. Iohan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Immò ipſe Chriſtus ſic de ſe loquitur: quanto magis idē dicere debes. Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari.* Si modo potes fortaſſe deinceps non poteris: & ſi poteris fortè non voles. Quid ſcis an tempus ſis habiturus; & ſi habeas, quid ſcis an gratiam ſis habiturus eiuſmodi qua utiliter utaris ad ſalutem.

Iam circa ſtatum perfectionis, & augmentum:

Conſidera qualis ſis. & præſentem animæ tuæ juſtitiam compone cum præterita: an non aliquando melior fueris quam nunc ſis, & unde id factum ſit; ut cum agnoveris, remedium adhibeas: Quàm multi enim dicere poſſunt quod Iob. *Quis mihi det ut ſim iuxta menſes priſtinos*, &c. Vide an ſit aliquis in te amor perfectionis; an ſtudeas augere merita & in virtute proficere; qualis ſis in emendatione; qualis in virtutum profectu, quæ duo, ſtudium perfectionis complectitur; demum an cupias melior eſſe, an non? Nam quod aliqui dicunt ſe neceſſariis ad ſalutem eſſe contentos, valde abſurdum eſt. In primis, quia cum rebus omnibus nemo contentus ſit mere neceſſario, cum reſpectu tantum ſalutis, ſenſus ille in nobis exiſtit? Deinde, nullus eſt qui non aliquid amplius optet in cæteris, nemo qui non ambiat augere divitias, amicos, ſcientiā, gratiā: cur tantū in bonis ſpiritalibus moderata eſt ambitio? Deniq;, ſic ferè contingit inter homines, ut minus ſemper fiat in actione,

Digitized by Google

II. Conſideratio. Hoc tamen tantum eſt in noſtra poteſtate: Nam futurum, noſtrum non eſt, cum nondum ſit; præteritum eſſe deſiit noſtrum, quia periit, & amplius non erit: Nos itaque ſolius præſentis domini ſumus. Vide igitur quomodo illo utaris: quod ut rectè facias.

Perpende illud eſſe talentum, quod à Deo nobis datur ad negotiandum, ſecundum illud, Lucæ 19. *Negotiamini dùm venio*. Quandiu in manibus eſt, lucrari licet: Veniet illud tempus cum auferetur à nobis, & ut juravit Angelus in Apocalypſi, *Quia non erit tempus amplius.* Hoc eſt quod dixit Apoſtolus, verſiculum Davidis exponens, 3. ad Hebr. *Hodie ſi vocem eius audieritis*: &c. ait enim, *Adhortamini voſmetipſos, per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Quæ maior fallacia peccati, quam tēpus præſens negligere, quod tibi certum eſt, & rem quæ tanti tua refert, in incertum tempus reiicere. Sed vide talenti huius pretium: Et enim nihil tempore melius Deus nobis in rebus humanis dedit, non terras, non maria, non opes. Hinc autem agnoſce, quòd quia illo caruerunt Angeli peccatores, facti ſunt dæmones. Quàm item multi homines damnantur, quoniam illis tempus non datur. Vide itaque quantum debeas Deo, qui tibi illud hodie prorogavit: Nam quandiu durat, tandiu eſt tempus ſalutis: *In tempore enim accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Vide iterum eius pretium: non minus eſt quàm æternitas, nam & finitur æternitate, & æternitate compenſatur, quam ſibi ſimilem facit aut facit aut beatitudine aut infelicitate. Quid igitur tàm inutiliter tempus teris in nugis, in confabulationibus, in vanitatibus? Memineris in præſenti tempore eſſe omnia? itaque te dum illud perdis, rerum omnium facere jacturam. Hoc eſt illud momentum unde pendet æternitas. Certè ſemen eſt æternitatis: nam quale fuerit tuum tempus, talis tibi erit æternitas. Vide ergò quam facias ſementem: eadem enim erit meſſis: *Nam: quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne, & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo, metemus non deficientes. Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum.* Vide num benè concludat Apoſtolus.

III. Conſideratio. Quidquid aliàs fueris, hoc maximè es, quod nunc es, Itaque cognoſce præſentem animæ tuæ ſtatum, nam Deus ſecundum illum te judicat. Porrò ille ſtatus duplex eſſe poteſt, unus eſt circa neceſſaria, alter eſt circa perfectionem. Neceſſaria voco ea ſine quibus ſperari non poteſt ſalus, & quæ omnibus curæ eſſe debent, iis etiam qui perfectionis ſtudio tenentur: Id enim nonnullis contingit ut quæ perfectionis eſſe videntur, ea ſequantur; quæ verò neceſſaria ſunt ad ſalutem ea negligant: qua in re Chriſtus damnat Phariſæos hypocriſis, quibus ait, illud oportuiſſe facere, & aliud non omittere. Ad perfectionis autem ſtatum pertinet ſtudium augendi merita, & in virtute proficiendi. Circa neceſſaria hæc conſidera.

I. An ſit in te aliqua culpa mortalis: Aut præterita, cui nunquam providiſti, ſeu certa ſit, ſeu dubia, de qua nunquam interrogare te voluiſti; in particulari, num in juventute & adoleſcentia aliquid admiſeris, quod nunquam benè fuerit diſcuſſum, nec planè examinatum: Aut præſens, ſive ea manifeſta in continvatione ſtatus periculoſi, ſive occulta, verbi gratia in vindicta, in odio, in turpi amore, in omiſſa ſatisfactione, in boni alieni retentione, & ſimilibus quæ ferè mortalia ſunt.

II. An ſis in aliquo habituali peccato mortali, quod nunquam fuit retractatum, ſeu in affectu, aut in diſpoſitione, & præparatione ad

ne ad

Digitized by Google

ne ad mortale aliquod actuale; ut ſolent eſſe Nobiles reſpectu duellorum; multi reſpectu negotiorum; item pecuniæ credendæ per uſuram; item Beneficiorum Eccleſiaſticorum injuſtè habitorum aut retentorum.

III. An ſis in certo aut probabili periculo eiuſmodi peccati; num affixus ſis creaturæ cuipiam, cuius aut amor aut amicitia, aut nexus, aut dependentia tibi exitioſa ſit; nunquid aliqua ſervitute tenearis, quæ faciat, ut non poſſis denegare alicui, quod arbitraris te ſalva conſcientia ipſi concedere non poſſe.

IV. Num ſis in aliquo fortunæ ſtatu quem mutari oporteat, aut in rei alicuius periculoſæ uſu.

V. An eveniat tibi ſicut pleriſque, ut quod veniale tantum eſt ad tempus aliquod, conſecutione evadat mortale: Vnde fiat ut in malo ſtatu ſit, quùm minus cogitas, quod quidem multis modis contingere poteſt, & quod advertunt pauci.

VI. In omiſſionibus; an non aliquæ graves exiſtunt. In quo attende rationem conditionis tuæ, & tui ſtatus obligationem, quæ offenſam mortalem infert, utpote quæ maximi ſit momenti: ut in Religioſis quoad vota, regulas & ſtudium perfectionis.

VII. Circa uſum ut abuſum Sacramentorum: nam heu quàm multi ipſis remediis pereunt!

VIII. Nihil ne eſt quod conſcientia tibi ſuggerat no eſſe faciendum, ſecundum illud Chriſti Domini *eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum illò*. Nam quod non fit ex fide peccatum eſt. Sed attende, nunquid imponis tibi & conſcientiæ tuæ, ut obedias paſſioni tuæ.

IX. Circa obligationes omnis generis: ut circa reſtitutionem famæ vel bonorum.

X. Et cum aliquid tale inveneris, ſic concelude: Quid cunctor ad id proſpicere, ac meam ſalutem in tuto ponere? Nonne expertus ſum plus ſatis expectationem mihi inutilem eſſe? Et ſi aliquando, cur non modò? Modò, modò ajebat Auguſtinus, expecta, reexpecta, &c. & illud modò non habeat modum. Certè nihil fit niſi in præſenti. Iohan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Immò ipſe Chriſtus ſic de ſe loquitur; quanto magis idē dicere debes. Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari.* Si modo potes fortaſſe deinceps non poteris: & ſi poteris fortè non voles. Quid ſcis an tempus ſis habiturus; & ſi habeas, quid ſcis an gratiam ſis habiturus eiuſmodi qua utiliter utaris ad ſalutem.

Iam circa ſtatum perfectionis, & augmentum:

Conſidera qualis ſis, & præſentem animæ tuæ juſtitiam compone cum præterita: an non aliquando melior fueris quam nunc ſis, & unde id factum ſit; ut cum agnoveris, remedium adhibeas: Quàm multi enim dicere poſſunt quod Iob. *Quis mihi det ut ſim iuxta menſes priſtinos*, &c. Vide an ſit aliquis in te amor perfectionis; an ſtudeas augere merita & in virtute proficere; qualis ſis in emendatione; qualis in virtutum profectu, quæ duo, ſtudium perfectionis complectitur; demum an cupias melior eſſe, an non? Nam quod aliqui dicunt ſe neceſſariis ad ſalutem eſſe contentos, valde abſurdum eſt. In primis, quia cum rebus omnibus nemo contentus ſit mere neceſſario, cum reſpectu tantum ſalutis, ſenſus ille in nobis exiſtit? Deinde, nullus eſt qui non aliquid amplius optet in cæteris; nemo qui non ambiat augere divitias, amicos, ſcientiā, gratiā: cur tantū in bonis ſpiritalibus moderata eſt ambitio? Deniq;, ſic ferè contingit inter homines, ut minus ſemper fiat in actione,

II. Conſideratio. Hoc tamen tantum eſt in noſtra poteſtate: Nam futurum, noſtrum non eſt, cum nondum ſit; præteritum eſſe deſiit noſtrum, quia periit, & amplius non erit: Nos itaque ſolius præſentis domini ſumus. Vide igitur quomodo illo utaris: quod ut rectè facias.

Perpende illud eſſe talentum, quod à Deo nobis datur ad negotiandum, ſecundum illud, Lucæ 19. *Negotiamini dùm venio*. Quandiu in manibus eſt, lucrari licet: Veniet illud tempus cum auferetur à nobis, & ut juravit Angelus in Apocalypſi, *Quia non erit tempus amplius*. Hoc eſt quod dixit Apoſtolus, verſiculum Davidis exponens, 3. ad Hebr. *Hodie ſi vocem eius audieritis*: &c. ait enim, *Adhortamini voſmetipſos, per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Quæ maior fallacia peccati, quam tẽpus præſens negligere, quod tibi certum eſt, & rem quæ tanti tua refert, in incertum tempus reiicere. Sed vide talenti huius pretium: Et enim nihil tempore melius Deus nobis in rebus humanis dedit, non terras, non maria, non opes. Hinc autem agnoſce, quòd quia illo caruerunt Angeli peccatores, facti ſunt dæmones. Quàm item multi homines damnantur, quoniam illis tempus non datur. Vide itaque quantum debeas Deo, qui tibi illud hodie prorogavit: Nam quandiu durat, tandiu eſt tempus ſalutis: *In tempore enim accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te*. Vide iterum eius pretium: non minus eſt quàm æternitas, nam & finitur æternitate, & æternitate compenſatur, quam ſibi ſimilem facit aut facit aut beatitudine aut infelicitate. Quid igitur tàm inutiliter tempus teris in nugis, in confabulationibus, in vanitatibus? Memineris in præſenti tempore eſſe omnia? itaque te dum illud perdis, rerum omnium facere jacturam. Hoc eſt illud momentum unde pendet æternitas. Certè ſemen eſt æternitatis: nam quale fuerit tuum tempus, talis tibi erit æternitas. Vide ergò quam facias ſementem: eadem enim erit meſſis: *Nam: quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne, & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo, metemus non deficientes. Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum*. Vide num benè concludat Apoſtolus.

III. Conſideratio. Quidquid aliàs fueris, hoc maximè es, quod nunc es. Itaque cognoſce præſentem animæ tuæ ſtatum, nam Deus ſecundum illum te judicat. Porrò ille ſtatus duplex eſſe poteſt, unus eſt circa neceſſaria, alter eſt circa perfectionem. Neceſſaria voco ea ſine quibus ſperari non poteſt ſalus, & quæ omnibus curæ eſſe debent, iis etiam qui perfectionis ſtudio tenentur: Id enim nonnullis contingit ut quæ perfectionis eſſe videntur, ea ſequantur; quæ verò neceſſaria ſunt ad ſalutem ea negligant: qua in re Chriſtus damnat Phariſæos hypocriſis, quibus ait, illud oportuiſſe facere, & aliud non omittere. Ad perfectionis autem ſtatum pertinet ſtudium augendi merita, & in virtute proficiendi. Circa neceſſaria hæc conſidera.

I. An ſit in te aliqua culpa mortalis: Aut præterita, cui nunquam providiſti, ſeu certa ſit, ſeu dubia, de qua nunquam interrogare te voluiſti; in particulari, num in juventute & adoleſcentia aliquid admiſeris, quod nunquam benè fuerit diſcuſſum, nec planè examinatum: Aut præſens, ſive ea manifeſta in continvatione ſtatus periculoſi, ſive occulta, verbi gratia in vindicta, in odio, in turpi amore, in omiſſa ſatisfactione, in boni alieni retentione, & ſimilibus quæ ferè mortalia ſunt.

II. An ſis in aliquo habituali peccato mortali, quod nunquam fuit retractatum, ſeu in affectu, aut in diſpoſitione, & præparatione ad

ne ad

ne ad mortale aliquod actuale; ut ſolent eſſe Nobiles reſpectu duellorum; multi reſpectu negotiorum; item pecuniæ credendæ per uſuram; item Beneficiorum Eccleſiaſticorum injuſtè habitorum aut retentorum.

III. An ſis in certo aut probabili periculo eiuſmodi peccati; num affixus ſis creaturæ cuipiam, cuius aut amor aut amicitia, aut nexus, aut dependentia tibi exitioſa ſit; nunquid aliqua ſervitute tenearis, quæ faciat, ut non poſſis denegare alicui, quod arbitraris te ſalva conſcientia ipſi concedere non poſſe.

IV. Num ſis in aliquo fortunæ ſtatu quem mutari oporteat, aut in rei alicuius periculoſæ uſu.

V. An eveniat tibi ſicut pleriſque, ut quod veniale tantum eſt ad tempus aliquod, conſecutione evadat mortale: Vnde fiat ut in malo ſtatu ſit, quùm minus cogitas, quod quidem multis modis contingere poteſt, & quod advertunt pauci.

VI. In omiſſionibus; an non aliquæ graves exiſtunt. In quo attende rationem conditionis tuæ, & tui ſtatus obligationem, quæ offenſam mortalem infert, utpote quæ maximi ſit momenti: ut in Religioſis quoad vota, regulas & ſtudium perfectionis.

VII. Circa uſum ut abuſum Sacramentorum: nam heu quàm multi ipſis remediis pereunt!

VIII. Nihil ne eſt quod conſcientia tibi ſuggerat no eſſe faciendum, ſecundum illud Chriſti Domini *eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum illò.* Nam quod non fit ex fide peccatum eſt. Sed attende, nunquid imponis tibi & conſcientiæ tuæ, ut obedias paſſioni tuæ.

IX. Circa obligationes omnis generis: ut circa reſtitutionem famæ vel bonorum.

X. Et cum aliquid tale inveneris, ſic concl ude: Quid cunctor ad id proſpicere, ac meam ſalutem in tuto ponere? Nonne expertus ſum plus ſatis expectationem mihi inutilem eſſe? Et ſi aliquando, cur non modò? Modò, modò ajebat Auguſtinus, expecta, reexpecta, &c. & illud modò non habeat modum. Certè nihil fit niſi in præſenti. Iohan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Immò ipſe Chriſtus ſic de ſe loquitur: quanto magis idē dicere debes. Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari.* Si modo potes fortaſſe deinceps non poteris: & ſi poteris fortè non voles. Quid ſcis an tempus ſis habiturus; & ſi habeas, quid ſcis an gratiam ſis habiturus eiuſmodi qua utiliter utaris ad ſalutem.

Iam circa ſtatum perfectionis, & augmentum:

Conſidera qualis ſis. & præſentem animæ tuæ juſtitiam compone cum præterita: an non aliquando melior fueris quam nunc ſis, & unde id factum ſit; ut cum agnoveris, remedium adhibeas: Quàm multi enim dicere poſſunt quod Iob. *Quis mihi det ut ſim iuxta menſes priſtinos*, &c. Vide an ſit aliquis in te amor perfectionis; an ſtudeas augere merita & in virtute proficere; qualis ſis in emendatione, qualis in virtutum profectu, quæ duo, ſtudium perfectionis complectitur; demum an cupias melior eſſe, an non? Nam quod aliqui dicunt ſe neceſſariis ad ſalutem eſſe contentos, valde abſurdum eſt. In primis, quia cum rebus omnibus nemo contentus ſit mere neceſſario, cum reſpectu tantum ſalutis, ſenſus ille in nobis exiſtit? Deinde, nullus eſt qui non aliquid amplius optet in cæteris; nemo qui non ambiat augere divitias, amicos, ſcientiā, gratiā: cur tantū in bonis ſpiritalibus moderata eſt ambitio? Deniq;, ſic ferè contingit inter homines, ut minus ſemper fiat in actione,

II. Conſideratio. Hoc tamen tantum eſt in noſtra poteſtate: Nam futurum, noſtrum non eſt, cum nondum ſit; præteritum eſſe deſiit noſtrum, quia periit, & amplius non erit: Nos itaque ſolius præſentis domini ſumus. Vide igitur quomodo illo utaris: quod ut rectè facias.

Perpende illud eſſe talentum, quod à Deo nobis datur ad negotiandum, ſecundum illud, Lucæ 19. *Negotiamini dùm venio*. Quandiu in manibus eſt, lucrari licet: Veniet illud tempus cum auferetur à nobis, & ut juravit Angelus in Apocalypſi, *Quia non erit tempus amplius*. Hoc eſt quod dixit Apoſtolus, verſiculum Davidis exponens, 3. ad Hebr. *Hodie ſi vocem eius audieri is*: &c. ait enim, *Ad hortamini voſmetipſos, per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Quæ maior fallacia peccati, quam tēpus præſens negligere, quod tibi certum eſt, & rem quæ tanti tua refert, in incertum tempus reiicere. Sed vide talenti huius pretium: Etenim nihil tempore melius Deus nobis in rebus humanis dedit, non terras, non maria, non opes. Hinc autem agnoſce, quòd quia illo caruerunt Angeli peccatores, facti ſunt dæmones. Quàm item multi homines damnantur, quoniam illis tempus non datur. Vide itaque quantum debeas Deo, qui tibi illud hodie prorogavit: Nam quandiu durat, tandiu eſt tempus ſalutis: *In tempore enim accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Vide iterum eius pretium: non minus eſt quàm æternitas, nam & finitur æternitate, & æternitate compenſatur, quam ſibi ſimilem facit aut facit aut beatitudine aut infelicitate. Quid igitur tàm inutiliter tempus teris in nugis, in confabulationibus, in vanitatibus? Memineris in præſenti tempore eſſe omnia? itaque te dum illud perdis, rerum omnium facere jacturam. Hoc eſt illud momentum unde pendet æternitas. Certè ſemen eſt æternitatis: nam quale fuerit tuum tempus, talis tibi erit æternitas. Vide ergò quam facias ſementem: eadem enim erit meſſis: *Nam: quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne, & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo, metemus non deficientes. Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum.* Vide num benè concludat Apoſtolus.

III. Conſideratio. Quidquid aliàs fueris, hoc maximè es, quod nunc es. Itaque cognoſce præſentem animæ tuæ ſtatum, nam Deus ſecundum illum te judicat. Porrò ille ſtatus duplex eſſe poteſt, unus eſt circa neceſſaria, alter eſt circa perfectionem. Neceſſaria voco ea ſine quibus ſperari non poteſt ſalus, & quæ omnibus curæ eſſe debent, iis etiam qui perfectionis ſtudio tenentur: Id enim nonnullis contingit ut quæ perfectionis eſſe videntur, ea ſequantur; quæ verò neceſſaria ſunt ad ſalutem ea negligant: qua in re Chriſtus damnat Phariſæos hypocriſis, quibus ait, illud oportuiſſe facere, & aliud non omittere. Ad perfectionis autem ſtatum pertinet ſtudium augendi merita, & in virtute proficiendi. Circa neceſſaria hæc conſidera.

1. An ſit in te aliqua culpa mortalis: Aut præterita, cui nunquam providiſti, ſeu certa ſit, ſeu dubia, de qua nunquam interrogare te voluiſti; in particulari, num in juventute & adoleſcentia aliquid admiſeris, quod nunquam benè fuerit diſcuſſum, nec planè examinatum: Aut præſens, ſive ea manifeſta in continvatione ſtatus periculoſi, ſive occulta, verbi gratia in vindicta, in odio, in turpi amore, in omiſſa ſatisfactione, in boni alieni retentione, & ſimilibus quæ ferè mortalia ſunt.

II. An ſis in aliquo habituali peccato mortali, quod nunquam fuit retractatum, ſeu in affectu, aut in diſpoſitione, & præparatione ad

ne ad

ne ad mortale aliquod actuale; ut ſolent eſſe Nobiles reſpectu duellorum; multi reſpectu negotiorum; item pecuniæ credendæ per uſuram; item Beneficiorum Eccleſiaſticorum injuſtè habitorum aut retentorum.

III. An ſis in certo aut probabili periculo eiuſmodi peccati: num affixus ſis creaturæ cuipiam, cuius aut amor aut amicitia, aut nexus, aut dependentia tibi exitioſa ſit; nunquid aliqua ſervitute tenearis, quæ faciat, ut non poſſis denegare alicui, quod arbitraris te ſalva conſcientia ipſi concedere non poſſe.

IV. Num ſis in aliquo fortunæ ſtatu quem mutari oporteat, aut in rei alicuius periculoſæ uſu.

V. An eveniat tibi ſicut pleriſque, ut quod veniale tantum eſt ad tempus aliquod, conſecutione evadat mortale: Vnde fiat ut in malo ſtatu ſit, quùm minus cogitas, quod quidem multis modis contingere poteſt, & quod advertunt pauci.

VI. In omiſſionibus; an non aliquæ graves exiſtunt. In quo attende rationem conditionis tuæ, & tui ſtatus obligationem, quæ offenſam mortalem infert, utpote quæ maximi ſit momenti: ut in Religioſis quoad vota, regulas & ſtudium perfectionis.

VII. Circa uſum ut abuſum Sacramentorum: nam heu quàm multi ipſis remediis pereunt!

VIII. Nihil ne eſt quod conſcientia tibi ſuggerat no eſſe faciendum, ſecundum illud Chriſti Domini *eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum illo.* Nam quod non fit ex fide peccatum eſt. Sed attende, nunquid imponis tibi & conſcientiæ tuæ, ut obedias paſſioni tuæ.

IX. Circa obligationes omnis generis: ut circa reſtitutionem famæ vel bonorum.

X. Et cum aliquid tale inveneris, ſic concludе: Quid cunctor ad id proſpicere, ac meam ſalutem in tuto ponere? Nonne expertus ſum plus ſatis expectationem mihi inutilem eſſe? Et ſi aliquando, cur non modò? Modò, modò ajebat Auguſtinus, expecta, reexpecta, &c. & illud modò non habeat modum. Certè nihil fit niſi in præſenti. Iohan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Immò ipſe Chriſtus ſic de ſe loquitur: quanto magis idē dicere debes. Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari.* Si modo potes fortaſſe deinceps non poteris: & ſi poteris fortè non voles. Quid ſcis an tempus ſis habiturus; & ſi habeas, quid ſcis an gratiam ſis habiturus eiuſmodi qua utiliter utaris ad ſalutem.

Iam circa ſtatum perfectionis, & augmentum:

Conſidera qualis ſis. & præſentem animæ tuæ juſtitiam compone cum præterita: an non aliquando melior fueris quam nunc ſis, & unde id factum ſit; ut cum agnoveris, remedium adhibeas: Quàm multi enim dicere poſſunt quod Iob. *Quis mihi det ut ſim iuxta menſes priſtinos*, &c. Vide an ſit aliquis in te amor perfectionis; an ſtudeas augere merita & in virtute proficere; qualis ſis in emendatione; qualis in virtutum profectu, quæ duo, ſtudium perfectionis complectitur; demum an cupias melior eſſe, an non? Nam quod aliqui dicunt ſe neceſſariis ad ſalutem eſſe contentos, valde abſurdum eſt. In primis, quia cum rebus omnibus nemo contentus ſit mere neceſſario, cum reſpectu tantum ſalutis, ſenſus ille in nobis exiſtit? Deinde, nullus eſt qui non aliquid amplius optet in cæteris; nemo qui non ambiat augere divitias, amicos, ſcientiã, gratiã: cur tantũ in bonis ſpiritalibus moderata eſt ambitio? Deniq;, ſic ferè contingit inter homines, ut minus ſemper fiat in actione,

iram in die iræ, & revelationis juſti judicij Dei: tanto enim ſeverior eſt pœna & vindicta acerbior, quantò peccator diutiùs eſt expectatus ad pœnitentiam, nec reſipuit. Vocat duritiam, quia non emollitur Dei benignitate. Vocat cor impœnitens, quia ex cordis duritia oritur impœnitentia. At peccator durus & impœnitens cor accumulat; & ita pro divitiis benignitatis, iræ & vindictæ divitias coacervat. Itaque, ut ait Sanctus Gregorius homil. 13. in Ezech. De benignitate Dei iram ſibi in die iræ reprobus theſaurizat, quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipſum remedium gratiæ vertitur in augmentum culpæ. Vide itaque quantum debeas Divinæ miſericordiæ, quæ huc uſque te expectavit. Quid ſcis, cum eſſes cædendus ut arbor infructuoſa, an aliquis tibi iſtum annum non impetrarit à Patre-familias, ſecundum illud Lucæ 13. ubi Dominus conqueritur ſe in ficulnea quàm in vinea ſua plantaverat, fructum non inveniſſe: *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dixit illi, Domine, dimitte illam, & hoc anno*, &c. Et vide finem huius prolationis: & quem alium niſi ut fructum afferas, & eum quidem pœnitentiæ. Vide quid circa te interim agat Deus. Cum magna cura te excolit. Denique vide quid deinceps expectare debeas: nempe ut excidaris. Quid ſcis an illud tempus quod tibi conceſſum eſt, jam ſit fini ſuo propinquum? Quid ſcis an non iam ſecuris ad radicem poſita ſit? Sanè ſi ſemel hoc factum fuerit planè de te actum erit, nihilque aliud ſupereſt exciſæ ficui præter ignem, quem Ioannes vocat inextinguibilem, tum quia non poteſt evitari, tum quia æternus eſt.

Quæ cum ita ſint, Auditores, noſtrum eſt ſeriò cogitare, quem fructum à nobis depoſcat Deus, & quo tempore. Fructus quem depoſcit eſt ſecundum uniuſcuiuſque virtutem & naturam. Enimverò à ficu quærit ficus; à vite uvas, ab aliis arboribus ſuos naturales fructus: Itaque à te depoſcit quod potes, quod vales, ſecundum dona tibi conceſſa & naturæ, & gratiæ. Quærit autem omni tempore. Vide enim quod ait Pater-familias; ſe ſingulis annis venire quærentem fructum, cum ſcilicet arbor poſſit ſingulis annis ferre. Immò legimus Chriſtum veniſſe ut quæreret ficus alieno tempore, & cum non inveniſſet, arbori ſic maledixiſſe, ut in inſtanti aruerit. Marci 11. *Iam non ampliùs in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Qui corticem literæ aſpiciet, mirabitur cur Chriſtus ficui maledixerit, quod in ea fructum non inveniſſet, cum reipſa dicat Evangeliſta, *Non enim erat tempus ficorum*: Sed id fecit ad ſignificationẽ: oſtendere quippe voluit, ſe omni tempore à nobis exigere fructũ poſſe, quo non invento poteſt quolibet tempore arborem exſcindere: *Et cùm mane tranſiſſent viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti, aruit.* Quamvis id de multis dicere poſſumus, quos cum Deus diu ſuſtinuiſſet, nec fructum feciſſent, illos aut excidit, aut maledixit. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.* Qualis ſententia, qualis maledictio! Ab ea nos liberet Chriſtus. Faxit per ſuam gratiam, ut ipſo frui in gloria mereamur.
Amen.

* * *

FERIA TERTIA HEBDOMADÆ SANCTÆ

CONCIO SECUNDA.

QVÆ EST CONTINVATIO PRÆCEDENTIS.

Præſens & futurum vitæ tempus conſiderandum: & quomodò.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine Animæ meæ. Iſa. 38.

OMnium temporis partiū nulla eſt quæ cum olim fuerit noſtra, minus ſit nunc in noſtrâ poteſtate quàm præteritum, nō modò quia non eſt amplius, neque unquam erit, verum etiam quoniam id amiſimus, cū non amittatur niſi prætereundo. Illud quippe ipſum eſt tranſire, quod perire, ait Sanctus Proſper: neque enim ad hoc accedit ut maneat, ſed in hoc tranſit ut pereat. Contrà verò, tempus præſens noſtrum eſt, cum in manibus noſtris ſit; & futurum pariter noſtrum erit, ſiquidem id expectamus; & die unâ adventante, vel præſente, noſtrum evadet. Vnde quandoquidem cum Rege Ezechiâ habemus conſiderandos coram Deo noſtros annos in amaritudine cordis noſtri; poſſumus longè æquius attendere in noſtris annis partem quæ eos facit noſtros, quàm eam quæ impedit quo minus noſtri penitus exiſtant. Præſens nimirum præterito ſuccedit, ex præterito enim ad præſens venimus, & ex conſideratione præteriti, nexus continenſque ſeries rerum nos adigit ad ineundam præſentis conſiderationem: Ecce rationem & modum.

I. Conſideratio. Præſens, inter omnes temporis partes fugaciſſimum eſt, & maximè exiguum. Illud vocat Philoſophus nunc fluens: Boëtius lib. de Trinit. currens tempus: Quantum illud eſt, ut cū de ipſo præſenti tempore loquimur, iam ipſum effluxerit in præteritum: Immò vix de præſenti cum adhuc præſens eſt loquimur, quia ipſum jam præteriit. Porrò dixi omnium eſſe minimum, quia quod pluribus vicibus præſens fuit, ſimul eſt præteritum, nam licet non æq; primo totum ſit præteritum, tandem tamen ſimul eſt omne præteritum. Ad hæc tàm futurum quam præteritum partibus dividuntur; præſens autem ipſo Nunc continetur: nihil autem in tempore aut duratione minus eſſe poteſt inſtanti; & demum id tantum ſumus, quod Nunc ſumus: unde apparet quanti nos æſtimare debeamus, cum totum eſſe noſtrum unò Nunc contineatur.

ne ad mortale aliquod actuale; ut ſolent eſſe Nobiles reſpectu duellorum; multi reſpectu negotiorum; item pecuniæ credendæ per uſuram; item Beneficiorum Eccleſiaſticorum injuſtè habitorum aut retentorum.

III. An ſis in certo aut probabili periculo eiuſmodi peccati; num affixus ſis creaturæ cuipiam, cuius aut amor aut amicitia, aut nexus, aut dependentia tibi exitioſa ſit; nunquid aliqua ſervitute tenearis, quæ faciat, ut non poſſis denegare alicui, quod arbitraris te ſalva conſcientia ipſi concedere non poſſe.

IV. Num ſis in aliquo fortunæ ſtatu quem mutari oporteat, aut in rei alicuius periculoſæ uſu.

V. An eveniat tibi ſicut pleriſque, ut quod veniale tantum eſt ad tempus aliquod, conſecutione evadat mortale: Vnde fiat ut in malo ſtatu ſit, quùm minus cogitas, quod quidem multis modis contingere poteſt, & quod advertunt pauci.

VI. In omiſſionibus; an non aliquæ graves exiſtunt. In quo attende rationem conditionis tuæ, & tui ſtatus obligationem, quæ offenſam mortalem infert, utpote quæ maximi ſit momenti: ut in Religioſis quoad vota, regulas & ſtudium perfectionis.

VII. Circa uſum ut abuſum Sacramentorum: nam heu quàm multi ipſis remediis pereunt!

VIII. Nihil ne eſt quod conſcientia tibi ſuggerat no eſſe faciendum, ſecundum illud Chriſti Domini *eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum illò*. Nam quod non fit ex fide peccatum eſt. Sed attende, nunquid imponis tibi & conſcientiæ tuæ, ut obedias paſſioni tuæ.

IX. Circa obligationes omnis generis: ut circa reſtitutionem famæ vel bonorum.

X. Et cum aliquid tale inveneris, ſic concelude: Quid cunctor ad id proſpicere, ac meam ſalutem in tuto ponere? Nonne expertus ſum plus ſatis expectationem mihi inutilem eſſe? Et ſi aliquando, cur non modò? Modò, modò ajebat Auguſtinus, expecta, reexpecta, &c. & illud modò non habeat modum. Certè nihil fit niſi in præſenti. Iohan. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Immò ipſe Chriſtus ſic de ſe loquitur: quanto magis idé dicere debes. Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox quando nemo poteſt operari.* Si modo potes fortaſſe deinceps non poteris: & ſi poteris fortè non voles. Quid ſcis an tempus ſis habiturus; & ſi habeas, quid ſcis an gratiam ſis habiturus eiuſmodi qua utiliter utaris ad ſalutem.

Iam circa ſtatum perfectionis, & augmentum:

Conſidera qualis ſis. & præſentem animæ tuæ juſtitiam compone cum præterita: an non aliquando melior fueris quam nunc ſis, & unde id factum ſit; ut cum agnoveris, remedium adhibeas: Quàm multi enim dicere poſſunt quod Iob. *Quis mihi det ut ſim iuxta menſes priſtinos*, &c. Vide an ſit aliquis in te amor perfectionis; an ſtudeas augere merita & in virtute proficere; qualis ſis in emendatione; qualis in virtutum profectu, quæ duo, ſtudium perfectionis complectitur; demum an cupias melior eſſe, an non? Nam quod aliqui dicunt ſe neceſſariis ad ſalutem eſſe contentos, valde abſurdum eſt. In primis, quia cum rebus omnibus nemo contentus ſit mere neceſſario, cum reſpectu tantum ſalutis, ſenſus ille in nobis exiſtit? Deinde, nullus eſt qui non aliquid amplius optet in cæteris, nemo qui non ambiat augere divitias, amicos, ſcientiã, gratiã: cur tantũ in bonis ſpiritalibus moderata eſt ambitio? Deniq;, ſic ferè contingit inter homines, ut minus ſemper fiat in actione,

Digitized by Google

meæ; nonnulli interpretentur de annis futuris, nempe de annis quindecim quos Deus illi addidit: quaſi diceret; perpetuo habebo in animo meo reliquam vitæ meæ partem, quam in cinere, & pœnitentia tranſigam: nec me dabo gaudio & lætitię, cum ſciam poſt hoc tempus mihi moriendum eſſe.

I. Itaque circa futurum Conſideratio eſt: Nihil eſſe magis incertum quàm futurum tempus. Et in eo quidem multiplex incertitudo. In primis an erit aliquod futurum. Nemo enim illud ſibi certò polliceri poteſt. Quare ſæpe me terret illud Chriſti Domini monitum; *Vigilate quia neſcitis diem neque horam*: Item, *Quâ horâ non putatis filius hominis veniet. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* In quo illud adverto, omnes ferè deprehendi ex illa ſpe improba futuri: qua de cauſa ſic ait Paſchaſius Abbas Corbeienſis: Animæ languenti ultima dies fur eſt, & latro. Porrò illa quo diſtinguit Chriſtus diem, & horam, quia licet dies nobis non eſſet ignota, ſæpe hora incerta eſt. Deinde nobis incertum eſt quantum nobis ſuperſit: itaque futurum ex prętterito non eſt metiendum; niſi ut ſcias, quo plus vixiſti, eò minus tibi ſupereſſe; & cum in ea parte quę ſupereſt, tua vetera ſint corrigenda, & ęternitas tua diſponenda, ſatis intelligis tibi nullam futuri temporis partem eſſe deperdendam. Denique incertum eſt, quale ſit futurum, neque enim omnia tempora ſimilia ſunt: Quid ſcis an tibi parentur magna, graves tentationes, duriſſimę afflictiones? Certè Iobus parum attentus pręſentium proſperitati, ſemper metuebat futura: Vnde ait cap. 3. *Quia timor quem timebam, evenit mihi, & quod verebar accidit.* E contrario verò nihil certius eſt æternitate. 1. Aliquam eſſe futuram; 2. Nullo fine terminandam, nam ut ait S. Auguſtinus in Pſal. 145. æternitas in verbo, quatuor ſyllabis conſtat; in ſe, ſine fine eſt: 3. Quoad qualitatem, aut ſummè miſeram eſſe, aut ſummè felicem, quæ cogitatio me admodum tenere debet ſuſpenſum.

II. Conſideratio: futurum tibi maximè cordi eſſe debere, quoniam quod tua maximè refert, ſupereſt futurum, nempe mors, & judicium: quæ quoniam quando futura ſunt, incertum eſt, ſcito nullam tibi partem temporis futuri negligendam eſſe. Nam ut dixit Auguſtinus: Ideo latet ultimus dies, ut timeantur omnes dies: Vide qua cura angeretur B. Iob. cap. 14. *Cunctis diebus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.*

III. Conſideratio: Cùm multa tibi data ſint pręcepta quæ nunquam obſervaſti, certè illa obſervanda ſunt in futuro tempore, uti de Deo diligendo, de Contritione, de Pœnitentia, de reſtitutione famæ, & bonorum, de reconciliatione cum inimicis; & alia id genus quæ ſi ſemper differantur, non erit amplius tempus ea obſervandi. Itaque valde verendum, ne ex dilatione continua fiat omiſſio voluntaria, & cum culpa, quidquid nobiſcum ipſi diſſimulemus. Accedit eò, quod cum tempus quod mihi adhuc datur, poſt peccatum, & Deum offenſum, mihi detur ad faciendam pœnitentiam, ſecundum illud Apoſtoli. *An ignoras quod Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, hoc unum mane mihi ſit cogitandum; & eodem ſenſu vivendum quo vixit Ezechias, reliquis diebus vitæ ſuæ, ſcilicet, *in amaritudine*; ſemper habendo præ oculis mortem meam. præſertim cum neſciam quantum mihi ſuperſit vitæ, dicendo cum David; *Notum fac mihi Domine finem meum & numerum dierum meorum, ut ſciam quid deſit mihi*; & cum Iobo, *dimitte ut plangam dolorem meum.*

IV. Conſideratio, Vt quoniam circa futura verſatur providentia, tu eam ad[illegible]s, & ſecundum ipſam, vitam tuam d[illegible]onas, ut ſtatuas, quæ tibi deinceps agenda [illegible]nt: 1. circa cultum Dei, uſum Sacram[illegible]ntorum, quam

ces; religionem, & circa virtutes cujuſcunque ordinis, naturales & morales; aut ſupernaturales: 2. circa opiniones tuas, & negotia, officia, uſum temporis: 3. circa familiæ tuæ regimen, & corporis tui curam; circa victum, veſtitum, ſomnum, ornatum, impenſas, eleemoſynas, & ſimilia: 4. circa ludum, & recreationem, delicias, jocos, voluptates. &c.

V. Conſideratio. Memento te in futurum expectare æternitatem, quam brevi inchoabis, & in quam ſemel ingreſſus nullam deinceps patieris mutationem. Exemplum habes in iis qui te præceſſerunt, qui omnes in eo ſtatu ſunt, in quo erunt per æternitatem, ita ut nullam deinceps ſperare poſſint mutationem. Vide an ad prudentiam Chriſtianam pertineat rem tanti momenti non curare; præſertim cum in uniuſcujuſque manu ſit ipſa æternitas, antequam ſit. Si enim ſemel fuerit inchoata; cùm ex ſua natura ſit immutabilis, nullum remedium ſperari poteſt; nulla mutatio.

Finio cum Apoſtolo inculcando iterum hæc ejus verba ad Epheſ. 5. *Videte itaque fratres quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes: ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt: proptereà nolite fieri imprudentes, ſed intelligẽtes, quæ ſit voluntas Dei.* Vide quoties iteret nobis opus eſſe prudentiâ, & ſapientiâ & intelligentiâ, & vitandam nobis eſſe imprudentiam: ut oſtendat circa illud occupari debere omnem noſtram curam. Etenim intolerabile eſt homines tàm cautè in rebus temporalibus agere, & in hujus vitæ negotiis adeò prudenter ſe gerere, & in rebus alterius adeò imprudenter ac temerè: cum damna huius vitæ, & exigua ſint, & reparabilia; damna verò alterius & maxima ſint, & ubi ſemel obtigerunt, immedicabilia ac ſine remedio. Itaque ſuper omnia crebrò habe in mente æternitatem, imitare Davidem Pſalmo 76. *Cogitavi dies antiquos, & annos in mente habui: Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & excitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*, &c. *Et dixi nunc cœpi: Hæc mutatio dexteræ Excelſi*: Idem ſentias, mi Auditor, & ſi hactenus nihil ſolidi feciſti pro ſalute animæ tuæ; ſaltem nunc incipe, & ſcias hoc opus eſſe mutationem dexteræ Excelſi, qui ſolus efficere poteſt, & quidem dextera ſua: duas ſi quidem manus habet Deus: ad unam pertinent, prædeſtinati, ad alteram reprobi: roga igitur ut te adiuvet & te immutet dexterâ ſuâ, hoc eſt eâ manu quâ regit Prædeſtinatos Sap. 5. *Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini, quoniam dextera ſua reget eos, & brachio ſancto defendet illos.* Hoc fac & vives, ſecurus in hac vita, & beatus in altera. Amen.

* * *

FERIA

FERIA QVARTA.

HEBDOMADÆ SANCTÆ.

CONCIO.

Voluntas humana ad Divinam conformanda.

Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Matth. 26.

CVM in Paſſione Chriſti Domini ſpectari poſſint non tantum quæ pro nobis paſſus eſt, ſed etiam quæ nobis virtutum documenta dedit, ſecundum illud Petri 1. Epiſtola cap. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia eius*: nobis non ſufficit ut Chriſto patienti compatiamur, ſed etiam debemus eius virtutes eximias attendere, cum de iis ſimus quibus dicitur, *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Porrò omnium virtutum eximia nobis reliquit exempla; humilitatis manſuetudinis, modeſtiæ, patientiæ, obedientiæ, charitatis, & aliarum; ſed in ipſo aditu Paſſionis, præcipua nobis præbuit exempla ſubmiſſionis ſuæ voluntatis, Paternæ voluntati: præſertim in in illa triplici oratione qua ſemper eundem ſermonem iterans, ſe ad eam Patris voluntatem totum conformavit. De qua re nobis hodie ſermo eſt, ſi prius opem à Virgiue petierimus. AVE MARIA.

SI hominum perfectionem ac ſanctitatem eorum ſermone metiremur, magnam occaſionem haberemus exiſtimandi vulgarem eſſe inter homines perfectionem; cum nihil magis inter homines jactetur quam conformatio ad Dei voluntatem. Quàm enim vulgò dicitur, illud vel illud, fiat ſecundum Dei voluntatem: ac nullus eſt Chriſtianorum, qui non oret quotidie, *Fiat voluntas tua.* Dicere tamen auſim vix aliquos eſſe qui intelligant, quid in illis verbis comprehendatur. Certè tantum eſt, ut ſi vel ſolum illud fieret uti oportet, unicum planè ſufficeret, atque omnem aliam exercitationem ac perfectionem ſuperaret: & illud ipſum eſt, quod hodie vobis explicandum ſuſcepi.

Digitized by Google

Ante omnia dico conformationem ad Divinam voluntatē ſignificare perfectam noſtræ voluntatis cum Divinâ adæquationem; vel abjectionē omnis propriæ noſtræ voluntatis, ac in locum noſtræ, alterius, hoc eſt divinæ ſubrogationem, ac ſubſtitutionem; adeò ut creatura nihil velit, aut nolit, niſi quòd divina voluntas voluerit aut noluerit; non tantum quoad rerum ſubſtantiam, ſed etiam quoad modos omnes; neque illud tantùm, ſed etiam ſecundum omnes circumſtantias, & alia, quæcunque illa ſint, circa nos, circa alios, circa omnia: ita ut non ſit ſecundum aliquam partem convenientia, non autem ſecundum aliam, ſed omnimoda ſit adæquatio. Quam perfectā agnoſco in triplici oratione in horto, cum dixit Chriſtus, *Non quod ego volo, ſed quod tu*: quæ pars reſpicit qualitatem: Denique *non mea, ſed tua voluntas fiat*; in qua parte incluſit omnes circumſtantias: unde Chriſtus non tantum admiſit mortem, ſed etiam mortem Crucis: idque à Iudæis: ſecundum circumſtantias loci, & temporis: ad hæc, perſonarum, odii, actionum, &c. Eadem ratione perfecta conformatio voluntatis noſtræ ad divinam eſt omnimoda noſtræ voluntatis cum Divinâ conjunctio. Hæreſis nefanda fuit Apollinaris in Chriſto nullam fuiſſe animam rationalem, ſed divinitatem pro anima fuiſſe: Tu meliori conſilio cogita nullam debere eſſe in creatura voluntatem, non excludendo neque potentiam, neque actum, ſed proprietatem, ratione aut tendentiæ, & productionis actus; aut ratione objecti. Item hæreſis fuit Monothelitarū, in Chriſto fuiſſe quidem naturam humanam ſecundum ſubſtantiam, ſed nullam voluntatem creatam: Tu hanc hæreſim poſt eius deteſtationē, meliori emenda cogitatione, ac finge hominem qui ex ſe nihil velit, aut nolit, ſed ſolam habeat pro ſua voluntate, Dei voluntatem: non quod non habeat potentiam, aut actum humanum, ſed quod neque potentia utatur, neque actum eliciat, neque ullam objectum reſpiciat, niſi illud, quod Dei voluntas perſequitur. Perfectionem amicitiæ aliqui ponunt in tanta voluntatum conſenſione, ut unus nihil planè velit, niſi quod alter vult: Hieronym. in Epiſtola ad Demetr. eadem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia eſt: itaque nihil uni placeat quod non placeat alteri: ita ut utriuſque eadem placeant, aut diſpliceant; eadem utrumque delectent; eadem ambos afficiant; & in illis, illud contingat quod de amantibus dixit Plato, eadem ſit in duobus corporibus anima quaſi ex duobus unus ſit compactus. Eodem modo perfecta charitas eò uſque progreditur, ut una fiat & Dei, & creaturæ voluntas: atque ut ait Apoſtolus, *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* cum eo; ita per perfectam dependentiam, atque obedientiam tanta fieri poteſt voluntatis humanæ & divinæ conjunctio, ut non duæ voluntates, ſed una amborum voluntas eſſe videatur. Quam autem id rationabiliter fieri debeat probant ſequentes rationes.

I. Petitur ex parte objectorum, in quibus ſequentia reperio:

I. eſt. Nihil prorſus nobis evenit aut accidit, niſi ex Dei voluntate, peccato excepto, quod Deus prohibet, punit, odit & velle non poteſt. Fuerunt olim Philoſophi qui putarant omnia fortuitò contingere, cum tam multa nobis non opinatò eveniant: Alij, omnia fato & neceſſitate accidere dixerunt, quia videbant multa inevitabiliter contingere: Inter utrumque extremum eſt Fides Catholica, quæ fortunam, & fatum reiicit; ſed talem Dei providentiam agnoſcit, ut nihil prorſus nobis eveniat, niſi ex Divina ordinatione, & voluntate. Itaque, ut ait Scriptura, Matth. 10. *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*, Pſalm. 33, *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorū: unū*

ex his non contereretur: Matth. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram, ſine Patre veſtro*: Immò, ut ait Eccleſiaſticus cap. 11. *Bona & mala; vita & mors; paupertas & honeſtas à Deo ſunt*; ac licet nobis multa fortuita eſſe videantur, & noſtri reſpectu ita ſint; non tamen reſpectu Dei ita ſe habent; ſed uti dicitur Proverb. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*. Illud autem uſque adeò verum eſt, ut nulla res minima nobis contingat, quæ non à Deo peculiari voluntate ſit ordinata: ac licet cauſæ particulares agant ſuis viribus; nihilominus cauſa ſuprema utitur inferioribus cauſis, eaſque ordinat, ac dirigit ad ſuam voluntatem.

Hinc ſequitur omnium pœnarum ac flagellorum Deum eſſe authorem ac diſpenſatorē: Itaque nobis non eſſe reſpiciendum ad cauſas particulares, ſed ad cauſam ſupremam. Quia verò maxima pars pœnarum nobis accidit ex mala hominum voluntate, odio atque nocendi libidine; ſciendum quoque eſt nihil etiam in illo genere nobis accidere, ſine peculiari Dei providentia, idque multis modis.

1. quidem, Quia licet peccatum alterius non ſit voluntas Dei, tamen permiſſio peccati, voluntas eſt Dei; cujus major ratio à nobis habenda eſt, quàm pravæ hominis voluntatis: quia ejuſmodi Dei permiſſio, includit etiam voluntatem Dei, ut hoc patiaris: unde potes dicere illud eſſe voluntatem Dei: & ideò non eſt in eo ſpectanda mala hominis voluntas, ſed Dei permiſſio, & voluntas ut patiaris. Ita Iob non dixit cap. 1. *Dominus dedit*, & Diabolus abſtulit; quod verè dictum fuiſſet; ſed potius dixit *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*: Quia ex Auguſtino; cauſam omnium referebat in Deum. Id præclara ſimilitudine exponit Sanctus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 32. docens ſæpe Medicos ægris apponere ſanguiſugas, ut eos ſuperfluo ſanguine exonerent: illæ igitur ſugunt ut ſe impleant: hic verò eas apponit ut medeatur: Ita ſæpe Deus utitur mala hominum voluntate: Ille v. g. quærit nocere, Deus autem aut corrigere, aut admonere, aut à rerum caducarum amore ſeparare: ſed ſicut æger non attendit ſitim ſanguiſugæ, ſed Medici intentionem; ita ne attendas peſſimam tui inimici voluntatem, ſed intentionem Dei. Sciendum autem eſt ait Gregor. lib. 2. Moral. cap. 6. Quia Satanæ voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas injuſta; quia à ſemetipſo voluntatem habet, ſed à Domino poteſtatem: quod enim ipſe facere iniquè appetit, hoc Deus, fieri non niſi juſtè permittit.

2. Quia in re eadem potes diſtinguere actionem & paſſionem: actio reſpicit agentem; paſſio reſpicit patientem: actio peccatum eſt, non ut eſt in patiente, ſic enim eſt paſſio; ſed ut eſt ab agente qui talem actionem ponere non debuit; Deus non eſt author actionis neque impulſor ſub tali ratione, quia ut ſic præciſè terminatur ad agentem talem, à quo accipit ſpecificationem malitiæ; ſed poteſt eſſe author paſſionis, & eam in te velle poteſt: itaque in homicidio Deus hominem mori vult, non tamen vult injuſtam alterius actionem, & occiſionem. Vnde rectè S. Leo ſerm. 16. de Paſſione. Non inde proceſſit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit ſpiritu, atrocitas ſceleris, & patientia redemptoris: Non enim impias furentium manus, immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit.

3. Quia in actione peccati diſtinguitur materiale & formale: In primo non eſt ratio peccati, unde poteſt eſſe Deus illius author, in ſecundo eſt ratio peccati, cujus Deus author eſſe nequit ſed creatura. Verum pœna quæ hinc ſequitur in offenſo potius oritur ex materiali quàm ex formali; quod patet, quia etiam ſequeretur occiſio etiamſi non eſſet vel voluntas defectu cognitionis,

Digitized by Google

vel injuſta voluntas juris acceſſione: Deus itaque eo modo author eſt nocumenti quod recipimus ex mala alterius voluntate, ſecundum illud Amos 3. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Atque in hoc ſenſu intelligenda ſunt multa loca Scripturæ, in quibus mali, atque Tyranni paſſim dicuntur inſtrumenta Dei: Iſaiæ 10. *Væ Aſſur, virga furoris mei*, Ita paſſim ait ſe Chaldæos ſanctificaſſe in Sacerdotes ad ſacrificium hoc eſt ad internecionem: *Sanctificavi vocatos meos.* Ita Iſaiæ 45. loquens de Cyro Rege Perſarum, per quem erat Chaldæos caſtigaturus, *cujus apprehendi dexteram*: & forte ideò vocat Chriſtum ſuum, quaſi unxiſſet in Sacerdotem ad ſacrificium ultionis. Ita 2. Reg. cap. 12. Minatur Davidi, ſe per filium ejus Abſalonē ulturū ejuſdem adulterium, *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis, & dabo proximo tuo.* Itaque rectè Auguſtinus in Pſal. 73. impietas eorum, tanquam ſecuris Dei facta eſt: facti ſunt inſtrumenta irati, non regnum placati. Ita Totila ſe flagellum Dei nominabat. Ita Titus in obſidione Hieroſolomytanâ, videns quæ fierent, ſuſpiciens cœlum, teſtatus eſt, ſe non eſſe earum rerum authorem, ſed Deum. Ita Viri ſancti in ſuis afflictionibus, atque tormentis intueri non ſolent immediatam cauſam ſed ſuperiorem: unde dicebat David in maledictione Semei 2. Reg. 16. *Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David. Et quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Et poſteà: *Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum*: Voluntatem ſuperiorem Dei qui utebatur mala voluntate Semei ad humiliandum Davidem, vocat Imperium Dei: non quod Deus, imperio moveret Semei, ſed quod & permitteret Semei maledictionem, & ejus maledictione uteretur in finem, quem ipſe intendebat in permiſſione. Etenim, ut ait Auguſtinus, omnis creatura Deo ſervit, ſive ſciens, ſive neſciens; ſive volens. Quodnam maius ſcelus quàm occiſio Chriſti? Certum eſt profectam fuiſſe, ex ſummâ Phariſæorum invidia, atque odio Iudæorum; Vide tamen quomodo ipſe de ea loquatur. Nam jubens Petro, ut gladium conderet: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* & loquens Pilato *Non haberes poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Ita Petrus Actor. 4. exponens illa verba Pſalmiſtæ: *Adſtiterunt Reges terræ, & convenerunt in unum*, &c. ait Pilatū, Regem, Iudæos, Gentiles, conveniſſe *facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*: Hinc factum eſt ut non licuerit Herodi, cum voluit, puerum occidere: Non item ſæpius id tentarent: quia uti ſæpe dicitur, *Nondum venerat hora ejus*: Itaque captus in horto, dixit ad eos, *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Quid non molitus eſt Saül, ut Davidem comprehenderet? Sed ut ait Scriptura. *Non tradidit eum Dominus in manus ejus*: Ita oramus, ait Cyprianus, *& ne nos inducas in tentationem*: quia neque voluntas Diaboli, neque alius furor aliter nocere poteſt, quàm ei permittitur: unde primum in Iobi bona data eſt Dæmoni poteſtas, ſed non in perſonam: tum in ejus corpus, ſed non in vitam: quia nimirum ut apud eum dicitur, *qui fecit eum, applicat gladium ejus*: ut ſcilicet teſte Sancto Gregorio non plus noceat, quàm velit Deus qui ejus malitia utitur ad hominum caſtigationem. Ita 1. Reg. dicitur, quod *Spiritus Domini malus accipiebat Saülem*: malus dicitur, quia Dæmon ob voluntatem nocendi ſingulariter dicitur malus, πονηρὸς dicitur autem Domini, eo quod à Deo mitteretur, ut vexaret Saülem, unde ibidem dicitur. *Exagitabat eum Spiritus nequam à Domino.* Igitur ſi omnia quæ nobis accidunt à Dæmone, item ab hominum odio, & mala voluntate, aut imprudentia, aut ab aliis creaturis, non tamen nobis eveniunt ſine peculiari Dei providentia; non eſt quòd in caſibus omnibus aut fortunam, aut alterius, voluntatē, aut imprudenti-

dentiā, aut crimen accuſemus, ſed ad vnū Deū omnia diſponentē, & in omnibus gubernantē noſmetipſos referamus, ac illud Patris antiqui obſervemus, ut nihil in rerum natura cogitemus præter Deum, & nos: quia reſpectu noſtri, nihil præter Deum attendere debemus. Porrò hoc eſſe ſufficiens fundamentum conformationis ad voluntatem Divinā, facile intelligitur, quoniam utique, & ſemper fieri poteſt illa conformatio, cum ubiq; & in rebus omnibus reperiatur voluntas Dei. Etenim quæcunq; non ſunt peccata, illa non tantum Deus permittit, ſed etiam vult: Ex peccatis autem aliorum, quidquid in nos incommodi, ſeu pœnæ redundat, & id Deus permittit, & paſſionem in nos redundantem intendit, licet malitiam actionis nolit: unde ſequitur nihil nobis accidere, in quo voluntatem Dei, aſpicere non poſſimus. Itaque quiſquis de eo quod ſibi accidit conqueritur, de Deo ipſo conqueritur. Neque enim tàm ſpectanda cauſa immediata, quam ſuprema. Ne reſpicias Semei maledicentem, ſed Deum te per Semei humiliantem: non tàm Abſalonem tibi dedecus inferentem, quàm Deum, pœnitentem Davidem per puerum Abſalonem punientem; non tam Dæmonem tibi invidentem, quàm Deum probantem atque experientē Iob, facta Dæmoni in Iobum poteſtate, ita ut dicat, *Dominus dedit; Dominus abſtulit.*

II. Quod petitur ex parte objectorum illud eſt, Quidquid nobis Deo volente, aut permittente evenit, intellige quoad malum pœnæ non culpæ; id bono noſtro accidit; ſeu juſti ſimus, ſeu peccatores. Etenim ſolis damnatis illud contingit, ut puniantur, ſed non bono ſuo: Quia ut ait Gregor. aliæ eſt pœna quæ purgat, alia quæ reprobat: Sed quandiu in hac vita ſius, quæ nobis contingunt, bono noſtro fiunt ex Dei intentione. Ita in extrema obſidione aiebat populo Bethuliæ, Iudith. cap. 8. *ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus*: Porrò id colligimus ex ſumma Dei bonitate qua fertur ut nihil agat circa creaturam niſi in eius bonum. Quoad bonos attinet, dixit Apoſtolus, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, quod exponens S. Auguſti. etiam peccata, inquit: unde Deus quorundam lapſus permittit, non quod velit eos labi; ſed quod ſinat labi, nō ſineret autem, niſi prævideret ex eorum lapſibus ſe poſſe bonum eliçere; illud autem varium eſſe poteſt; aut humilitas, aut major cuſtodia. Quoad peccatores attinet, quid gravius quàm mori in peccato? In eo tamen, ait Ambroſius ſæpè Deum eſſe miſericordem in peccatorē, quod citò faciat illum mori in peccato, quia, ut ipſe cenſet, gravius eſt ad peccatum vivere, quàm mori in peccato. Cum itaque nihil nobis accidat, niſi Deo volente, cumque Deus nihil velit nobis accidere niſi bono noſtro, quis non facilè in omnibus utatur conformatione ad Dei voluntatem? Quis enim aut Dei voluntati repugnare velit, aut bonum ſuum reſpuat? Ac licet paſſim dicant Theologi Deum non ſemper facere, quod melius eſt, tamen attento rerum ordine, ac ſpectatis omnibus, inter quæ locum habet Divina voluntas, id omne quod tibi accidit, melius eſt, quàm quod non contingit: verbi gratia, in his circunſtantiis; morbus tibi melior eſt quàm valetudo, melius eſt pati injuriam, quàm non pati: melius eſt impediri quàm liberum eſſe: quod qui attendit, facilè divinæ voluntati conformis eſt.

II. Ratio petitur ex conditione Divinæ voluntatis, in qua hæc reperio:

I. Quod Dei voluntas ſit regula omnium voluntatum, unde ſequitur omnes voluntates ad illā conformari debere: quod enim eſt primum in unoque genere, illud eſt regula cæterorum: ſicut itaque Dei eſſentia eſt regula omniū eſſentiarum, unde Entiū poſſibilitas, vel impoſſibilitas, attendi debet in ordine ad divinā Eſſentiā, ſecundū diverſas participa-

cipabilitates: adhæc, ſicut intellectus divinus eſt menſura aliorum intellectuum; quod enim ille judicat falſum aut verum, aliter eſſe non poteſt, nec ullus judicare aliter, rectè poteſt: Et ſicut Ideæ divinæ ſunt regula illorum omnium quæ fiunt; quia Deus eſt primum intelligens, & prima rerum omnium & ſubſtantialis idea; unde in illius cognitione, fundantur omnes ſcientiæ, omnia judicia, omnes artes, omnis certitudo, infallibilitas cognitionis: Ita divina voluntas regula eſt, & menſura omnium voluntatum. Eſt enim voluntas omnis, participatio divinæ voluntatis; omnis imitatio divinæ libertatis: uti igitur omnes numeri ad unitatem referuntur, quæ fundamentum eſt ac menſura omnium numerorum; ita omnis voluntas ad primam referri debet; & proinde ut noſtra recta ſit, tota eſt ad divinam componenda, & hoc eſt fundamentum eſſentiale huius conformationis de qua hic eſt ſermo.

2. Licet Divina voluntas non eſſet prima, eſſentialis voluntas, & origo omnium voluntatum, ac licet omnis alia voluntas, ad illã referri non deberet tanquam ad primam regulam, & menſuram cæterarum; tamen, in primis propter ſummam eius ſanctitatem, deinde ob ſummam eius rectitudinem, denique propter ſummam eius æquitatem ac juſtitiam, omnis alia ad eam debet conformari. 1. quidem quoniam ſi aliquam voluntatem creatã, eiuſmodi eſſe agnoſcerem, mallem eam ſequi, quàm meam; multò igitur magis divinam, quæ eas perfectiones eſſentialiter, & in ſummo gradu continet. 2. Quia alioqui neceſſe eſt, ut mea voluntas prophana ſit, iniqua, perverſa & iniuſta; ne igitur talis ſit, non debet eſſe diſſimilis, nec difformis & proinde cum eâ concordet neceſſe eſt. 3. Quia Dei voluntas eſt lex eſſentialis & prima: circa quod

Adverte omnem voluntatem creatam cũ pervertibilis atque mutabilis, non eſſe eſſentialiter ac per ſe rectam, alioqui talis ſemper eſſet: neceſſe eſt igitur eâ de causâ, ut aliunde accipiat ſuam rectitudinem; & unde, niſi à lege. Duplex eſt autem lex una immediata quæ proximè dirigit actiones liberas, & humanas; atque illa eſt ratio, quę per dictamen ſuum immediatè regulam applicat: alia eſt mediata, & prima; atque illa eſt Divina voluntas, quam ait David iuſtificari in ſemetipsâ, quoniam alteri non eſt ſubordinata. Cum itaque omnis rectitudo voluntatis ſit in ipſius conformatione ad legem, & lex omnium prima ſit Divina voluntas, oportet omnem voluntatem Divinæ eſſe conformatam: & in hoc fundatur neceſſitas concordiæ, de qua hîc loquimur.

III. Ratio petitur ex ductu, & diſpoſitione Divinæ Providentiæ, in qua ſequentes conditiones reperiuntur.

1. Quod ſit univerſalis: idque tùm quia omnium curam habet, unde nemo excluditur à cura Dei; tùm quia circa omnia verſatur & ad quælibet ſe extendit, ideòque nihil illam præterit, & proinde in omnibus ſpectãda eſt. Vbi autem eſt Providentia, ibi eſt conſilium, & ratio, & occaſio, non temeritas, non caſus, nihil etiam fruſtrà: itaque quidquid accidet, agnoſce in eo peculiare Dei conſilium, quod certè tuo præferre debes.

2. Quod ſit cura de nobis: Nam quidquid eſt, cùm ad hominem ordinetur, uſque eò ut non videatur Deus habere curam rerum cæterarum; unde ait apoſtolus, *Nunquid de bobus cura eſt Deo*(non quod de illis non curet Deus ſed quod non eâ curâ, quæ in illis ſiſtat, verùm eâ, quæ ad hominem tranſeat) ſanè omnem hanc curam noſtri, bonum noſtrum ſpectare credendum eſt; qui enim alterius curam habet, profectò id facit in commodũ, & utilitatem ipſius, & in defenſionem. Quare in eo quod tibi accidet noli inſidias metuere,

Digitized by Google

ruere, noli malum putare, ſed Dei curam paternam agnoſce. Ne autem dubites vide quàm amicis verbis eam Deus explicet in Scripturis: *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos*; Itaque nihil ad nos penetrare, atque ingredi poteſt, niſi per mediam Dei voluntatem, quam bonam appellat, quia bonum noſtrum reſpicit: Item, *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorũ; protexit me in abſcondito tabernaculi ſui* & alibi. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ*; vel ut habet alia Verſio, In oculis faciei tuæ: unde non malè per Zachariam pollicetur, *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Poſt hæc promiſſa, vide quid timere debeas, immò quid te non oporteat ſperare. Qui ſe filium divitis, & potentis agnovit, confidentia pleniſſimus eſt; hinc menſuram accipe tuæ ſpei. Quod ſi futura ex præterito augurari placet, cogita quid non fecerit Deus tua cauſa: Hoc ſummum eſt, quod pro te, *proprio Filio ſuo non pepercit*; igitur, ut ait Apoſtolus, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

3. Quod ſit abſcondita, & perplexa: nam mirabiles vias inſiſtit, immò ſæpe contrarias ei rei, quam tamen prætendit, ut initiis non commovearis, ſed ſecurus exitum præſtoleris; nec te conturbent mali hominum conatus, & res deſperatæ. Poſſem innumera tibi proferre exempla. De infinitis pauca ſubiicio. Viderat olim Ioſeph in ſomnis ſub variis imaginibus futuram ſuam magnitudinem: moti invidia fratres, id impedire voluerunt aut per eius mortẽ, aut per ſervitutẽ Deus autẽ cui etiam contraria ſerviunt, & facit *de tenebris lucem ſplendeſcere*, ipſam ſervitutẽ in gradum ad regnum convertit: nam niſi Ioſeph venditus, nunquam Ægypti princeps evaſiſſet; & ita ea via Sceptrum invenit, qua debuiſſet amittere. Sed ut ait Scriptura, *deſcendit cum illo in foveam. & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi Sceptrum regni*, &c. *& mendaces oſtendit, qui maculaverunt illum*, &c. Propterea ipſe ſuam venditionem retulit ad Dei voluntatem: ita enim loquitur Geneſ. 45, *Non veſtro conſilio ſed Dei voluntate huc miſſus ſum: qui fecit me, quaſi patrem Pharaonis, & dominum univerſæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti*, & cap. 50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum ut exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos populos.* Rectè autem advertit S. Chryſoſt. non ſine Dei providentia factum fuiſſe ut pincerna Pharaonis poſt ſuam eductionem è carcere, Ioſephi oblivíſceretur, ut nimirum poſt duos annos maiori cum gloria educeretur ipſe Ioſeph. Quid non egit Saül ut Davidem perderet? Quæ tamen ei commiſit difficillima certamina, ea fuerunt occaſio provectionis ad regnum. Itaque dum cum eſt perſecutus, tum maximè promovit: ut his exemplis diſceres per occultiſſima media Deum ad fines ſuos res omnes perducere. Saül ipſe dum Patris aſinas quæreret, regnum invenit. Vaſthi Regina dum ſuperbit, locum dedit Eſther ut ſuum populum liberaret. Miſſus eſt Roma Mediolanum Auguſtinus ut Rhetoricam doceret, ſed ex Dei intentione ut Ambroſium audiret atque ab eo converteretur. Ita in creaturis nihil contingit, quod Deus in aliquem finem non convertat: ſed hæc directio aliquando nobis nota eſt; ſæpius eſt ignota. Illud tibi certum eſſe debet, nihil tibi à te, nihil ab aliis, nihil à rebus omnibus evenire, in quo Deus non aliquam poſuerit ſui conſilii partem, unde tibi facilè ſit divinam ſequi voluntatem, atque illi prorſus te conformare. Itaque in rebus omnibus hoc unum tibi ſufficiat, nihil divinam Providentiam præterire; nihil poſſe tranſcendere; & proinde tibi licere dicere aut cogitare, id mihi à Deo miſſum eſt, hæc eſt tandem Dei voluntas, hoc à me exigit, hoc imperat, hoc illi placet.

Digitized by Google

IV. Quod ſit nobis neceſſaria, tum ob ignorantiam noſtram, tum ab amoris proprij inſidias. Dixi 1. ob noſtram ignorantiam quæ certè maxima eſt, tum circa bonum ſimpliciter, tum circa melius: nā uti dicitur Proverb. 14. *Eſt vita quæ videtur homini iuſta, noviſſima autem eius deducunt ad mortem*: Certè cum homo maximas in rebus omnibus tenebras patiatur, tamen circa duo præcipuè cæcutire ſolet: primum eſt, circa propria, & interna; alterum eſt circa futura: ideoque maximè circa illa pati debet ſe regi: à quo autem melius, quam à divina Providentia? Si igitur in rebus huius ſæculi unuſquiſque ſe facile committit homini prudenti; ſi hic vitam ſuam Medico; hic vitam ſuam & honorem Cauſidico, & Conſulenti; hic ſuam ſalutem Navarcho; quanto magis debet unuſquiſque ſua omnia divinæ Providentiæ committere? *Omnia mihi licent*, ait S. Paulus, *ſed non omnia expediunt*: Iam quis eſt qui putet ſe ſcire, quæ ſibi magis expediunt? Vnde, ut ait S. Auguſtinus, ſæpe Deus miſericorditer negat, quæ malè petimus: Rogavit tertiò Paulus ut ſpiritus carnis, qui eum colaphizabat, ab eo recederet, nec obtinuit, ſed ei dictum eſt; *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Hinc Auguſtinus illud exponens; *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*; ait non eſſe quærendum à Deo, ut fiat quod volùus, ſed ut nobis placeant quæ bona ſunt: noſque rogare potius debere Deum, ut delectent bona, quam ut concedantur mala. Refert Bloſius in Monili ſpiritali, Chriſtum Virgini Gertrudi apparuiſſe eo habitu, ut dextra ſanitatem, ſiniſtra morbum ferret, eamque interpellatam ut eligeret, cum quid expediret, neſciret; hoc unum, dixiſſe, poſtulo, ut tua voluntas fiat. Ita cum quidam ad ſepulchrum B. Thomæ Cantuarienſis ſanitatem precibus impetraſſet, cogitare cœpit apud ſe num id ſibi expediret: Itaque ad ſepulchrum rediit, petivit quod eſſet melius, & recidit in morbum priſtinum. In tranſlatione S. Vedaſti Epiſcopi, Authore Suriò in eius Vita, cæcus ut viſum recepit, rogavit, ut ſi magis expediret, amitteret; idque impetravit, & ad cæcitatem rediit. In Chronicis Prædicatorum refertur de Reginaldo, cum in eum Ordinem eſſet ingreſſurus, in gravem morbum incidiſſe: Ipſum & S. Dñcum, magnis precibus ſanitatem eius à Deo flagitaſſe: apparuiſſe ægro B. Virginem ac ſimul etiam Sanctas Cæciliam, & Catharinam: Beatam Virginem ægrum interrogaſſe, quid vellet: illum tam illuſtri viſione conterritum, quid peteret, neſciſſe: tum vero unam ex comitibus hæc ad illum: Nihil petas ipſa enim ſcit quid tibi expediat: eumque ex huiuſmodi conſilio B. Virgini reſpondiſſe; quod voles: Illam igitur ægrum unxiſſe oleo; ac non tantum ſanitatem dediſſe, ſed in perpetuum omnes libidinis motus in eo extinxiſſe. Si ergo ſanitatem petiiſſet, caſtitatem non recepiſſet. Mitto alia plura: hæc enim ſufficiunt, ut intelligas neminem ſcire, quid magis expediat. Tu cum luges mortuum in ætatis flore, qui ſi vixiſſet, ſalutis periculum adiiſſet. Thereſia virgo dum iter faceret, ſororis domum ingreſſa, ac neptem parvulam in ſinu fovens, cogitare cœpit, qua ſorte eſſet victura, & divinitus intellexit damnandam ſi diu viveret, ideoque præproperam mortem precibus impetravit. *Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius*, &c. Sap. 4 *Videbunt enim finem ſapientis, & non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.* Quid non moliris ut dives evadas, ut principis gratiam obtineas? nihil ſuccedit: vota conge-

Digitized by Google

congeminas: non audiris: ſed bono tuo: petieras niſi periiſſes. Aernardus Ser. contra vitium ingratitudinis. Miſericordiæ eſt ſubtrahere miſericordiam. Gregor. Homil. 21. in Ezechiel, ô tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat. Sed ſe unuſquiſque revocet ad propriam experientiam. Quàm multa voluiſti, & maximis votis exoptaſti, quæ nunc gaudes non eveniſſe? Quàm ex multis quæ tibi accidebant ſummum timebas naufragiũ, in quibus portum inveniſti? Hoc ſupereſt, ut ex præteritis coniecturam facias futurorum.

Dixi 2. Quia maximæ nobis adſunt inſidiæ ab amore proprio, & à voluntate propria: hinc enim oriuntur omnes repugnantiæ quas ſentimus, ne divinæ voluntati nos accommodemus, unde paſſionum & amoris proprij mortificatio eſt aptiſſimum medium perveniendi ad eiuſmodi conformationem. Qui enim propriam voluntatem abjecit, facile ſequitur alienam; & qui ſemper hæret alienæ, ſuam facile deſpicit. Vti igitur quò plus liquoris è vaſe effunditur, eò plus aëris ingreditur; Ita qui plus ſuæ voluntatis reliuquit, eò divinæ eſt capacior. Cum itaq; experientia diſcamus, & in alijs, & in nobis, amorẽ propriũ, ac paſſiones, veritatem, ac ſinceritatem Iudicij impedire, ut ab omni ſuſpicione ſimus immunes, melius eſt alieno iudicio ſtare. Sed cuiuſnam iuſtius, atq; ſanctius quam Dei? hæc enim inter ſe connexa ſunt. Quicquid mihi evenit, Dei voluntate accidit: Iam quicquid voluntate Dei accidit, illud melius eſt quã aliud quidlibet: igitur quicquid mihi evenit, mihi longè melius eſt quam quidlibet aliud magis amare debeo, magis ſequi & potius amplecti.

IV. Ratio petitur ex conditione Dei & Creaturæ quæ talis eſt, ut Deus velle, atque imperare debeat, creatura verò obedire. Huic rei innititur obedientia retũ omnium divinæ voluntati: etenim omnia ſequuntur inclinationes, pondera, atq; motus quos acceperunt à Deo. Hinc omnis creatura, huc uſque in ſuo gradu ſtetit ac perſeveravit, ſecundum illud, *Ordinatione tua perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi*; Hinc mare terminos, ac frænum accepit, Sol legem, ordinem ſydera cœlum menſuram. Immò tanta eſt obedientia, ut etiam ad contraria naturæ ſuæ obediant, ita ut ignis refrigeret, Sol noctem inducat, aquæ in ſangvine vertantur, flamina retrocedant, liquida firmentur, immò etiam ut ei nihilum obediat: Etenim *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*: Ita infirmitatem vocat ad robur, infantiam ad Eloqentiam, ſtultitiam, ad ſapientiam. Cum igitur ſolius hominis voluntas, divinæ voluntati pro ſua libertate poſſit reſiſtere, neceſſe eſt ut volens, ac ſponte obtemperet. Cogita enim, quid magis deceat, aut te ſequi divinam voluntatem, tuamque abiicere; aut Deum tuæ ſervire libidini, ac cupiditati obtemperare; cum ille Creator ſit, tu creatura: Vide illius eſſe velle, atque imperare; tuum vero tantum obedire: & certè ſi id cogites & penitus animo comprehendas, facilè te & tua Dei remittes voluntati. Hæc fuit Iobi cogitatio cum dicebat, *Dominus dedit Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum*. Idem Davidis ſenſus cum fugeret Abſalonem, & iuſſiſſet ut Sadoc arcam referret in urbem: 2. Reg 15. *Reporta arcam Dei in urbem: ſi invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum; Si autem dixerit mihi, non places, præſto ſum: faciat qnod bonum eſt coràm ſe.* Vide quo ſenſu cuncta ſuſcipere debes de manu Domini.

V. Ratio peti poteſt ex multiplici nexu Creaturæ cum Deo, qui nexus reſpicit innumeras quas ad Deũ relationes habemus, ſervi ad Dominũ, ſubditi ad Regem, filii ad Patrẽ, diſci-

diſcipuli ad magiſtrum, amici ad amicum, ſponſæ ad ſponſum: quæ omnia continent varias noſtræ obedientiæ, rationes & obligationes. Nam ſi in rebus temporalibus atque civilibus homines reſpectu aliorum id ſtrictiſſimè obſervant, quantò magis id reſpectu Dei obſervare debemus: *Et hi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. Quod ſi una ratio ſufficeret, vide quot nominibus ad id tenearis, & quot culparum reus, exiſtas, vel in unica inobedientiâ.

VI. Ratio eſt ipſa hujus rei neceſſitas: Nam velis, nolis, quid. quid Deus voluerit id fiet: juxta illud; *In ditione tua cuncta ſunt poſita, & nemo poteſt tuæ reſiſtere voluntati*. Itaque melius eſt ut ducaris, quàm ut traharis: alioqui; ducunt volentem fata, nolentem trahunt: Etenim uti præclarè advertit S. Auguſt; nemo tranſcendere poteſt leges omnipotentis Dei; nec ſinitur anima non redere debitum: aut enim reddit faciendo quod debet, aut reddet amittendo quo benè uti noluit. Quod ſic intelligo in præſenti materiâ; ſcilicet, neceſſario creaturam rationalé ſequi debere voluntatem Dei, aut ſponte, aut coactè: nam ſi ſponte ſequitur, reddit debitum faciendo quod debet, cum Deo volenti debeat obedientiam: ſi reſiſtit, nec ſequitur, facit tamen non volens, quod ſponte facere dnbuiſſet; ipſa enim Dei voluntati etiam fugiendo ſervit: unde reſpectu hujus eventus amittit id quo benè uti noluit, nimirum libertatem. Exemplum dedimus in Ioſepho Patriarcha: voluntas erat Dei, ut eò dignitatis promoveretur, utque à fratribus, & à Patre, omnium natu minimus adoraretur: Id fratres impedire voluerunt: Sed vide ineluctabilem Dei voluntatem: Qui impedire voluerũt ne id fieret, ipſi nolentes ſervierunt; unde ipſe poſteà ad eos. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati*? &c. Quid non conati ſunt Iudæi poſt Chriſti mortem, ut fidem reſurrectionis impedirent? *Scrutati ſunt iniquitates*, ut de illis interpretatur Auguſtinus: ſed cum eam fidem impedire vellent, ei nolentes ſervierunt. Itaque idem Auguſtinus rectè iſta duo diſtinguit, ordinem tenere, & ordine teneri: ſiquidem poteſt quilibet ordinem non tenere, quia Deus unumquemque liberum dimiſit; ſed nullus poteſt non teneri ordine, ut ſcias tibi nõ eſſe liberum ea ferre & pati quæ Deus circa te, ac de te fieri vult. Atque hinc vides hujus conformationis neceſſitatem? ut omittam neceſſitatem præcepti. Item neceſſitatẽ medij ad perfectionem, ad internam pacem, & animi tranquillitatem: nam ſi contrarius es Dei voluntati, neceſſe eſt ut quoniam ipſa non ſe ſe flectit, in eam duriter incurras. Audi quomodo eam S. Bern. definiat lib. 5. de Conſid. cap. 12. Etſi enim aliàs retulimus, quia tamen ad rem multum facit hìc non pigebit repetere; & ſic habet. Eſt rationabilis quædam æquitatis directio inconvertibilis, atque indeclinabilis: quippe attingens ubique, cui illiſa omnis pravitas conturbetur neceſſe eſt: quidni in hanc omne tumidum, vel diſtortum impingat, & conquaſſetur? væ univerſo quod obviam fortè offenderit cedere neſcia rectitudo, nam & fortitudo eſt: &c. Directionem vocat, quia eſt regula omnis: Tum directionem rationabilis æquitatis, quia nulla eſt iuſta voluntas, niſi huic regulæ conformetur: Rationabilem vocat æquitatem, ne credas tantum poſitum jus in voluntate arbitraria, ſed in ea voluntate, cui nulla deſit ratio. Porro illius regulæ duas attingit conditiones. Prima eſt quod ſit inconvertibilis, quia flecti nequit: Secunda eſt quod ſit indeclinabilis, quippe attingens ubique, quia Dei voluntas & ad omnia ſe extendit, & ſemper fit. Cætera verba indicant, quo damno aliquis ſe opponat divinæ voluntati: cui, inquit, illiſa omnis pravitas conturbetur neceſſe eſt, &c. poſt quæ ſubdit: Quid iniquis voluntatibus tàm contrariũ & adverſum, quàm tem per conari,

Digitized by Google

conari, impingere ſemper, & fruſtrà? Væ oppoſitis voluntatibus, ſolam ſuę profectò averſionis referentibus pœnam: Quid tam pœnale, quàm ſemper velle, quod nunquam erit, & ſemper nolle, quod nunquam non erit? Atque hinc exiſtit noſtræ conformationis cum Divina voluntate neceſſitas.

Porro ex eadem acquirit anima

1. Statum perfectiſſimum, cum ea ſit ſumma perfectio: Eſt enim in primis perfecta victoria omnium paſſionum & affectionum, per abſolutiſſimam mortificationem: Item perfectum eſt ſui ipſius holocauſtum: Nam per mortificationem pars una offertur, aut lingua, aut oculus, aut mẽoria, aut intellectus ſe ſubjiciendo; hîc autem totus homo, & hominis pars præcipua, voluntas ſcilicet quam Deus ſemper præ rebus omnibus petit, ſecundum illud *fili præbi mihi cor tuum*: Eſt etiam perfecta charitas, quæ potiſſimûm operibus ſe prodit, ac præcipuè in illa ſui omnimoda traditione: Item eſt ſumma unio cum Deo per plenam ſimilitudinem, & conformationem: Denique perfecta eſt creaturæ ſub Deum ſubjectio, atque dependentia, per quam creatura in manu Dei ponitur, tanquàm cera & lutum, ut ad ſuum nutum liberè ipſa utatur: Licet enim Deus uti poſſit creatura repugnante, non id tamen fit pleno atque integro dominio, & niſi accedat creaturæ conſenſus; præſertim cum Dei dominium in creaturam non ſit coactum, ſed liberum, Deus libertatem ei conceſſit.

2. Acquirit anima ſtatum abſolutum, & independentem: licet enim ſit perfecta creatura ſub Deum ſubjectio, non tamen impedit quominus creatura ſuam faciat voluntatem; immo ſola hoc habet. Nam ut omittam maximam hominum partem, qui nutu alterius vivunt, dormiunt, veſtiuntur, loquuntur, habitant, judicant, amant: quàm multis in rebus ipſi Principes ſuam voluntatem non faciunt? Sed qui nullam aliam habet voluntatem, quàm divinam ait Dorotheus Doctr. 9. ſuam voluntatem ſemper facit: unde apud Stobæum ſic ille Deum alloquebatur: Vis me febricitare, volo; vis penuriam pati, non abnuo; vis me mori, non recuſo; non alia res cogere me magis poteſt, quam ipſum Deum. In vitis Patrum de quodam Agricola refertur qui uberem ſemper ſegetem metebat, eum id aliis mirantibus reſpondiſſe, ſe ſemper pro voto cœlum habere; & hoc etiam magis admirantibus aliis, ſubdidiſſe, id ea ratiaone fieri, quod nihil aliud vellet, quàm quod contingeret. Mitto decere Deum facere voluntatem timentium ſe. Ita refert Taulerus de quadam fœmina cuius paſſim orationes ambiebantur, eam ſæpe rerum ſibi commendatarum oblitam; omnia tamen ſic ſolita contingere, uti rogata fuerat: cumque illi gratiæ agerentur, ut de præſtio beneficio; ipſammet apud Dominum expoſtulaſſe, tanquam de re indebita, Deumque illi reſpondiſſe; ex quo mihi tuam voluntatem dediſti, ego meam tibi addixi; itaque facio quod ipſa velles. Hinc ergo homo ponitur in ſumma independentia à rebus creatis, à caſibus omnibus, ab eventibus, ab alterius poteſtate cum à Deo uno pendeat.

3. Acquirit ſtatum imperturbabilem. 1. Quia nihil jam ſperare, nihil timere poteſt: nam Dei voluntas nõ poteſt impediri. Itaque nihil offerri poteſt animæ quod cupiat; hoc enim ſolum habet in votis ut divina voluntas fiat: nec illi quicquam auferri poteſt; cum ſit ſuperior rebus omnibus creatis: 2. Quia inde oritur filialis in Deum fiducia & ingens animæ ſecuritas, qua fit ut ſe totam in Dei curam abiiciat, *omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum; quoniam ipſi cura eſt de vobis*: Ita Chriſtus aiebat Catharinæ Senenſi, filia cogita tu de me, & ego cogitabo conti-

Digitized by Google

continenter de te. Ex illa autem confidentia oritur.

In primis ſumma pax, atque tranquillitas, ſecundum illud Iſaiæ 32, *Et ſedebit populus meus, in pulchritudine pacis, & in tabernaculis ſiduciæ, & in requie opulenta*: de quo populo dictum intelligit Auguſtinus; *Beati pacifici quoniam Filij Dei vocabuntur*: Verè filij, quoniam patri ſimiles, cum nullam habeant voluntatem ipſi diſſimilem: quomodo autem non pacifici, qui nullam in ſe ſentiant pugnam? Qui enim ſibi ſuam voluntatem retinuit, licet in neceſſariis Dei voluntatem exequatur, certamen tamen aliquando ſuſtinet propter voluntatis contrarietatẽ: ac ſicut in nobis, quia *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, difficilis fit virtus, atque ardua; ita qui duplicem patitur voluntatẽ, difficiliùs vivit. Item ſicut tempore tentationis difficilior eſt virtus, quàm tempore conſolationis: ita qui voluntate propria adhuc tenetur, & allicitur, majorem in virtute difficultatem ſentit. Ad hæc, ea ratione tolluntur pacis impedimenta: ut illa cura; ne quis ſe ſe conatibus noſtris opponat, ne quis reſiſtat; nam qui nullam ſuam habet voluntatem, ſemper ſuam facit, quia ſemper fit voluntas Dei. *Omnia quæcunque voluit, fecit, in cœlo, & in terra, mari, & in omnibus abyſſis*: atque illud eſt quod petimus, ut fiat voluntas Dei in cœlo, & in terrâ. Denique ea ratione; facilè reſiſtitur quibuſdam tentationibus, quæ ſæpe nos vexant, neſcio quibus quæſtionibus conditionatis; ſi hoc contingeret, quid faceres? quibus quidem non malè aliqui conſulunt, nihil reſpondendum optimè tamen feceris, ſi dicas, te id facturum quod Deus volet; id enim ſemper melius, eſt.

Ex eadem in Deum fiducia oritur ingens animæ gaudium ſecundum illud ad Roman. 15, *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo*. Quia, ut ait Auguſtinus, qui vult gaudere de ſe, triſtis erit, qui autem de Deo vult gaudere, ſemper gaudebit quia Deus ſempiternus eſt: Vis habere gaudium ſempiternum, adhære illi qui ſempiternus eſt. Porrò illud gaudium & ſolum eſt plenum, & ſolùm ſecurum, juxta illud: *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*: Eſt enim firmum gaudium propter fundamentum quod conuelli non poteſt, quæ eſt voluntas Dei immutabilis: quod aliis rebus creatis non convenit; ideoque, aiebat P. Borgia ſe nulli ſervire velle qui mori poſſet. Et rationem dat Auguſt. tract. 24. in Ioan. nam cum ea diliguntur, quæ poſſumus contra voluntatem amittere, neceſſe eſt ut pro iis miſerrimè laboremus. Itaque Sancti vultu ſemper hilari fuerunt, non quod carerent doloribus ac tribulationibus, ſed quia cum id tantum vellent, quod Deus volebat, nullâ re commovebantur ac ſicut Chriſtus in tormentis beatitudinem non amiſit, ita neque illi in angoribus animi tranquillitatem: ſed ſicut ait Apoſtolus, ſuperabundabant *gaudio in omni tribulatione*; quem ſtatum idem Apoſtolus vocat pacem, *quæ exuperat omnem ſenſum*; Quia vix capi poteſt quod aliquis in tribulatione lætus eſſe poſſit: id tamen nos docet Rubus innoxiè ardens, ut & pueri illæſi in fornace Babylonis: ita ut de quolibet dici poſſit quod de ſe Iobus dixit cap 10. *Mirabiliter me crucias* quod miraculum Alexandriæ dedit infidelibus; ille qui ab eis vexatus, miraculum poſcebatur in ſuæ fidei teſtimonium: Hoc enim, ait, non parvum eſt miraculum, quod veſtris injuriis laceſſitus, ac vexatus non commoveor.

Quod ſi gaudiũ illud internũ nonnullis abſconditũ videtur, nemine tamen latet illa imperturbabilitas, qua firmus animus eodem in gradu ſtat, quæcunq; tandẽ accidant. Ita Severus Sulpicius ſcripſit B. Martinum nec iratum nec triſtem viſum unquam fuiſſe, quòd quicquid accideret in Deum referret. Itaque Sancti

Digitized by Google

Sancti in ea cogitatione nullis periculis aut adverſis commovebantur: Antonius furentes Dæmones, aut irridebat: Xaverius non alius in naufragio quàm in navi, ut qui hæc animo verſabat: *Quia venti & mare obediunt ei:* Ita ſcribitur de B. Gertrude Virgine eam nulla re fuiſſe commotam? Denique in illis pleriſque immutabilitas, atque animus immobilis inter adverſa, qualis laudatur in Tobia, de quo ſic Scriptura: *nam cùm ab infantia timuiſſet Deum, non eſt contriſtatus, quod plaga cæcitatis eveniſſet ei.* Et quidem, uti ait Auguſtinus, ut in rebus cunctis ſis idem, tàm in proſperis, quam in adverſis; ſicut manus quæ eadem eſt, & cum in palmam extenditur, & cùm in pugnum conſtringitur.

4 Acquirit ſtatum feliciſſimum qui in hac vita eſſe poteſt: uti enim in æternâ felicitate nihil eſt quod diſpliceat, nihil evenit contra voluntatem, omnia ex voto contingunt; itá qui ad divinam voluntatem ſe conformat hæc omnia bona naſcitur. Ad hæc, ſicut in beatitudine, illa immutabilitas eſt ſumma felicitas gloriæ, ita qui ſic adhæret Deo per conformationem, nullis rerum mutationibus commovetur: & ſicut montis Olympici cacumen, neque nubes, neque venti, neque pluvia contingunt, ſic iſte nullis eventibus tangitur, ſed continenter una fruitur Dei voluntate, quæ deeſſe non poteſt. Denique ſicut in beatitudine, nullum adeſt malum, nullum abeſt bonum, ita in eo animæ ſtatu nullum malum concutit, quia quicquid evenit, id putat bonum, propter elucentem in eo Dei voluntatem: item, nullum abeſt bonum, quia quod Deus vult, id ſemper melius eſt: ut ſcias in eo exercitio bona omnia contineri, nullum autem ſubeſſe periculum. *Et ſi boni æmulatores fueritis quis vobis nocebit?*

Hoc unum ſupereſt ut illius praxim doceamus, quæ vitam noſtram totam complecti debet. 1. Itaque ſeriò tibi inculca huius conformationis fundamenta atque inter cætera, Perſuade tibi nihil evenire tibi niſi Deo conſcio, imo authore, & cauſa Ad hæc nihil tibi accidere, niſi in bonum tuum. 2. Noli tantum id cogitare in genere, & quaſi ſpeculativè ſed practicè, & in particulari: ac ſi tibi Chriſtus diceret; Fili, volo te hoc pati, hoc tibi expedit: id enim de re omni quæ tibi accidit, potes tibi perſuadere cum ita contingat. 3. Ne hæreas in cauſa particulari, & immediatâ; ſed in ſuperiori, ac primâ ne huius hominis ſpectes aut invidiam, aut malèvolentiam, non ſervi oblivionem, aut oſcitantiam; ſed Deum aut permittentem, aut volentem: Quòd ſi etiam tibi videatur tua culpa accuſanda; & præteritum crimen inſimulandum, id ita facito, ut potiſſimum ſpectes Deum, ut te punientem ac caſtigantem, & in eius voluntate acquieſce, pluſque habeat rationem eius juſtitiæ de te pœnas repoſcentis, quam tui demeriti. 4. Sæpe in oratione, & in ſingulas ferè horas ſæpius aut ore, aut ſaltem mente; præſertim ſi aliquid gravius incidat, repete coram Deo, *Fiat voluntas tua*: Item, *Non quod volo, ſed quod tu: non ſicut ego volo, ſed ſicut tu: Non mea, ſed tua voluntas fiat: Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Ita Bloſius ſcribit quandam mulierē devotam à Chriſto fuiſſe, ut ſæpius diceret; *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.* Ita refert Sanctam Brigittam Virginem pronuntiaſſe tribus vicibus hæc verba, *Non mea, ſed tua voluntas fiat* idque maximè Chriſto placuiſſe. 5 Vt ne unquam illa conformatio deſeratur, in eâ tanquam in domicilio habita. Ita Catharinæ Senenſi (ut ipſa ſcribit in Dialogo de perfectione Chriſto ut cellulam ædificaret, in qua ita ſemper maneret, & contineretur, ut nec pedem nec manum inde efferret,

eaque

Digitized by Google

eaque cellula eſſet Dei voluntas, in qua habibitaret inſtar apis in alveari, aut ſicut Margaritum, & Vnio in concha marina: ac ſciret fore ut initiò locus ille ang ſtior illi videtur, ſed poſteà latiſſimus ac commodiſſimus exiſteret; Sanè ubi Deus eſt, ſumma felicitas & beatitudo. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Amen.

* * *

FERIA SEXTA IN PARASCEVE,

Seu

IN PASSIONE CHRISTI DOMINI.

CONCIO.

De magnitudine eius dolorum.

I. Pars. De illis ingenere, ex quinque conjecturis.

In mortuum produc lachrymas, &c. & fac luctum ſecundum meritum eius. Eccleſiaſtici. 38.

MOnemur, Auditores, jubemurque non parcere lachrymis pro mortuo Salvatore mundi, & efficere ut luctus noſter non minor ipſius merito exiſtat. Sed quomodo ſat lacrhymarum nobis ſuppeteret, ad deflendum dignè paſſionem, martyrium crudele, funeſtumque obitum optimi noſtri Domini & Salvatoris Ieſu, cum nec ſermonem habeamus nec in genitadū comprehendendam animo explicandamq; gravitatem illius cruciatuum, & magnitudinem dolorum *Magna velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Atque quamvis zelus veſter veſtraque pietas oculos veſtros confortiſſet in duos aquæ fontes, nollem tamen, fletuum veſtrorum affluentia, veſtrorum ſingultuum multitudine, magnitudinem Chriſti mei dolorum metiti, nec meam de illius Paſſone cogitationem terterminare uno lachrymarum veſtrarum teſtimonio, quæ ſi exiſtant ſolæ, ei potius injuriam inferre quàm ſatisfacere poſſunt. Psammethicus Ægypti Rex ut memorat Herodotus lib. 3. ſuæ hiſtoriæ captus fuit bello à Cambyſe, qui eum ut exulceraret animo, detinuit in ſuburbio Mempheos quam prælio expugnaverat. Illius filiam famulari veſte indutam inter cæteras capitivas miſit hauſtum aquam

Vix abſceſſerat filia cum illius oculis obiecta eſt catenata turba captivorum, quibus præcidendæ mox erant cervices, é duobus Æpyptiorũ nobiliũ millibus conflata, in iiſq; ipſius maior natu filius: nihil aliud mutationis præ ſe tulit in vultu niſi quod ad filii aſpectũ oculos placidè humi defixit. Paulò poſt animadvertit unum è familiaribus ſuis, qui exutus fortunis omnibus ſtipem petebat: tum verò cœpit lugere, vociferari, pectus percutere, atque ut ait Hiſtoricus, ſibi caput contundere. Tota hæc agendi ratio cũ denunciata Cambyſi fuiſſet ab iis qui miſeri principis actiones omneſque nutus obſervabant, eum interrogari iuſſit, cur nam, fleviſſet potius inſpecta amici quàm filij ſui & filiæ ſuæ tantam ſibi viſam fuiſſe, ab filii filiæque aſpectu, ut ſe ipſis facturum eſſe injuriam putarit, ſi exprimeret ſenſum ſuum lachrymis, utpote quæ leviſſimis de cauſis ſæpè funduntur; dolorem verò ex adverſa amici ſui fortuna ſuſceptum ſibi viſum fuiſſe dignum lachrymis, nempe priori illo longè minorē. Quod quidem reſponſum, laudē ipſi ab omnibus meritòque libertatem obtinuit. Id porrò argumentum mihi ſuppeditat, quo probem vobis ſua deamque me in hac Salvatoris mei dolorum propoſitione, oculos veſtros exigere ad intuendum potius quod agitur, quàm ad lugendum. Exigui quique tantum dolores exhalantur oculis; & qui flere ſatis poteſt, is conſolatione non indiget; magnam enim doloris partem imminuit: ideòque non legimus in Evangelio, fleviſſe B. Virginem in Paſſione Filij, licet eius dolor, tantus extiterit, ut idcirco fuerit Regina Martyrum: quod non eſſet merita, niſi paſſa maxime omnium fuiſſet; atque, ut ait S. Auguſtinus, *ſtabat autem juxta Crucem* longè, ſed flentem non lego. Si porrò non defuerunt ei lachrymæ, ſcriptum magis dolorem ipſius commendat, dicens illam aſtitiſſe ad mortem filii, quàm ſi de ipſius lachrymis ſermonem nobis Scriptura feciſſet. Non quod velim Chriſtiani, veſtras inhibere, ſed ut tantummodò vobis dicam, veſtrorum potius animorum præſentiam, cordiſque veſtri propoſita quàm oculorum lachrymas, pectoriſq; ſingultus à me requiri: ut autem id quod ſpecto conſequar, flagitemus auxiliũ è cœlo, & ſanctam Crucē adoremus. O CRUX AVE, *&c.*

NVllum dicendi argumentũ eſt ac genus, cui eloquentia plus faciat injuriæ minuſve officij præſtet, quàm ſermoni de Paſſione Salvatoris: & quãvis, ut aiebat Antonius, vis unus ex Imperii Romani diſertiſſimis, eloquētiæ munus ſit ex parvis magna facere; ubi tamē ab argumento ingeniũ & lingua, cogitatio & verba ſuperantur, ibi Eloquentia proditionē in ſe ipſa & prævaricationem molitur, ſuũ argumentum comaculat, eiuſq; elevat magnitudinem, quod amplificare deberet. Inde oritur ferè Auditorũ querela quod nimirũ ſermo de Paſſione Domini ratò admodũ benè ſuccedat, nemòq; propè ſit qui reſpondeat ſpei noſtræ, & expectationem noſtram impleat. Nec enim verò aliter præterquam oculis in hoc dicendi genere loquendũ eſſet: oporteret pupillam officio linguæ defungi, & lachrymas, locũ ſermonis tenere. Quod ſi Auditores, veſtra etiam cogitatio, ſenſuſq; veſtra omnia ſunt infrà tam ſublimè argumentum, ne miremini ſi verba mea non reſpondent expectationi veſtræ, multòque etiam minus rei adeò difficilis majeſtati ac merito. Quæ quidem cauſa me in eam ſpem inducit, ut confidam vos facilè imbecillitatē meam excuſaturos eſſe, neq; tã ſermonis mei rationē habitos, quã rei de qua loquor amplitudinis: obſecrando vos ut quid ſemper adiiciatis ſermoni meo, veſtraq; cogitatione ac ſenſu veſtro id quod dicere non potuero, ſuppleatis.

Neque verò mihi conſilium eſt, ut profundum oceanum Salvatoris Chriſti dolorũ explorem, de quibus ait Propheta, *Magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui*? at tantum mo-

modo ut vobis proferã conjecturas aliquot, unde ſuſpicari poſſitis nonnihil de magnitudine dolorum & cruciatuum quos Filius Dei in paſſione ſua ſuſtinuit.

Incipio ab antiquis ſacrificiis, quæ ſecundum Apoſtolum S. Paulum in Epiſt. ad Rom. figura cruenti ſacrificii mortiſque Salvatoris fuere. Res eſt cogitatu mirabilis, attendere animum ad cædem continuam, immanemq; lanienam quæ ſingulis ferè diebus in templo Salomonis edebatur; ad copiam ſanguinis qui effundi illic ſolebat: Inde accidit, ut apud Prophetas, quum Deus urbi cuipiam ingentem aliquam ſtragem minatur dicat, ſe ſacrificium ex illa facturum, perinde ac ſi homines eſſet victimæ, ac ij qui Miniſtri ſuppplicii huius à Deo adhibendi ſunt, forent Sacerdotes Sacrificatoreſque: Iſaiæ 34. *Victima Domini in Boſra, interfectio magna in terra Aquilonis.* Sophoniæ 1. *Iuxta eſt dies Domini, quia preparavit Dominus hoſtiam, ſanctificavit vocatos ſuos*: Et Iſaiæ, cap. 29. *Væ Ariel ciuitas quam expugnavit David*: de Hieruſalem loquitur quam vocat Ariel hoc eſt Leonem Dei, ob fortitudinem, & munimenta: *circum vallabo Ariel & erit triſtis, & mærens, & erit mihi quaſi Ariel.* id eſt, Altare: en figura, ex cap. 43. Ezechielis: quia ſicut altare innatat ſangvini Victimarum, ita Deus Ieruſalem ſanguine impiorum replebit: & ſicut circa altare jacent jugulatæ pecudes, & circa Leonẽ poſtrata cadavera; ita etiam circa Ieruſalem jacebunt Hebræorum corpora interfecta à Chaldæis, quos in Sacerdotes huius cladis initiabit. Cæterum licet nulla dies immunis fuerit à ſangvine in Templo effuſo, nihil ominus tamen aliquando uberius fluxit illud ſuprà omnẽ conſuetudinem, quod ſcribitur 3 Reg. c. 8. Salomonem in Templi dedicatione mactaviſſe hoſtias pacificas boum viginti duo millia, & oviũ centũ viginti millia: cogita enim quãta hinc extiterit copia ſanguinis. Hæc autẽ omnia præfigurabant Chriſtũ. Ne igitur res figurata eſſet diſſimilis ſuæ figuræ, oportuit Chriſtũ ita tractatũ fuiſſe, ut ubiq; ſanguinem ſuũ fuderit. Et quidem quantum in horto, quantum in domo Caiphæ, tum in Prętorio Pilati, in toto itinere, dum crucem ferret, in monte Caluariæ, in Cruce?

Quid dicam de tractatione, & laniena hoſtiarũ? Nãm dicitur in c. Levit 1. *Imolabatur* victima, eiuſq; ſanguis ſumebatur, & effundebatur per altaris circuitũ: deinde pellis detrahebatur tum Sacerdotes artus hoſtiæ in fruſta concidebant: tum ſubiiciebant in altari ignẽ, ſtrue lignorum ante compoſita, & membra quę erant cæſa deſuper ordinabant, & cuncta adolebant in odorẽ ſuavitatis, Domino Deo: In quibus verbis neſcio quid expreſſius contineatur, an tota ceremonia immolationis, an ſeries Paſſionis. Vide enim effuſionem Sanguinis, pellis conciſionem, & excoriationem in flagellatione: artuum luxationem & quaſi diviſionem in extentione ſuper Crucem: incenſionem ignis in gravi dolore: & ordinationẽ cæſorum membrorũ in Cruce ut in altari per confixionẽ. Certè ipſe Chriſtus cuncta adolevit in odorem ſuavitatis; *oblatus enim eſt quia ipſe voluit.*

Huc pertinet eſus Agni Paſchalis, qui fuit primum Hebræorum ſacrificium, quique, excepto quod oſſa eius frangere lex vetabat, cũ feſtinatione edebatur, prius igne toſtus: quæ manducatio ſignificavit Chriſti tractationẽ, qui fuit agni typici veritas; ut pote qui quaſi Agnus corã tondente ſe obmutuit, & quaſi ovis deductus eſt ad occiſionẽ. Quod autem Agnus dicitur comeſtus cum feſtinatione, id ſignificavit quod de Chriſto dixit Iſaias c. 53. *De Anguſtia & de iudicio ſublatus eſt*: quia uti exponit Foreiius, damnatus eſt à turba, quæ multitudine, ſtudio, & feſtinatione ſe comprimebat, dum omnes clamarent *Tolle Tolle*, & ſublatus eſt de judicio, id eſt ab ijs qui in illũ ſententiã capitis tulerunt, nempe à Pontificiũ concilio, qui ſic judicarunt, *dignus eſt morte*, & à Pilato, qui eũ morte condẽnavit.

II. Con-

II. Conjectura petitur ex qualitate, & furore hoſtiũ ſuorũ, quibus omninò permiſſus eſt; juxta illud: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Vbi enim Chriſtus ſemel ſe permiſit eorũ, libidini & crudelitati, ea omnia paſſus eſt, quę hoſtiũ furor, immanitas, atq; licentia voluerunt. At vide hoſtium ipſius qualitatẽ, & imanitatem in Agnum manſuetiſſimum.

I. Iudæorum; de quibus ita loquitur Pſal. 21 *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me aperuerunt ſuper me os ſuum*: Scilicet à Iudæis variè afflictatus eſt: plebs enim circũfuſa ruit non aliter quam laſcivi vituli: divites autẽ & fortiores eum obſederunt, & circũdederunt ut tauri, atq; illum cornibus impetivere, & pedibus obtrivere. *Aperuerunt ſuper me os ſuum*: id eſt nullum fecere finem opprimendi me clamoribus, minis, falſis teſtimoniis, & calumnioſis criminationibus; donec me reũ mortis reddidiſſent: imò apertũ ſemper os in me habuerunt, hianti rictu in me vociferantes.

II. Pilati: De quo ſic quæritur; *Quaſi Leo ſic contrivit omnia oſſa mea*: id eſt adeò immisericorditer in me ſe geſſit, ut fuerit inſtar Leonis, qui ſeſe ſanguine meo expleverit, cũ me reliquit inimicis in prædam: Luc. 2. *Tunc tradidit Ieſum voluntati eorum.* Et Ioan 17. *Tradidit eis illum ut crucifigeretur* Nunquid, *ſicut rapiens, & rugiens?*

III. Herodis: cuius intuitu ſic ad Patrem; Pſal. 21. *Salva me ex ore Leonis & à cornibus unicorniũ humilitatẽ meũ*: Nec enim evaſi cornu & arrogantiã, cum me faſtų intolerabili depreſſerit, ad terrã afflixerit & pedibus proculcarit; immò & eius exercitus idem de me cum ipſo ſentiens; ita ut ab eo, tanquam ab unicornium grege fuerim circumdatus atque impetitus.

IV. Militum furioſorum: de quibus ſic ait eodẽ Pſal. 71. *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me* comparans eos à quibus neci traditus eſt, cũ turba canum, aptè ad Pſalmi titulum, qui eſt *pro Cerva matutina*: quaſi diceret Cohortes illæ ad ſupplicium meum affixæ, nõ deſtiterunt me perſequi à ſummo mane, ſicut canes qui primo diluculo Cervam eduxerunt è latibulo, quàm idcirco poſſumus appellare matutinam. Fingite igitur vobis animo turbam canum cervã allatrantium, quam matutino tempore toto perſecuti ſunt: deficitur viribus; graviter & ægrè anhelat; jam mutat corporis inceſſum; jam titubat, & labente veſtigio ad terrã collidit oſſa; de in totũ corpus, ac ſeſe penitus dedit. Tum canes voce mutata inclamare, ac perſonare mortem animantis videntur, ut ſimul omnes coeant; circumcingunt eam viciſſim, irruunt, proterunt primò pedibus, dein incidunt dentibus, alij una alii alia parte, nihil repugnante ipſa neque ad extremum ſpiritum luctante. Crudis eam deſpoliant dentibus, cutem deripiunt cum exuviis, & maxillares uncos altiſſimè in ferinam infigunt: nullus venatorum eſcæ præditi tiæ moderator eſt, neque aliquam tantum partem canibus ad jus cuique legitimum diſtribuit; penes ipſos eſt tota prædæ ſuæ poteſtas, in quam ardenti ingluvie incumbunt, miſerum diſtrahunt animal, diſcerpunt, ac penè vivum ſpirãſque devorant Ab hac quam vobis ſubieci cogitatione, Auditores, diſcedite, atque oculos conjicite in tragicum & dignum miſeratione ſpectaculum. Aſpicite Salvatorem mundi prorſus ſimilem cervæ, quam longæ venationis curſus exercuit: *pro cerva matutina.* Iudas eam deflexit à curſu, atque in illam immiſi: rabioſorum & eſcæ inhiantium canum copiam, qui à primo mane inſectantes concitato curſu ipſam defatigarunt, & afflictavere ad interitum. Attendite quomodò in illo eodem Pſalmo loquitur: *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea*: An non eæ ſunt prolapſiones ipſius & titubationes? *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in*

 medio

medio ventris mei: Ecce æſtũ & ignem qui eam intus adurit vehementi curſu accenſam; unde oritur anhelandi labor & præcordiorũ agitatio: *aruit tanquam teſta virtus mea & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxiſti me*: ardor urens, extrema ſitis, linguam ipſi ad palatum affixit; ideo vires eam deficiunt, neque amplius aufugere poteſt, & ita abjicit ſeſe in terram, deditque ijs qui perſequuntur. *Quoniam circumdederunt me canes multi concilium malignantium obſedit me: foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia oſſa mea*: Circumcinxere me ac tanquam rabioſi canes concurſarunt; ipſi dentes infixere; manus foderunt pedeſque, totum diſcerpſere corpus, ſic ut oſſa dinumerarint: quod quidem in Cruce ab illis peractum eſt, nihil relinquentibus integrum, niſi quod non potuerunt comedere: Exhauſerunt ſanguinem meum; dilaceraverunt autem, & in fruſta carnem diſciderunt: ipſum tranſfixere pectus, ut inveſtigarent cor meum, teſte ferro lanceæ, ipſumque cor bipartito diviſum eſt: ſicut & caput perfoderunt uſque ad cerebrum, ſpinis acutiſſimis transfixum, ſanguine ex corporis mei partibus omnibus expreſſo.

III. Conjectura petitur ex figura. Nam exemplum attendite argumento noſtro perdignum, in uno Orientali Principe, ſæculorum omnium miraculo, & ob patientiam magis quàm ob dignitatem conditionis illuſtri. Nemo eſt quin intelligat me loqui de Iobo, ad quem affligendum, cruciandumque Diabolus extremum nequitiæ ſuæ ſpecimen edidit. Certè in eo figuram Chriſti extitiſſe S. Gregorius teſtatur his verbis: Neceſſe fuit ut B. Iob eum quem voce diceret, ex converſatione ſignaret, & per ea quæ pertulit, quæ paſſurus eſſet oſtenderet, tantoque verius, ejus Paſſionis Sacramenta prædiceret, quanto hæc non loquendo tantumodo, ſed patiendo Prophetavit. Et alibi. Iob (ait) Paſſiones Redemptoris noſtri, eiuſque corporis, & Paſſione ſua ſignavit, & nomine: Iob quippe interpretatur Dolens: & quis alius in Iob Dolens figuratur, niſi is de quo ſcriptum eſt, *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Sanè quidem nihil crebrius in ore multorum verſatur, quàm hoc exemplum: Sed auſim dicere, inſignis illius viri laudibus, eiuſque patientiæ commendationi, iniuriam fieri; quia exploratè neſcitur magnitudo animi qua perpeſſus eſt. Id in primis planè obſervandũ eſt, ipſius dolorum morborumque certamen proximè ſecutum fuiſſe bonorum omnium jacturam, ut ſine intermiſſione percuſſus identidem ſic obſtupefieret, ut reſpirandi locum, ſeque ipſum recognoſcendi otium non haberet. Vt igitur multis placet, eo ipſo die quo filiis parentavit, Dæmon eum multiplici morbo affecit, corrupta tota eius temperie, eumque internis doloribus læſit, per quos lecto affixus eſt: vocati medici, adhibita remedia; ſed exiguo ſucceſſu: cumque uni dolores conſediſſent, alii graviores inſurgebant, quibus deiectus fortius feriretur.

2. Ex morbis internis ad externos progreſſus, eum maximis, fœdiſſimis, atque acutiſſimis cœpit vexare; ita tamen, ut non omnibus initio ſimul aggrederetur, ſed unis primò, deinde aliis, uti eius conſtantiam atque animi robur deiiceret. Ita planè ſe in nunciis geſſerat; Et ſic ultimus morbus, priore ſemper erat gravior: Deinde voluit in morborum curatione reliquam exhauriri ſubſtantiam; partim in Medicorũ, & remediorũ impenſis; partim domeſticorũ furtis, uxoris incuria, & cognatorum compilationibus: uti ferè fit cùm res omnes ſunt conclamatæ, donec tandẽ omnia abſumpta ſunt, ac fundi, ac domus, & omnis ſupellex diſtracta: quo in negotio ſex anni longa probatione, & prolixo tædio conſumpti ſunt, in ſummis corporis animique tormentis. Initio ſeptimi, cum finis malorum,

&reque:

& requies Sabbathi ſperari debuiſſet, quaſi rem de novo aggreſſus Dæmon, cum omni morborum quaſi agmine adorſus omnia eius corporis membra interna, & externa implacabilibus cruciatibus torſit, iiſdem membris luxatis, nervis contuſis, oſſibus fluentibus, tota temperie corrupta: *Egreſſus itaque Satan à facie Domini* (cogita illi factam eſſe omnem poteſtatem.) *Percuſſit Iob ulcere peſſimo à planta pedis, uſque ad verticem ejus, qui teſta ſedens in ſterquilinio*: Quibus verbis deplorabilis ejus ſtatus deſcribitur quem & ipſe exprimit cap. 16. *Ego ille quondam opulentus repente contritus ſum, tenuit cervicem meam, confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum.*

1. Itaque habuit morbos acutos, & qui vulgo paucis diebus in mortem impellunt: ſcilicet pleuritidem, febres, anginam, & ſimiles innumeros. 2. Morbos quos appellant diuturnos, tabem, marcorem, renum dolorem, hydropiſim, & ſimiles. 3. Malignos, & exitiales ob venenum. 4. Non ſolum imagine magnos, ut appellant Medici, quale eſt ulcus, magna corporis parte diffuſum, ſed reipſa, & effectu graviſſimos, ſcilicet nervorum & muſculorum contuſionem. 5. Symptomata graviſſimorum morborum, & peſſima indicia, convulſiones, & circa viſcera dolores fortes: In ſomnis timores: In facie, diſſimilitudinem prioris vultus, nigrorem, oculos errantes, reſpirandi difficultatem, & ſimilia. 6. Vlcera toto corpore diffuſa, ſed fœda, & horribilia non illa quidẽ extima tantum, & in pelle, ſed carnem, & ſolidas partes corrumpentia. Et quidem deſſimi ulceris nomine, varia intelligere poſſumus, qualis eſt ea exulceratio ad oſſa pepaſcens, quam Phagedænam appellat Galenus, vel Chironiam, vel Telephiam; eaque omnia quę ſunt contumacia, rebellia, diuturna, quæ à leprâ oriuntur, à morbo Gallico, & à ſimilibus, in quibus magna putredo. 7. Morbos habuit contrarios: verbi gratiâ, eius caro exuſta eſt ignis ita carnem adurit, ut nigram efficiat, ut nec ex eâ naſcantur vermes, ſed natos potius exurat, atque extinguat: eius tamen corpus totum ebulliebat vermibus, unde ſic queritur cap. 30. *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt non dormiunt.* Vnde S. Chryſoſt. En tibi Vermium fontes, tabifici humoris rivuli. 8. Totum corpus unicum ulcus ſeu vulnus effectum eſt, & quod mirabile, & de quo ipſe conqueritur, conciſũ eſt *vulnere ſuper vulnus* Nam ſi plura mala in eâdem parte poſſunt contingere ex ſolâ medicorum culpa ui docet Hippocrates; in Iobo plura contigerunt ex diaboli malitiâ. 9. Tandẽ cùm iam odor eſſet graviſſimus, nec poſſet ferri aut viſu, propter fœditatem, aut auditu propter querelas, aut naribus, propter odoris gravitatẽ, ne omnia incredibili fœtore compleret, ac ne ipſe etiã ſuo tetro odore interiret, ex domo ſua in pheretro educitur extra urbem, & in ſterquiliniũ proiicitur, ubi annum integrũ diu, ac noctu, omni tẽpeſtate anni, atq; in aëris inclementia manſit. *Qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio*: Vide miſeriam hominis Neq; manibus, neq; unguibus uti poterat: digiti enim tumidi; ungues aut dilapſi, aut incurvi, aut fiſſi: ſed ut loquitur S. Chryſoſt luto inanimi, animatum lutum radebat, quo etiam remedioſum ulcus exulcerabat: verũ hâc arte parumper prurigin ẽ levabat, ac ſcaturientes vermes excutiebat. Quale ſpectaculũ! Iob tantus Princeps inter ſuos, olim ita locuples, & honoratus, inter Orientales Regulos omnium maximus; nunc bonis omnibus ſpoliatus, nudus omnibus veſtimentis, ab omnibus derelictus, deriſus, & contemptus, triginta morbis diverſiſſimis & atrociſſimis afflictatus, in ſummis doloribus, in omnibus membris, interiùs, atq; exteriùs vexatus, mutatus ſpecie, atque vultu, extra urbem, ſub dio, iacet in ſterquilinio, ipſe ſua ſede fordidior, atque viſu fœdior &, odore terrior, tũ ſua putredine, tũ ipſo ſterquilinio, quod ipſe auget quotidie, atq; innovat, ſame per-

perpetuò defluente: nihil habens, neſcio dicã, ſanum, aut reliquũ in corpore, præter linguã, ut Deo maledicat; & in bonis nihil habẽs præter teſtam, qua radat ſaniẽ quã cùm detriverit illo miſerabili officio, cogitur deinde eandem ſaniem ſiccare aſperſo pulvere ſterquilinij: unde cap. 7. ſic loquitur; *induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulveris cutis mea aruit, & contracta eſt.* Denique, nulla alia re meliùs gravitatem calamitatis Iobi exprimi poſſe docet Chryſoſt. quàm ſi author attendatur. Etenim (inquit) ad plagæ magnitudinem declarandã ſatis ſit authorem, qui illam inflixit, ejuſque effrænatam libidinẽ perſpexiſſe. Id eſt, cogita Dæmonis crudelitatẽ, & odium, & ſuperbiã, qui tanti viri patiẽtia vinci non vult, cum quo tamen certamen ſuſcepit, factã ipſi poteſtate nocendi, & à quo graviter dolet ſe in priori conflictu turpiter fuiſſe devictũ Sed hæc ſatis ſint de figura; ad rei veritatem veniamus, hoc eſt ad Chriſtum.

Animos itaq; veſtros colligite, Auditores, & attendite ad ſpectaculũ triſtius, crudelius, immãius miſerabiliuſq; illo quod mox oculis veſtris ſubieci. Deus aliquid poteſtatis cõceſſerat Satanæ adverſùs Iobũ; ſed non abſolutã poteſtatem: eodem enim tempore reſtrinxit ejus malitiam, & crudelitatem definij: *Dixit ergo Dominus ad Satã, ecce in mãu tua eſt, veruntamen animã illius ſerva* Iobus ipſe ad deſcribendam dolorum ſuorum magnitudinem nihil amplius dicere poteſt, poſtquam eos nominavit dolores mortis, quo tamen eos perducendi facultatem inimicus non habuit. Data eſt autem plena & integra poteſtas Satanæ in benigniſſimum Salvatorem noſtrum & Dominum; in eius corpus & vitam: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Ipſius proinde attendite rabiem, & quo pacto poteſtate illa ſit abuſus. Certamen minimè exiguum eſt, quod ad unius duntaxat hominis lapſum pertineat, puſillique alicuius Dæmonis probrum, cui hominis unius patienti dedecus inuſſit, Hîc enimvero agitur de regno Diaboli, totiuſque inferni conflictu cum Filio Dei, in eiuſq; perſonã ob ipſius victoriæ prædam, de univerſi orbis ſalute ac liberatione; ſecundum hæc verba: *Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi eijcietur foras.* Adeò nullo adverſus ipſum furore abſtinuit, ſed in eum redegit ſtatum, ut cùm Iſaias in illum adjecit mentis oculos, minimè agnoverit; ita deformatus erat, horribiliſque aſpectu. Videte quomodo loquitur c. 53. Prophetiæ ſuæ: *Et vidimus eum, & non erat aſpectus.* Dixerat prius: *Non eſt ſpecies ei neque decor*: Vide quæ mutatio; ut qui fuerat ſpecioſus inter filios hominum, ſit tamen ſit male tractatus, ut non tantum eius decor obliteratus fuerit, ſed etiam omnis eius ſpecies immutata, unde *vidimus eum, & non erat aſpectus? & deſideravimus eum*: Ex phraſi Hebreæ repetenda eſt particula negativa, *nec* quaſi dicat, *nec deſideravimus eum*, id eſt, neque talẽ vidimus ut aſpectus eius eſſet deſiderabilis: nam quis ſplendor, & quis nitor eſſe poterat in facie liventi colaphis & ſanguine, atque pulvere fœdatã? quæ dignitas in genis, evulſa barba? quæ majeſtas in ore dirarum manuum notato veſtigis? Pergit Propheta, *Deſpectum, & noviſſimum, virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem*: Hic repetenda vox *vidimus*: vide quo fuerit Chriſtus redactus, ut omnium poſtremus videretur: Vnde dicitur: apud Pſalmiſtam, *Opporobrium hominum, & abjectio plebis:* ſequamur Iſaiam. *Et quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, unde nec reputavimus eum*: Quaſi diceret eò uſque deductum fuiſſe ut Chriſtum ipſum ſui ipſius pudore deberet, ex communi hominum ſenſu, unde non mirum ſi eius homines puderet & ab eo ſuos oculos averterent. Id illi contigit Ioan 19. cùm eum Pilatus oſtendiſſet populo, dicens, *Ecce Rex veſter*: illi enim eum magna indignatione averſati ſunt, *clamante, Tolle, tolle crucifige eum.* Deinde: *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit* quod non tantum de peccatis

re debuit; etiamſi illi non amplius eſſent tis noſtris intelligendū eſt, pro quibus Chriſtus ſatisfecit, ſed quia de facto in ſuo corpore noſtras infirmitates pertulit, non quidem ſingulas, ſed quicquid in illis acerbū eſt cum tanta paſſus ſit, ut æquarit omnes corporis morbos & cruciatus, quod agnovit Sanctus Hilarius in Cantica relatus à S. Thoma in locum Matthæi, ubi hic Iſaiæ locus refertur: Paſſione corporis ſui, ſecundum Prophetarum dicta, infirmitatis humanę imbecillitates abſorbuit. *Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Do, & humiliatum*: Vide miſerabilē Chriſti ſtatum, nempe talē ut nemo ſit qui non facile judicet vindictam fuiſſe divinam; cum dicatur percuſſus à Deo in hac duriſſima tractatione: ac ne quis putaret, ob ſua delicta ſic fuiſſe mulctatum, ſubdit Propheta: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*: quaſi diceret à leprâ noſtrâ leproſus fuit, à nobis ille fœdam illam labem contraxit, quia noſtra illi peccata cauſam tanti doloris, tanti cruciatus materiam attulerunt. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eū*: Pro pace vox Hebræa ſignificat retributionem, quaſi diceret ſupplicium, quod nos retribuere, ac rependere debuimus pro peccatis noſtris: ſeu quò reconciliati ſumus cum Deo, ſuper eum Deus impoſuit: hoc eſt, quicquid pœnarum Deus à nobis exigere debuit pro peccatis noſtris, id ab innocente Filio Pater exegit: *& livore eius ſanati ſumus* livorem poſuit pro ipſo vulnere, quia livor vulneris veſtigium eſt, Verum iſte ſermo trahit nos ad aliam coniecturam.

IV. Igitur ea eſt quæ petitur ex fine paſſionis: Debuit enim Chriſtus ſua paſſione implere redemptionis menſuram, quia vadem ſe fecerat, & ſponſorem, hoc eſt, debuit æquare tormentorum ad quæ damnandi eramus & multitudinem & gravitatem, Cum enim peccato duplex imponatur mulcta, pœna damni, & pœna ſenſus, ac dolor internus pertineat ad pœnam damni; nam damnum ſentiri debet ex apprehenſione jacturæ, & conſequenter ex dolore, & animi cruciatu conſequente; pœna ſenſus pertinet ad dolorem externum: cum itaque paſſio Chriſti debuerit ſatisfacere ex omni parte, oportuit ut eſſet dolor externus, & qui exæquaret magnitudinem pœnarum, quæ ſubeundæ fuiſſent hominibus ad ſuorum peccatorum ſatisfactionem. At certum eſt ad unius peccati ſatisfactionem, ingentem pœnam deſiderari: quanta igitur opus fuit ad omnium ſæculorū peccata exolvenda? Cogita quot ſint in legibus intentata reſpublica: Cogita quā graves pro ſuis ſceleribus, multi pœnitentias inire ſuſceperint: Vnus carcer Climaci, quantas cōtinuit? Hinc æſtima quantū pœnarū ſubire ille debuerit, qui pro omnibus ſatisfacere voluit; Quidam longius progrediuntur, ac docent ferre debuiſſe omnibus damnatis debita ſupplicia, non ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum gravitatem æqualitatis: quod tamen non eſt probabile: Quia Inferorum pœnæ proficiſcuntur etiam ab agente ſupernaturaliter evecto; Chriſti verò dolores vim agentiū naturalium non ſuperarunt: Illud tamen certum eſt, Chriſtum pro omnium hominum peccatis ſatisfactionem obtuliſſe, imò etiam pro peccatis damnatorum: non quidē ut id damnatis prodeſſet, quaſi iis qui nondum eſſent damnati, ſed quia id præſtitit quod erat debitum juſtitiæ Divinæ, ratione gratię, & favoris, illis olim in vita prærogati Etenim Deus intuitu ſatisfactionis Chriſti, & meritorū, eius futurorū diſpēſatoriè hominibus prioribus, gratiam ſuam, & remiſſionem peccatorum obtulit, ita ut per illos ſteterit, ſi non ſint ſalvati: Vnde Chriſtus poſteà hunc fauorem, & gratiam præſtitam, ſua ſatisfactione, veluti ſolutione compenſa-

capa-

capaces in poſterum ullius gratiæ aut boni. Quicquid ſit, certè hinc ſufficienter colligi poteſt magnitudo pœnarum Chriſti, cum ſaltem in ſe admiſerit pœnam temporaliter debitam omnibus omnium hominum peccatis: unde dixit Iſaïis cap. 53. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum: Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: Attritus eſt propter ſcelera noſtra: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore eius ſanati ſumus.*

V. Conjectura petitur ex univerſalitate paſſionis:

In primis enim paſſus eſt in omni bonorum genere.

I. In fama, & nominis exiſtimatione, per calumnias & accuſationem, quod illi exprobravit Pilatus Marci 14. *Vide in quantis te accuſant?* Quæ autem illo fuerint exprimit Lucas cap. 23. *Cœperunt autem illum accuſare dicens: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe*: & cum eum duxiſſent ad Herodem, ſubdit Evangeliſta *Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ conſtanter accuſantes eum*: Accuſatus eſt crimine læſæ Maieſtatis Divinæ in primo capite, ut qui voluiſſet arrogare ſibi uſurpatione temeraria, & Divinitatem, quaſi naturalis Filius Dei, & Regnum Iudæorum, ſe gerendo pro Meſſia, & ſubtrahendo populos ab obedientia Cæſari præſtanda. Certè habitus eſt fulgò ab nationis ſuæ principibus, pro Impoſtore, Impio Blaſphemo, Dæmoniaco, Ambitioſo, & pro reo execrabili apud Deum & homines, eò uſque ut à proximis ſibi ſanguine abdicatus fuerit, ſecundum hæc Davidis verba, Pſalm. 87. *Poſuerunt me abominationem ſibi*: quod in eius maius dedecus recidit, quo à pluribus ut Sanctus, & Propheta putabatur, & quo plura dederat ſuę Divinitatis teſtimonia.

II. In honore, qui quidem incredibile eſt quod modis læſus fuerit. Sed de his nunc plura dicere ſuperſedeo, reſervans ad eam partem, ubi de confuſionibus Chriſti agitur.

III. Quod pertinet ad bona externa: Cum in illis nil haberet præter veſtes, illis ſpoliatus eſt in cruce, & nudus mortuus eſt in ſumma paupertate. Itaque milites inter ſe veſtimenta ejus partiti ſunt, *& ſuper eius veſtem miſerunt ſortem*: Id autem fecerunt ut ipſe ſciret ſibi ademptam eſſe omnem ſpem vitæ, itaque amplius non indigere veſtimentis. Et ſic in illo illud Iobi impletum eſt cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero Matris meæ, & nudus revertar illuc.* Certè Chriſtus toto vitæ tempore coluit paupertatem, ſed eam, uti & cæteras virtutes, in paſſione ad ſummum perduxit.

IV. Quoad amicos attinet, & domeſticos, ab omnibus eſt derelictus: Matth. 26. *Tunc Diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt*: & impletum quod illis prædixerat: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me hac nocte*: Itaque ſic conqueritur in Pſalmo, 33. *Qui juxta me erant, de longè ſteterunt*: Ac de Petro, qui ſummam fidelitatem pollicitus fuerat illud intelligo Pſal. 87. *Longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi: Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeriâ.* Et quidem Chriſtus hanc omnium derelictionem voluit pati, ut ſciremus ſocium non habuiſſe in paſſione: Itaque ſic loquitur Iſaiæ 63. *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.*

V. Quid dicam de eius pulchritudine, quæ ſic vexata fuit, ut de eo dicat Iſaias quod jam protulimus cap. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus*, quia nulla hominis figura, &c. quibus verbis nihil expreſſius dicit potuit quo ſignificaretur mirabilis ſtatus paſſionis.

VI. Quid addam quomodò totum eius corpus habitum fuerit? *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & livore eius ſanati ſumus.* Notanda ſunt verba, vulneratus, attritus, diſciplina ſeu caſtigatio, & livor: Et poſteà. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, & Dominus voluit conterere*

eum

Digitized by Google

eum in infirmitate. Numera ſyllabas, percuſſio: contritio, & infirmitas: Sanè quis unquam peius tractatus fuit, in quo nulla pars corporis non fuit læſa?

Quod vitam attinet? eam inter ſupplicia finivit unde Iſaias cap. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur & quaſi agnus coràm tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*: quibus verbis ſignificatur immolatio Hoſtiæ; quâ ratione Chriſtus oblatus eſt. Porro in Hôſtiæ immolatione illud obſervabatur, neque eluctans immolaretur, & aufugeret ab aris: neque mugitu, aut clamore ſe invitam oſtenderet: ideoque hæc duo dicit de Chriſto, & volentem paſſum eſſe; *Oblatus eſt quia ipſe voluit*, & nullum clamorem edidiſſe: *Et non aperiet os ſuum*. Pergit. *De anguſtia, & de judicio ſublatus eſt*: Modus mortis ipſius ſignificatur: nam licet eſſet innocens, & culpa vacaret, per ſeditionem tamen Judæorum, & Pilati vocem damnatus eſt: ſeditionem vocat anguſtiam, hoc eſt turbam, quæ multitudine, ſtudio atque feſtinatione ſe comprimebat: Per iudicium intelligit eos qui in illum ſententiam capitis tulerunt, nempe Pontifices, & Pilatum. Eodem pertinet verſio 70. Interpr. *In humilitate ſublatum eſt judicium ejus*. 1. Per humilitatem ſignificatur condemnationis Chriſti iniquitas. Cum enim *ſicut agnus coram tondente ſe, non aperiet os ſuum*, neque difficilem ſe, aut repugnantem præberet impiorum ſtudiis; ex illâ tanta demiſſione, atque ſilentio animos ſumpſerunt, ut & manus injicerent non repugnanti, & judicium omnium perverterent: ut iudex iniquus viduarum & pupillorum judicia prodit, quia non repugnant. Ita igitur ejus cauſa iniquiſſimè prodita eſt, quia *patere-tur, non comminabitur*; & ſublatum eſt iudicium ejus, id eſt contra jus & fas, damnatus eſt, & inimicorum poteſtati traditus, eo quod adverſariorum injuriæ, & calumniis non reſtitit, nec magis locutus eſt ad ſui defenſionem, quam agnus coram tonſore ligatus, & mutus. Porrò in voce ſublatus, genus mortis agnoſco, nempe Crucis, quo ſenſu dixit: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Hoc autem dicebat*, ait Evangeliſtâ, *ſignificans qua morte eſſet moriturus*. Ex quibus omnibus patet univerſalitas paſſionis, quod in omni bonorum genere paſſus ſit. Idque graviſſimè.

2. Hoc etiam ad eandem univerſalitatem ſpectat; quod ab omni perſonarum genere paſſus ſit: non tantum quia pro omnibus ſatisfecit, ſed quia de facto omnis ferè conditionis homines ad eius paſſionem concurrunt. Itaque paſſus eſt à Regibus, & ſummis Magiſtratibus, ab Herode & à Pilato; à ſummis Sacerdotibus & Pontificibus Anna, & Caïpha; ab aliis Sacerdotibus, à Scribis & legis Doctoribus, & Phariſæis; à plebe; à militibus; à Dominis & à Miniſtris 4. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum eius. Convenerunt enim verè in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Ieſum quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſraël. facere quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri*. Item paſſus eſt à ſuis, & ab alienis: nam ab illis & traditus eſt & venditus, & denegatus & deſertus: ab iſtis aut irriſus, aut percuſſus, aut male habitus. Item ab amicis, & ab inimicis. Item à Judæis, & à Gentilibus. Item à Patre, à Matre, à ſeipſo: Nam Pater dixit ut ait Iſaias. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, & Ipſe de Patre conqueſtus eſt, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Mater autem ſua præſentia Filiū afflixit. Ipſe verò ſibi ipſe nocuit; verbo; ſilentio; patientia: Quin & ipſi nocuit optima complexio, ſcientia, virtus; Item paſſus eſt à pœnæ sociis, à ſpectatoribus, à tranſeuntibus, ab iis qui fave-

Digitized by Google

favebant: ut intelligas ad eius ſupplicium omnes aliquid contuliſſe: hoc enim fuit generaliſſimum ſacrificium.

3. Paſſus eſt in omnibus ſenſibus, in omnibus membris, in omnibus potentiis, internis & externis: *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Quid non paſſus in oculis, videns & quæ parabant, & quæ faciebant inimici? Quid non in auribus, audiens calumnias, irriſiones, dicteria, accuſationes, blaſphemias? Quid non in guſtu, uti ſitim, & potũ fellis & aceti? *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Quid non in manibus ab odoribus fœdis? In tactu autem, dum totum corpus laceratum eſt, & afflictũ? In partibus maximè ſenſibilibus, in nervis, venis, arteriis: in capite, in facie, in temporibus, in pedibus & manibus? *ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: his plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Quid non paſſus in utroq; appetitu, in phantaſia, in intellectu? *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Porrò omnia paſſionum genera in ſe ſuſcepit, ut, ſicut ait Caietanus, omnes paſſiones deificaret, & hominibus expetendas redderet. Item ut doceret hominẽ omnia contemnere, & nihil eorum malorum timere, quæ ab hominibus inferri poſſunt: uti dixerat Matth. 10. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere:* uno verbo dixit S. Damaſc. libro. 3. de Fide cap. 20. omnia hæc aſſumpſit, ut ſanctitatem omnibus afferret.

Ex his paucis conjecturis augurari potuimus partem aliquam paſſionis Chriſti, quâ propoſitâ, his te Eccleſiaſtici verbis compello, cap. 29. *Gratiam fidejuſſoris ne oblivifcaris: dedit enim pro te animam ſuam*: In quibus verbis tria tibi proponuntur.

1. Chriſti innocentia; ut ſcias ipſum omnia iſta paſſum eſſe immeritum; Certè ſi rei etiam nocentiſſimi, dum ſunt in gravibus ſuppliciis, ſolent nobis miſericordiam commovere; quanto magis, ſi aliquis innocens fuerit, & graviſſima patiatur, in nobis ſenſum illum ingenerabit? Sed ſi aliquis magno honore dignus, ſed ſi ſummo, nonne ſenſus creſcere debet in nobis? Itaque cogita innocentem, cogita juſtum, cogita Chriſtum, cogita Deum: quouſque tuus ſenſus progredi debebit, nempe uſque ad ſummum, ſed nec hoc ſatis, uſque ad defectum: nam quis noſter ſenſus tantus eſſe poteſt qui non deficiat, & rei magnitudini ſit ſatis? *Conſideravi opera tua*, aiebat Propheta, *& expavi*: Verum Dei opera extra Deum ſunt; ſed ſi tu conſideres Chriſti tormenta & paſſionem, vides quæ ſunt in eo, & quid inde ſequi poteſt, niſi ſtupor, & extaſis.

2. Proponitur, hæc omnia Chriſtum licet immerentem, tamẽ tuâ cauſa paſſum eſſe, itaque te iſta omnia eſſe commeritum, igitur te fuiſſe cauſam paſſionis ejus igitur tuo loco fuiſſe paſſum: & ad hoc non debito, non merito tuo, non beneficio tuo fuiſſe adactum, ſed ſolo amore tui: Vnde expreſſe vocat *gratiam fidejuſſoris*, ut ntelligas non obligatione id feciſſe, ſed voluntate & gratia.

3. Proponitur, quouſque produxerit gratiam, & finem huius ſponſionis; *dedit enim pro te animam ſuam*, quod non fecit ut alii ſponſores, periclitando ſolum, ſed ipſa experientiâ, ipſe enim vitam ſuam dedit, & amiſit, ut ſcias & beneficium, & ſuum amorem perduxiſſe ad ſummum: nam ut ipſe docuerat Ioan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Iam vide quid à te petatur. Nimirum ut non obliviſcaris gratiã fidejuſſoris: Putas ad id ſatisfeceris, ſi tantum patiaris, pro illo, quantum pro te paſſus eſt, ſi tantum illum dilexeris, quantum dilectus es?

Sed

Digitized by Google

Sed 1. quid hactenus paſſus es?
Quid pro illo pati decreviſti?
3. Quid pati potes?
4. Sed ſi patereris, quanti ſunt aut eſſe poſſe poſſunt tuæ paſſiones, ſi eum illis paſſione conferantur? Confer perſonas, & de utroque judica?

Iam quid de tuo amore loquar, qui ſic amatus & à tanto, tu verò & tantulus, & tam parum diligas?

Sed ſi nec amore certare potes; hoc ſaltem effice, ut non obliviſcaris gratiam fidejuſſoris; ut ſaltem æſtimes quantum meretur, & quanta eſt; ut mente & cogitatione, ſi non ſemper, at frequentiſſime, revolas; ut ſcias te ſemper obligatum remanere. Sanè ſi creditor debitum exigit à fidejuſſore, jam primus & verus debitor, quod creditori debebat, idem debet fidejuſſori, & præter vetus debitum, novi beneficij reus erga illum factus eſt: Hinc vide quid Chriſto debeas fidejuſſori tuo; & id quod præcipuo creditori, hoc eſt Iuſtitiæ Divinæ, & id quod ipſi ut fidejuſſori ſolventi ob novum beneficium debetur.

Sed ut pergit Sapiens loc. cit. Eccli. 29. *Repromiſſorem fugit peccator & immundus*: Vide quomodo vocet ingratum, & immemorem: peccatorem vocat & immundum, quia odibilis eſt, & quem omnes fugere debeant: Cauſam autem huius peccati: ſic denotat *Bona repromiſſoris ſibi aſcribit peccator, & ingratus ſenſu derelinquet liberantem ſe*: Quia nimirum non cogitat, omnia gratuito ſibi præſtita, nec ea reſpicit ut aliena bona, & ingratus ſenſu hoc eſt animo, cum non revolvat mente beneficia ſibi præſtita, derelinquet liberantem ſe. Tu vide quid rependas Liberatori tuo, illi expone cogitationes tuas, & gratiis ipſi actis pro redemptione, cogita ſerio quid illi rependere decernas: Quid illius cauſa facere: Quid aggredi velis: & omnia animi tui ſenſa depromе, ac memineris te ſemper ingratum futurum, ac minus ſemper te facturum quam debeas.

II. PARS, SEV
ALIA CONCIO.

De doloribus internis Chriſti. Eorum cauſæ & effectus.

Attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Lamentat 1.

NNon ignoratis, Auditores, occaſionē & cauſam quę nos hîc congregavit. Sanctiſſima cōſuetudo Eccleſiæ, omnis hic apparatus lugubris, numeroſus hic conventus, modeſtia major quam pro more, vultus, oculiq; veſtri qui notas doloris corde veſtro concepti impreſſas præferunt, luculentum ſatis teſtimonium præbent inuſitati caſus, luctuſque omnium, qui unquam; extiterint funeſ-

& ſuprà quàm dici poteſt lamentabilis. Neque verò locus eſt, tempuſque conticeſcendi, ac diſſimulandi ampliùs. Huc coivimus ut interſimus Dei exequiis. Non ad deflendam Jeremiæ lachrymis mortem Regis Ioſiæ, ſed ad dolendam lamentis univerſæ naturæ, quæ mœrore dirumpitur, necem Sancti ſanctorum, Regumque omnium auguſtiſſimi. *Et poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus.* Denique ad juſta funeris ſolvenda Parentis noſtri vita functi, cui mortis anſam cauſamque dedimus. Illam ſi aſpicimus aut tanquam ipſius beneficium; quandoquidem ſponte ac voluntate ſuâ pro nobis interiit; aut ſicut crimen noſtrum; quoniam illius authores ſumus: prima conſideratio à nobis exigit, memoris gratique animi affectum, qui nos tamen ſemper ingratos relinquet; altera vero, ſatisfaciendi deſiderium poſtulat, in in quo minimum eſt nos aſſiſtere nunc ad cõmemorationem ipſius martyrij, eò quem à nobis meretur ſenſu, non illum ſpectando ſicut hominem nihili, & contemnendum, ſed ut Virum ſanctiſſimum, ut primum maximũque Regum omnium, ut ſummum Pontificem, & inter Pontifices veneratione digniſſimum, ut Deum altiſſimum, ſupremamque Majeſtatem; 2 Non quaſi ad nos nihil pertineret, cum reſpectu noſtri omnia nomina & officia impleat, qui ſit & Pater noſter, & Dominus, & Rex, & Sponſor, & amicus & Spõſa & quod omnia ſuperat, Deus noſter: 3. Non conſiderando mortem ejus quaſi ſolum factũ Iudæorum, ſed ut rem noſtram, & meritum noſtrum, & ſcelus noſtrum: Vnde planè mirabile eſt, cum reliqua tanti ſceleris minimè rea vehementer commoveantur, ſolum hominem ſine ſenſu remanere; adeo ut S. Hieronymus jure ſic expoſtulet: omnis Creatura Chriſto morienti compatitur, Sol obſcuratur, Luna retrahit lumen ſuum, terra concutitur, petræ ſcinduntur, templi velum in duas partes dividitur, ſepulchra aperiuntur mortuorum oſſa ſenſum habent, ipſi mortui reſurgunt, ſolus miſer homo non compatitur, pro quo ſolo Chriſtus patitur. Certè cum pro omnibus hominibus mortuus ſit, omneſque mortis illius ſint rei, quàm tamen pauci ſunt qui id cogitant, ſecundum illud Iſaiæ cap. 57. *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo.* Nos ſaltem, Auditores, qui hîc adſumus, non permittamus ſanguinem ejus inutiliter fluere. 1. Itaque omnes animi ſenſus concipiamus quos ad tàm luctuoſum & tantum ſpectaculum habere decet. Cum Reges Orientalis Iobi amici ipſum in ſterquilinio ſedentem qui amplius agnoſci non poterat vidiſſent, adeò erat mutatus quem antea opulentiſſimum & multis divitiis abundantem cognoverant; tanto ſtupore perculſi ſunt, ut ſeptem integros dies, cum eo humi ſedentes ac taciti remanſerint, nec quiſquam illorum eum alloqui auſus ſit: *videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Quid nos facere par eſt qui ſpectaculum longè acerbius, atque atrocius cernimus in Salvatore? Ex ſtupore in dolorem, ex dolore in lachrymas tranſeamus: nam ſi nihil aliud Chriſto rependere poſſumus, ſaltem non deſit compaſſio: Quia juxta dictum Domini Levit. 23. *Anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populo meo.* 2. Quoniam illi qui legit dicitur ut intelligat: Cum tibi, mi Auditor, Chriſtus in Cruce quaſi liber expanſus objiciatur; vide ne tantum dolores & cruciatus externos videas, quod & Iudæi fecerunt, & gentiles ipſi qui patienti adfuerunt, ſed vide ut quæ legis, intelligas 1. quãtum Deus oderit peccatum, pro abolendo, nec proprio Filio pepercit: 2. quanto amore mundum dilexerit, ut ad eum ſalvandum, Filium ſuum unigenitum daret: 3. ad quas virtutes te vocet, quarum adeò illuſtria exempla, & documenta dedit in Cruce: 4. Quibus meritis gaudeamus, & quæ habeamus præſidia.

Hinc

Digitized by Google

Hinc enim fit ut omnis ſpes noſtra ſita ſit in Crucifixo, nec ad aliud perfugium in omnibus quàm ad eum nobis ſit currendum. O Crux Ave, &c.

In ſummis extremiſque calamitatibus ſilentium plus dicit quam ſermo, neque dolor qui verbis exprimi poteſt, nominari poteſt dolor. Nimio plus mallem in argumento ubi verſamur, oculum mihi eſſe oris loco, pupillam pro linguâ, & lachrymas pro verbis, quã me prævaricari & injuriam facere cogitationibus meis, ſtudiique mei affectum, & rei de quâ diſſero magnitudinẽ extenuare. Quamobrem obſecro vos permittere mihi hodie, ut omiſsâ veteri oratorum conſuetudine, mihi liceat ſub finem adjicere, non uti ſolet, dixi, ſed nihil dixi: finire ſiquidem ubique poſſum, at nunquam poſſum abſolvere: orando vos, ut aliquid aſſiduè addatis ad verba mea, meaque cogitata ſemper novâ quàpiam acceſſione augeatis.

Nihil amplius reliquum erat Salvatori noſtro ad opus quod ei commiſerat Pater complendum, niſi ut mortem obiret. Pretioſi corporis ſui Sacramentum inſtituerat, quô ſe relinqueret hominibus, priuſquam ab iis abſcederet: condiderat teſtamentum ſuum, eoque voluntatem poſtremam comprehenderat: abire juſſerat Apoſtolos, & conſolationes iis adhibuerat ſuper diſceſſu ſuo: ultima impertierat monita: valedixerat cum ſummo amoris doloriſque ſenſu: ac tempus Prophetiæ Danielis cap. 9. adventarat (*ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum:*) Cum ut obediret Patri ſuo, exurgit à menſâ, actiſque gratiis dat ſeſe in viã; torrentem Cedron pertranſit cum Diſcipulis, & in montem Olivarum aſcendit. Ioan. 14. 14. *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc.* Et Matth. 16. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.*

Fuga Regis Davidis ad vitandum filii Abſalonis furorem deſcripta 2. Reg. 15. luctuoſa omninò & miſeranda eſt. Nam ubi primum inaudiit, omnes Abſalonis arma inſequi (*Venit nuntius ad David dicens: Toto corde univerſus Iſraël ſequitur Abſalon*) ſuaſit ſuis omnibus ut ſecum ex urbe diſcederent: *Et ait ſervis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem, ſurgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Abſalon.* Vbi, oro vos, mecum obſervare; 1. grave admodum fuiſſe & acerbum tàm ſtrenuo Imperatori magnoque Regi fugam arripere, in filii & quidem vento ſi adoleſcentis conſpectu; tametſi cum ſolâ cohorte prætoriâ, locum tenere ac tueri menſibus pluribus potuiſſet in parte urbis editiori, & in Sionis arce. 2. Videre filium in ſe armatum, univerſumque populum unanimi conſenſu cum eo intentum ad ſui perniciem: *Toto corde univerſus Iſraël ſequitur Abſalon.* 3. Intueri ſe coactum deſerere urbem, coram omnibus civibus ſuis, incumbente nullo ad ipſius defenſionem. 4. Cogiſſe permittere omnia hoſtis ſui furori, decem tantum mulierculis ad domus ſuæ cuſtodiam relictis. His conſideratis; Quod admodum fugæ, & aſſeclarum ordinem ſpectat, veterum milites qui eum comitati fuerant in cunctis anterioribus bellis ab 40. annis, priorem locum tenebant, turmæque frontem tuebantur. Ipſe erat in medio agmine, quaſi corpore exercitus, cum domeſticis, à ſervis ſuis ſtipatus. Prætoria cohors è ſexcentis militibus conflata turbam claudebat, uti poſterior cuſtodiæ pars, ad quos aggregabant ſeſe nõnulli Sacerdotes ac Levitæ, urbanique; cives ſtudioſiſſimè in regem affecti. Incedebant pedibus, fixis humi oculis, triſtique omnes ſilentio, præter Davidem qui interciſis vo-

cibus ac interruptis ſingultu, Pſ. 3. pronunciabat, hoc titulo inſcriptũ: *Cum fugeret à facie Abſalon filij ſui.* Et ita incipit: *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me: multi inſurgunt adverſum me, multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius.* Abiathar Pontifex adventans, ſe ad eius ſocietatem adiunxit, allata ſecum Teſtamenti arca, ut ubi res ferret, conſuleret oraculum, & à Deo ſciſcitaretur quid facto opus foret, quod inchoari voluit David, petique à Deo quò abire ipſũ juberet. *Et depoſuerunt Arcã Dei, & aſcendit Abiathar*, nimirum ut interrogaret de itinere: ſed ut refert S. Hieronymus, Deus reſponſum dare noluit: unde intellexit David iratum ſibi eſſe Deum, ac velle ut hoc ſubiret qualecunque infortunium: Et ita Arcam in Ieruſalem remiſit, cum hoc ſuæ conformationis ad eius voluntatem admirabili teſtimonio. *Reporta Arcam Dei in urbem: ſi invenero gratiã in oculis Domini reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum: ſi autem dixerit mihi non places, præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* Arcâ in urbẽ rapoitari juſſâ, pertranſierunt cuncti torrentem Cedron, & conſcendere montem Olivarum aggreſſi ſunt, eo ſcilicet modo, quem ſacer textus deſcribit. Porrò *David aſcendebat clivum Olivarum, ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, ſed & omnis populus qui cum eo erat, operto capite aſcendebat plorans.* Pauloque anteà, *omneſque flebant voce magna, & univerſus populus tranſibat.* Non abjectione animi magnus adeò fortiſq. princeps lugebat, ſed cum intelligeret iratum ſibi Deum ob admiſſa prius peccata, ſuſcipiebat habitum ſenſumq. animi verè pœnitentis. ô ſpectaculũ miſeratione plenum! cernere tam magnum Regem, tàm generoſum Principem ut in pueritia cum Vrſis & Leonibus luderet, ita ſanctum juſtumque, tanto ſplendore nominis & amore apud ſuos, ſic reformidatũ ab hoſtibus, ſic à finitimis honoratũ, poſtquam ſceptrum 30. annorum ſpatio geſtaſſet, nunquam niſi victor rediiſſet è prælio, in fugam à filio conijci, nudis incedere pedibus, præ pudore & triſtitia capite operto, plorare, gemere, ſingultus edere, ſervoſq; ac milites unà omnes cum ipſo pariter involuto capite lugere.

Huc animos veſtros adhibere Chriſtiani ad ſimile ſpectaculum, quod exhibet nobis Rex Regum, Regis Davidis filius & Pater, amabilis Salvator noſter ac Redemptor Ieſus. Cœnâ illâ myſterijs refertiſſimâ peractâ dixit Apoſtolis. *Surgite eamus hinc.* 1. David egreditur, quia talem videt eſſe Dei voluntatem: Ita Chriſtus, *ſed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc.* 2. David egreditur ut fugiat: Chriſtus ut occurrat morti, ac periculo. 3. David fugit filium Abſalonẽ, cui coniunctus eſt populus: Chriſtus occurrere vult Iudæ, & toti populo ei adhærenti. 4. David egreditur cum ſuis militibus: Chriſtus cũ ſuis diſcipulis. Sed vide quò uterq. pergat. David tranſit torrentem Cedron, ſubitq. montem Olivarum: Audi quid de Chriſto dicant Evangeliſtæ, Ioan. c. 18. *Hæc cum dixiſſet Ieſus egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.* Et Matthæus c. 26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Sed quo habitu: nempe triſti admodũ vultu, nec ſine ſuis, ac diſcipulorum lachrymis, qui Chriſti Domini inſolita oratione fuerant perturbati. Superatâ montis parte, occurrit villa ſeu prædiũ Gethſemani, in qua erat quidã hortus, in quem Chriſtus ingreſſus eſt cum ſuis diſcipulis: Et nos quoq. cum ipſo in hortũ ingrediemur ubi reliquũ figuræ à nobis allatæ omnino impletur. Ibi enim fortis Imperator præ timore fugit cum electo ſuo robore, dum nimirum mortem ac periculũ detrectat, ac deprecatur. 2. Ibi luget cum ſuo comitatu, dum ipſe, & eius diſcipuli ad hanc vocẽ ingemunt, *Triſtis eſt anima uſq; ad mortẽ:* 3. Orat Patrem, & non exauditur, ut interogaverat Abiathar oraculum quod non reſpondebat. 4. Patris auxilium ſentit ſibi quaſi ſubtrahhi, ut Arca à Davide in urbẽ remiſſa eſt. 5. Patrẽ orans ut libe-

Digitized by Google

liberetur, ſubdit. *Verum tamen non mea, ſed tua voluntas fiat*: ad quæ ſatis quadrant Davidis verba: *Si autem dixerit mihi places, preſto ſum. faciat quod bonum eſt coram ſe.*

Se ecce hortus in memoriam mihi revocat primi hominis è lapſum turpiſſimum: Cantic. 8. *Sub arbore malo ſuſcitavi te, tibi corrupta eſt mater, tua ibi violata eſt genitrix tua.* Cogita itaque Adamum ſtatim poſt peccatum è Paradiſo ejectum fuiſſe, quo temporis puncto, atq; momento, 1. illa omnis ſpecies, & Paradiſi pulchritudo ab oculis eius diſparuit: 2. Vidit ſe undique obſeſſum ſpinis: 3. Horrore ſolitudinis & loci incœpit undiq; rivis ſudoris, d ffluere: 4. mulierem cum quâ tam familiariter, & blande ſe hactenus habuerat, audivit inter dolores prægnantem, & clamantem: 5. A tergo vidit Angelum inſequentem, ac prohibentem ingreſſum in Paradiſum. Ita Chriſtus novus Adam, cùm tempus advenißet, quo verè ut peccator erat tractandus, illicò ſentit quaſi diſparuiſſe ſibi ſuum Paradiſum, tranquillum ſcilicet ſtatum, & ſerenitatem. Triſtari enim cœpit, & omne gaudium, atque lætitiam excluſit ab animo, illumque horrore complevit: 2. Quocunq; aciem mentis convertat, non niſi ſpinas videt, omnium ſcilicet hominum peccata, tormenta futura, cœlum iratum, fugam diſcipulorum, Iudæ traditionem, hoſtium ſuorum furorem, cum niſi horrenda ſibi proponat: 3. Inde ille ſudor nunquam viſus, quo totus madeſcit. 4. Humanitatem hactenus obedientem & placidè omnia patientem, immo periculis & rebus adverſis ſeſe obijcientem expertus, nunc ex ſua voluntate contradicentem, & ſeſe opponentem ſentit, propter dolorem timorē, & mortis. 5. Perpetuo ante oculos habet Dei Patris mandatum, & Iuſtitiam, eiuſdem mortē, cum pro hominibus ſpopondiſſet, exigentis.

Hinc colligere poſſumus ingentes admodum fuiſſe internos Chriſti dolores in Paſſione. Etenim fuere in eo duo genera tormentorum, quorū quædā tulit interius, alia verò exterius: Sed ſicut anima potior eſt quam corpus, ad hæc, ſicut anima, ut principium ſentiendi, acrius ſentit immediate, quam mediatè per corpus, ſicut peccatū interius gravius eſt exteriori; & actus virtutum interni ſunt nobiliores quam externi: Ita etiam dolor internus, gravior eſt externo, præſertim, quia quò plus patitur corpus, eo minus pati poteſt, nam patiēdo deficit, anima, verò plus ſemper ac ſemper pati poteſt: Deinde, dolores corporis ferè ſunt ſucceſſivi; anima autē per apprehenſionē omnes ſimul dolores unire poteſt. Accedit eò, quod cum Chriſtus in ſua paſſione geminū tortorē habuerit, nimirū hoſtium ſuorum crudelitatē, & ſuum in homines amorē; ſane cum eius charitas hoſtiū furorē ſuperarit; plus à ſe paſſus eſt quam ab hoſtibus: quod autem à ſe pertulit, interius tulit, quod ab hoſtibus paſſus eſt, tulit exterius. Nunc mihi tantum eſt ſermo de doloribus internis, de quibus illud Prophetæ uſurpare liceat Lament. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* & ipſe Chriſtus, *Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortē.* Sed quemadmodū nemo eſt qui profunditatem doloris Chriſti, uti par eſt, æſtimare poſſit. Quod poſſum, facio, atque illam æſtimo ex duplici capite. I. à cauſis. II. ab effectu.

Incipiamus à cauſis. Et I. quidē ex parte objecti materialis, doluit de peccatis omniū hominū ſimul ſumptis, optimè cognitis & exactiſſimè cōſideratis. Etenī per ſcientiā viſionis norat omniū peccata. Cogita eorū multitudinē & gravitatē & malitiā in omnibus hominibus, & omnibus ſæculis. Certè cum & peccata, & peccatores diſtinctiſſime cerneret, vehementi dolore tactus eſt. Quantū illud eſt quod nemo hominū fuit, qui ad illū. & illud ſupplicium, non aliquid de ſuo cōtulerit? Eò pertinet lapidatio, pœnæ genus apud Iudęos uſitatum. Repete memoria quomodo Achā Ioſue 7. quod de urbis Iericho uutinæ anathemate aliquid furto ſurripuiſſet, ea pœna affectus ſit. Nempe ejectus eſt

eſt extra caſtra in vallem Achor, & ut ait textus, *Lapidavitque eum omnis Iſraël.* Deus bone, quot tortores! quot nimirum capita in plebe. Ita Chriſtus Dominus ab omnibus hominibus lapidatus eſt. Nemo hominum fuit, qui non modo unum, ſed qui non plures etiam lapides in eum jecerit, quod planè eſt horrendum. Quanquam quid hæc lapidatio, cum Chriſti Domini ſupplicio? In illâ enim viginti aut triginta homines ad ſummum, reum perimebant, cum alii deinceps, non jam hominem, ſed vel cadaver, vel ipſa ſaxa ferirent, & quaſi ſepulchro obruerent, unde in capite citato dicitur congregaveruntque ſuper eum acervum magnum lapidum in hoc vero ſupplicio nullius hominis manus fuit innoxia, cum omnis, etiam cor ipſius attigerit, omnis interfecerit. De Joſepho Patriarchâ dicitur in Geneſi 4. *Oſculatuſque eſt Ioſeph omnes fratres ſuos, ploravitque ſuper ſingulos:* de Chriſto quoque maiore fratre noſtro verum eſt, quod ſupra ſingulos peccatores, & lachrymas fuderit, & ſanguinem.

2. At licet omnia peccata eum maximè tetigerint, peculiari tamen ex cauſa, maximè affectus eſt dolore ex præcognitione ingentis illius peccati à Iudæis in ſua morte pocurandâ committendi, & pœnæ illud ſecuturæ, quam ob oculos poſuit, cuiuſque ſola memoria olim ei lacrymas movit, quando *videns civitatem flevit ſuper illam dicens: quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis quia dies venient in te*, &c. Cum enim eſſet filius Synagogæ, (*Ex quibus Chriſtus*, ait Apoſtolus) eam ſinceriſſime diligebat ut matrem: itaque eius malo & culpæ & pœnæ vehementer commovebatur: Quæ ratio fuit ex Hieronymo, cur Patrem rogarit ut ſi fieri poſſet tranſiret ab eo Calix ille: quaſi dixerit; ſi poſſibile eſt ut moriar abſque Iudæorum peccato, & ruina: quo eodē ſenſu Origenes tract. 35. Matth. ſic Crucem Chriſti interpretatur: Si fieri poteſt ut omnia bona, quæ à meâ paſſione profectura ſunt, eveniant, ſi non patiar; tranſeat paſſio hæc à me, ut & mundus ſalvetur, Iudæi in paſſione meâ non pereant. Diligebat enim eos quaſi ramos bonæ Olivæ. Memento lachrymarum Ieremiæ Prophetæ propter Ioſiæ mortem, & urbis captivitatem: certe diceres vel ipſa ſaxa indoluiſſe.

3. Pertinet quoque ad cauſam materialem prævisio futurorum malorum quæ Chriſto Domino proxime imminebant: uti enim dicitur Joan. 18. *Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit.* In qua prævisione hæc concurrerunt. 1. Obiectum omnium maximum nempe mors, quæ eſt malorum omnium poſtremum: & in Chriſto augebatur propter vitæ dignitatem quæ erat divina & infinita propter unionem. 2. Genus mortis ignominioſiſſimum & acerbiſſimū ex omnibus circumſtantiis: Occurrebant funes, vincula, irriſiones, contemptus, ſputa, blaſphemiæ, alapæ, accuſationes falſæ, teſtimonia falſa, odium populi, militum furor, Sacerdotum rabies, Judicis timor, & animus ſervilis; flagellatio, coronatio, nudatio, Crucis pondus, clavi, mallei Crux, & malorū maxima copia. Veniebant in mentem, & uno quaſi agmine ſeſe offerebant, Judæ proditio, fuga diſcipulorum, Petri negatio uſque ad executionem; inimicorum gaudium & exultatio; Matris dolores, & Patris derelictio.

Eodem modo ea parte principij & cauſæ efficientis, ad ſummum dolor ille perductus eſt. Nam ſi principium doloris petitur vel ex parte potentiæ cognoſcentis; quo enim melius & clarius malum repræſentat, eo vehementius commovet; vel ex parte potentiæ appetitivæ in qua formaliter eſt dolor, nempe fuga mali, vel ſenſus eum diſconvenientia: vel ex parte motivi quod potentiam movet, & actum ſpecificat: ex his omnibus infertur

tionem; inimicorum gaudium & exultatio; Mat is dolores, & Pat is derelictio.

Eodem modo ex parte principii & cauſæ efficientis, ad ſummum dolor ille perductus eſt. Nam ſi principium doloris petitur vel ex parte potentiæ cognoſcentis; quò enim melius & clarius malum repræſentat, eò vehementius commovet; vel ex parte potentiæ appetitivæ in qua formaliter eſt dolor, nempe fuga mali, vel ſenſus cum diſconvenientia: vel ex parte motivi quod potentiam movet, & actum ſpecificat: ex his omnibus inferrur dolorem Chriſti fuiſſe in ſupremo gradu.

1. Si cauſa naturalis ejuſmodi doloris eſt intellectus, fuit ipſe in Chriſto perfectiſſimus, tum natura, tum ſcientia: atqui ut dicitur Eccli. 1. *In multa ſapientia, multa indignatio, & qui addit ſcientiam, addit & laborem.*

2. Si cauſam ſpectes in charitate & gratia; Nemo tanta charitate Deũ dilexit ſicut Chriſtus, nemo ejus honorem ſic optavit: & proinde nemo ſic offenſum indoluit: ad hæc, nullus tantam gratiam habuit, aut auxilium, quo promoveretur ad peccatum ita deteſtandum: unde ex tota latitudine, & intenſione charitatis & gratiæ, quæ erat ſuumma, triſtatus eſt de omnibus & ſingulis peccatis, quatenus erant & Dei offenſa, & proximi ruina & damnum: Etenim homines intenſiſſimè amabat.

3. Acceſſit perfectiſſima & intenſiſſima apprehenſio tormentorum quæ ſatis eſſe potuit ad mortem: nam ſæpe ſolus metus morte ipſa gravior eſt; & ut notavit S. Chryſoſtomus, poſtquam Elias mortem fugiſſet, ipſam poſtea præoptare maluit, quàm ſemper timere, unde *petivit animæ ſuæ ut moreretur*, in media fuga; ſic illam tolerabiliorem putavit ipſo timore: & Cain mori maluiſſet quam ſemper timere.

4. Voluntati ſuæ, & appetitui omnes habenas Chriſtus laxavit, ut circa tale objectum ſic propoſitum, quantum exigit naturalis propenſio, contriſtaretur, quod fecit quàm maximè fieri poteſt.

5. Ad eandem etiam cauſam ſpectat, quod prævidit mortem ſuam inutilem multis futuram, licet tam multa pro hominibus præſtitiſſet: licet tan o ſalutis eorum deſiderio teneretur; it que multos damnandos, ac neglecturos fuſum ipſius ſanguinem: qua de re conqueritur Iſaiæ 49 *Et ego dixi, in vacuum laboravi, ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi*: Sed quantum ea res animum eius pupugit, cum vidit multos ex ſua paſſione, occaſionem capturos gravius peccandi, & ex illa futurum ut multi gravius damnarentur, unde omnibus ſalutem, & beneficia, & beatitudinem quæſierat?

Iam ſi cauſam formalem ſpectemus. Nemo unquam ita cognovit uti Chriſtus peccati malitiam. Sive 1. in ordine ad Deum comparetur, cuius eſt offenſa: vide autem quanta: ut ſcilicet ſi Deus mori poſſet, ſolo peccato moreretur: ſi poſſet perire, atque eſſe amittere, id tantum per peccatum fieret: vide etiam cuius Maieſtatis eſt offenſa, ſcilicet, inæſtimabilis, incomprehenſibilis, infinitæ: peccatum autem creſcit proportionaliter in ratione offenſæ, ſecundum gradus dignitatis perſonæ quæ offenditur & etiam offendentis; ſi aut plurimum diſtat ab ea quæ offenditur, aut aliquid ei debet. Sive 2. ad creaturam comparetur, cuius eſt ſumma miſeria, & in merito: Quod ſi 3. ut dicunt Theologi privationes nonniſi ex formis cognoſci poſſunt; ſi peccatum gratiæ privationem infert, & gratia eſt participatio divinæ naturæ, quis peccatum noſſe ita potuit uti Chriſtus propter perfectiſſimam naturæ divinæ cognitionẽ? 4. Nemo unquam ita novit quantitatẽ pœnæ quæ & peccatis debetur, & quæ eſt: uti Chriſtus. Item 5. nemo ita novit magnitudinẽ ſuæ paſſionis quam inferre potuerunt creaturæ, ſed noſſe non potuerunt. Cum itaque dolor creſcat non tantum ex parte obiecti materialis, ſed etiam, idque multò magis, ex parte formalis, cumque Chriſtus utriuſque perfectam ha-

Digitized by Google

buerit cognitionem, eâque uſus ſit ad ſummũ in ſe dolorem excitandum, oportuit abſque dubio ut eum ad ſummum perduxerit.

Relinquitur ut ex fine, illius magnitudinem colligamus.

1. Enim ſicut Chriſtus patiendo dolorem in ſenſu, ſatisfecit dolori ſenſus, quem homines luere debuiſſent in inferis; ita interius dolores ferendo ſatisfecit mœrori, qui contingit damnatis ex amiſſione gloriæ. Cogita igitur quanta ſit in damnatis deſperatio, quantus mœror, quis dolor, qui exprimitur per fletum illum æternum de quo Chriſtus, *ibi erit fletus & ſtridor dentium*: Atque hinc æſtima quantus fuerit Chriſti dolor, qui omnium mortalium doloribus debuit ſatisfacere.

2. Cùm homines ob peccata ſua conteri debeant, Chriſtus ſaltem æquare debuit dolorem contritionis, quem de ſuis peccatis homines habere debuiſſent; quod & cumulatiſſimè præſtitit, cum & peccatorum multitudinem noſſet, & gravitatem, atque intelligeret quantum eſſet Deus offenſus, & ſummo tum in Deum, tum in homines amore ferretur, cum ſcilicet illum maximè peccatis offenſum eſſe ſciret, hos verò maxima inde detrimenta cepiſſe.

Ex his omnibus cauſis ſimul concurrentibus factum eſt ut Chriſtus totus triſtitiâ repletus fuerit. Nam 1. appetitus ejus inferior reſpectu objectorum ſenſibilium, & rationi conformium, & Chriſto convenientium ita repletus triſtitiâ, ut nullum planè gaudium, immò nec ſolatium ex quocunque objecto perciperet. Licet enim ex Dei contemplatione redundare deberet delectatio, omnem triſtitiam excludens, in appetitum ſenſitivum; Dei tamen diſpenſatione factum eſt, ut ea delectatio eò non pertingeret: ut, ſicut loquitur Ambroſ. Chriſtus Dominus ſequeſtratâ omni Divinitatis æternæ delectatione, tædio noſtræ infirmitatis afficeretur.

2. Voluntas ejus naturalis, ſive inferior, eâdem triſtitiâ plena fuit: quoniam ſemper ſequitur appetitum ſenſitivum.

3. Voluntas ejus ſuperior reſpectu objectorum ſpiritalium, ut erant peccata hominũ, triſtitiam pariter admittebat, licet eodem tẽpore beata ſimul eſſet, ob amorem beatificũ & gaudium inde conſequens. Potuerunt enim in eadem voluntate, divina virtute iſti duo actus reperiri, gaudium ob beatitudinẽ, & triſtitia ob mortem, vel ob hominum peccata, quia hi actus non ſunt propriè contrarii, nec verſantur circa idem objectum, & ſecundum eandem rationem: quantum ergo divinâ virtute fieri potuit, etiam Chriſti voluntas, hâc triſtitiâ plena fuit. Hinc etiam, fuit ſumma, quòd conjuncta fuerit cum privatione omnis conſolationis: Nam factum eſt ut unus actus alium non impediret; nec gaudium ſuperioris partis in aliam derivaretur; nec denique aliud ſolatium adhiberetur, quod triſtitiam vel minueret, vel levaret. Etenim humanum non habuit, ſecundum illud Pſal. 68. *Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit & qui conſolaretur & non inveni.* Nec etiam divinum, uti dictum eſt. Cœpit ergo triſtitia in horto; aucta tamen eſt in progreſſu, quia dolor ſenſibilis acceſſit interiori; & ſumma facta eſt in Cruce, cum dixit, *Deus meus ut quid dereliquiſti me*: Sed in horto tanta fuit, ut plus quã ſufficeret ad eum perimendum; ſecundum illud. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: Nam quemadmodum Heli ſummus Sacerdos cum audiſſet filios ſuos in bello occiſos, inſuper & Arcam captam, retrorſum cecidit & interiit; ejuſque nurus, tot auditis infortuniis, expiravit: Ita Chriſtus triſtis fuit uſque ad mortem quã oppetiiſſet niſi divina virtus impediviſſet.

Atque hinc facile intelligimus quod docet Suarez, Chriſti dolorem ſuperaſſe quoſcunq; dolores hominum & Angelorum de quocunque objecto: Omnes enim eorum dolores vel ſunt naturales vel ſupernaturales, vel honeſti, vel pravi: Quoad ſupernaturales honeſtos

ſtos, cum Chriſtus habuerit majorem gratiã, ſuperavit in intenſione omnem actum virtutis, cujuſcunque creaturæ, quia Chriſti gratia fuit ſupra omnem virtutem creaturæ: Chriſtus autem doluit de peccatis hominum ſecundũ totam intenſionem ſuæ gratiæ & charitatis. De omni porrò parvo dolore facile probatur: quia ejuſmodi dolor fit tantum viribus naturæ, nulla autem naturalis potentia exercere poteſt actum æque intenſum, ac Chriſti gratia in ſuo ordine: Itaque aſcendit hic dolor ſupra omnes hominum & dæmonum dolores cujuſcunque rationis ſint.

Hactenus de cauſis dictum eſt: Quod ſupereſt, effectum continet ingentis illius doloris qui ſic exprimitur Lucæ 22 *Et factus in agonia prolixius orabat: Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram:* Tria dicit: orationem, agoniam, & ſudorem ſanguineũ. In oratione 1. illud conſideratione dignũ eſt, neceſſe fuiſſe ut gravi dolore premeretur, cũ illa tormenta ſibi objecta tantâ contentione deprecetur: nimirum, ut ait Apoſtolus, *cum lachrymis & clamore valido*, & propterea procul ab Apoſtolis oravit, *avulſus ab eis*, idque tribus vicibus fecit, & ſemper idẽ Patri proponens, ſpatio trium horarum, & humi proſtratus, omni animi & corporis contentione. Ille qui hanc horam & tandiu, & tantoperè exoptarat; qui dixerat ſe habere calicem quem biberet, baptiſmum quem expleret, & ſe vehementer coarctari donec id faceret; ille qui ſuos erudierat ad martyrium; qui vitæ neglectum ſuis impreſſerat; ille qui ad hunc finem venerat; qui ad hoc Patris præceptum acceperat; qui tanto divinæ gloriæ ſtudio; qui tanto hominum amore tenebatur; ille qui ex ſuâ morte tam magnos fructus expectabat; ille qui mortis ſuæ neceſſitatem non ignorabat: idem tamen iterum & tertiò magna animi contentione & ardore, cum multo fletu, Patrem orat, ut tranſeat à ſe calix iſte. Ille qui diſſuadentem Petrum ita repulerat, ut Satanam vocaret, *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?* Ille qui Patrem oraverat ut ſe clarificaret, nempe Crucis exaltatione; ille qui ſciebat ſe nihil præſtiturum, niſi moreretur, & ex morte ſuâ magnos fructus proventuros; *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum* Idem tamen vultu in terram demiſſo & affixo, ſummâ humilitate mortem à Patre deprecatur. Neceſſe eſt igitur ut ſummo dolore prematur atque urgeatur.

Vnde II. meminit Evangeliſta ſummæ agoniæ, in quam ſe conjecit: ſignificat autem illa vox, 1. ſummam animi anguſtiam, quæ facta eſt à dolore animum ejus comprimente: hoc enim habet dolor, ut circa præſens malũ verſetur, ſicut metus erga abſens: cum itaque jam immineret hora paſſionis, unde ſtatim poſtea dixit Matth. 26. *Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum: ſurgite eamus, ecce appropinquavit qui me tradet:* hinc factũ, ut omnia ſua tormenta conſpexerit ut præſentia, & ita ſe vehementiſſimo dolore compreſſerit ſeque in anguſtiâ & in ſtricto poſuerit, quaſi effugere non poſſet. 2. Significat conflictum, & certamen: fuit autem in primis duarum partium ſuperioris & inferioris: cum enim pars ſuperior in inferiorem repercuſſu quodam refunderet triſtitiam illam ex mortis certitudine conceptã, vehementius ipſam cõmovit, totamq; complevit: cùmque in eâdẽ pugnâ voluntas naturalis & ſenſus ad orationẽ cõfugerẽt, petendo à malis liberari, voluntas ſuperior & deliberata, noluit niſi inefficaciter idem Deo proponere, unde inferiori reſiſtebat, & petitionem corrigebat, dicens: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Deinde certamen fuit duorũ affectuum in Chriſto, quos ipſe volens in appetitu ſuo excitavit, nimirum timoris, & audaciæ: Chriſtus enim naturalia affectu timuit, & tamen deliberata voluntate, & efficaci, & actu appeti-

Digitized by Google

tus à voluntate imperato, mortem, & omnes dolores ſibi propoſitos efficaciſſimè amplexus eſt, & eò duplici & contrario affectu ſe impulit: Et quoniam omnis paſſio, præter actũ appetitus habet etiam immutationem corpoream, hinc fit ut ex contrario affectu, duplicem in corpore motum paſſus ſit: unde ſecutus eſt, III. ille prodigioſus effectus de quo S. Lucas cap. 22. *Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*

Quidam ut Theophylactus & Euthymius in hunc locum videntur agnoſcere proverbialem hyperbolem; ut cum dicimus de homine valdè anxio, ſudaſti ſanguinem: ſed verè Athanaſius dicit Anathema illis qui negant Chriſtum ſudaſſe ſanguinem. Id verò fieri poſſe docet Ariſtot. l. 3. de animal c. 19 maximè in deliciatis complexionibus, & iis qui poroſo & raro ſunt corpore, & ſanguinem habent ſubtiliorem: nam ſæpe cum ſero ſanguinis, ipſe cruor ſubtilior in poroſis corporibus excernitur: angor enim inflammat corpus, extenuat ſanguinem, & poros aperit, atque ita ſanguinem excernit, maximè, ſi jam corpus exſudarit omnem conſueti ſudoris materiam, uti ubera deficiente lacte, ſanguinem emittunt. Id ferè conſentit cum eo quod eruditus Cajetanus ait, ubi magnus eſt dolor, & ad vehementiam ſuam perductus, ab eo violenter & copioſè ſudorem emitti, ſed cum omnino exhauſtus eſt ſudor, erumpere ſanguinem. Scio illud quidem ita improbabile viſum fuiſſe Armenis, ut hæc è ſacra Scripturâ abraſerint, utpote qui illud cenſerent indignum magnitudine ac majeſtate Dei, minus attendendo, ſe quod majeſtati tribui & conſervari volunt, id ſubripere clementiæ ac miſericordiæ, ad quam totum illud myſteriũ pertinet: Quare adhæreſcere nos oportet ad dignam omni fide veritatem Evangelii. Cum porrò ille ſanguineus ſudor fuerit copioſus, non ejus cauſa fuit triſtitia, ſed actus fortitudinis & audaciæ; quo Chriſtus deliberata voluntate, atque actu appetitus à voluntate imperato, mortem & acerbiſſimos dolores ſibi propoſitos amplexus eſt, & naturalem horroris affectum ſuperavit. Cum enim naturaliter timor cor contrahat, & ad ſubſidium cordis, naturaliter ſanguis ad illud confluat, & è contrario per audaciam cor dilatetur, & ſanguis incaleſcat, & ad partes exteriores rejiciatur: in illo duorum affectuum conflictu, nunc ſanguis ad cor confluebat, nunc à corde in exteriora rejiciebatur, alterna reciprocatione: Sed cum naturalem timoris affectum audacia ex virtute ſuperaret, tanto impetu ſanguis ad exteriora rejectus eſt, ut per poros corporis magnâ copia ex venis eruperit, unde ille ſudor ſanguineus ex toto corpore emanavit. Hinc ſolum ſanguine reſperſum eſt, & omnia veſtimenta, & totum corpus maduit ſanguine, qui ob aërem ex nocte frigidum in thrombos eſt condenſatus, unde guttæ ſanguinis, & ut ex Patribus aliquis loquitur, globi ſanguinei: Non igitur ſolum fuit ſudor ſanguine tinctus, ſed verus ſanguis ex magnâ cõmotione emiſſus: Unde Bern. ſerm. 3. in dominicam Palm. ait Chriſtum non fuiſſe contentum oculorum lachrymis, ſed totius corporis ſanguineis lachrymis peccata flere, atque abluere voluiſſe: & ad litteram impletum quod Chriſtus ſæpè dixerat, ſe habere baptiſmum quo baptizari debebat & coarctari donec illum impleret.

Et certè quidem, ô mi Salvator, Baptiſmus eſt planè, tuus ille ſanguinis ſudor, cum ſacrum corpus tuum eo penitus intinctum ſubmerſumque ſit. Proh Deus, quale ſpectaculum, nunquam viſum hactenus ab omni ſæculorum memoriâ! Erat toto corpore extenſus, depreſſa humi facie, expanſis brachiis, eodem modo quo illa protenſurus erat in Cruce, orabat, obſecrabat, obteſtabatur Patrem *cùm lachrymis & clamore valido*, cum lachrymis, inquam

Digitized by Google

inquam, uberrimis, quas fundebat ex oculis, & cum copioſo ſanguine qui ab corpore fluebat: perinde ac ſi eius oculi non ſatis eſſent ad flendum insuper cum clamore valido & voce clara: Id enim verò fecerat, ut amoveret ſe procul ab Apoſtolis, orationem ſuam ſingultibus interrumpens, *&c.*

His ita poſitis probatiſque, ex illo tam ſtupendo ſpectaculo quod nobis inſtar antecedentis exiſtat, concluſiones nonnullas eliciamus, quas nobis eſſe neceſſarias arbitror.

I. Eſt, malitiam peccati eſſe planè extremam & prodigioſam, cum appetat Deum, & in eum invadat, agatque tam acerbè ſicut anteà vidimus *Tibi ſoli peccavi*. Illius prætereà immane ac monſtroſum eſſe pondus, quandoquidem eius oneri robur Dei ſuccumbit. Quid ergo cogitant homines, qui peccato peccatum adjiciunt, ſeque tot offenſis onerant; ut ipſos Dei humeros inflectant? Nimirum ut intelligas, peccator, huiuſce Pſalmi verſiculum: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*: Hebræus textus habet, ſuprà vires meas: tanto enim peccata tua ſunt numero, ut te ipſum inundent, quemadmodùm aquæ imbribus inflatæ eluvio, caputque tuum tranſcendant; neque facilius iniquitates tuæ dinumerari poſſunt, quàm capilli capitis tui; at earum pondus onuſque, ita gravè ac intolerandum eſt, ut eo te inflecti atque obrui oporteat: *Et ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*, id eſt ſuper vires meas. Dum igitur ſubit mentem peccati committendi cogitatio, cogita num tibi vires adſint ferendæ pœnæ illius peccati quod audes committere. S. Martinianus cum ad carnis peccatum provocaretur, ignem accendit, in eumque pedes immiſit dicens, Experire Martiniane, num poſſis ignem inferni ſuſtinere, ad quem hoc peccato te obligare vis: & igne externo internum extinxit. In hunc ſenſum nonnulli exponunt illũ Iſaiæ locum cap. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Compara verò habitum alicujus peccatoris & Chriſti Domini: Hic jacet proſtratus & afflictus ſine viribus atque robore, ille vivit erectus, ſtans, ac ſine ſenſu, quaſi verò peccatorum onus ad ipſum non pertineret: Quàm longè aliter qui ajebat Pſ. 118. *adhæſit pavimento anima mea*: & ille alter, qui cum minas Dei audiſſet, ambulabat demiſſo capite: Et Ioſias 4. Reg. c. 23. qui cum audiſſet minas in libro legis contentas, ſcidit veſtimenta ſua. Sed nimirum intolerabilis eſt peccatoris audacia, & impudentia, qui ſuarum rerum ſecurus vivit, cum in ſummo periculo verſetur.

II. Concluſio, Quid putas cauſæ cur Chriſtus ſe hoc modo in terram proſtraverit jacentem toto corpore, niſi ut noſtra ſcelera retardaret, ne per ejus corpus impiè tranſeamus, quaſi ſeipſum currenti opponeret? Hic venit in mentem deteſtabile facinus furentis mulieris, de quo Romana Hiſtoria. Nupſerat illa Tarquinio, qui ut regnum invaderet, privignũ virum bonũ per Curiæ gradus præcipitem egit, ac defuncti corpus medium in vicum projecit, olim Cyprium nuncupatum, ſed dictum poſtea ſceleratum, ob facti immanitatem. Tullia ejus filia in occurſum mariti, curſu rectà veniebat, cumque in vicum Cyprium itineris neceſſitate perveniſſet, Patris corpus in ſuo ſanguine volutatum reperit. Ad Cadaveris aſpectum equi reſtitêre, quaſi facinus ipſum exhorreſcerent: At ipſa moram indignata, increpans aurigam, equis inhumanior, illos per medium Patris corpus nolentes, ac reluctantes admiſit: ſibique viam fecit per parricidium; eo ſceleratior quod nec parenti mortuo, & jacenti pepercerit: quid feciſſet vivo, atque ſpiranti? Quid tu huc oculos ô peccator? Quid impietatem d... ...as? Quid accuſas furorem, quem non ſolum ...

taris ſed ſuperas? Quoties tibi in adulteræ domum ingredienti occurrit Chriſtus in veſtibulo iacens & proſtratus, ut te properantem retardaret? Sed quid à te impetrare potuit? Non eius dignitatem attendiſti, quia Deus: non authoritatem, quia Dominus & Rex: nō reverentiam, quia Pater, non ſtatum miſerabilem, quia iacens: ſed per ſcelus, per ſacrilegium, per contemptū, per ludibrium, & ſanguinem pedibus conculcaſti, ait Apoſtolus, & corpus iacentis, criminis tui iter feciſti. Ita enim de peccatoribus iudicabit Apoſtolus. Tu videris, dum ad aliud tranſeo.

III. Itaque concluſio. Hinc etiam diſce quantum malum ſit peccatum quod talem in Chriſto triſtitiam excitavit: Certè ſumma eſt hominis infamia quod ſolus Creatorem ſuum ita contriſtet: de reliquis ait David Pſ. 103. *Lætabitur Dominus in operibus ſuis*, quia omnia ut ſuo authori obediunt: At de homine Geneſ. 6. *Pœnitet me eum feciſſe*: Et iam, ecce Chriſtus Dominus ſummo dolore afficitur. Attende itaque quantum ſit malum peccati. Etenim in Chriſti animâ erat infinita dulcedo beatitudo & gaudium, & peccatum tuum in cor eius coniectum, velut amarum quid totam illam dulcedinem diſturbat. Vna tantæ ſuavitatis guttula, ſi in Infernum deſcenderet, illum dulcem efficeret: nam vel unam beatitudinis guttam petebat ab Abraham Dives impius ad ſe refrigerandum in Inferno: & una eiuſmodi ſufficit, ut omne martyrum dulce ſit, ut Stephano lapides, Crux Andreæ, Laurentio ignis, ſint inſtar paradiſi: Tantam ergo Chriſti Domini dulcedinem quam habebat ex beatitudine, quid fecit amaram? peccatum ſolū: O rem ſtupendam! Pelagus omnium amaritudinum, Infernis, unâ Dei guttâ dulceſcit; & Pelagus omnium dulcedinum, Beatitudo, uno peccato fit amarum.

Hinc etiam fontem habes unde triſtitiæ veræ & contritionis aquas haurire poſſis. Si enim ipſe tantum pro peccatis noſtris conteritur, ut inde ſanguis exeat, quid iam par eſt nos facere, qui peccavimus? Si ergo ille dolor exemplar illius quem habere debemus in Confeſſione: Etſi non habemus, hinc petamus ut à fonte, noſtrumque illi iungamus: hæc enim Chriſti triſtitia omnem nobis triſtitiam meruit & contritionem de peccatis noſtris, ut triſtitia noſtra & dolor à Deo recipiatur.

Poſtremò, cum Filius Dei, tàm acerbè à peccato habitus ſit nonne crudelitas eſt temeritaſque pluſquam barbara, non deſiſtere ab affliciendo iniuria & contumeliis Deo tam bono, & ad morem ita proclivi? Agedum, peccator: conſidera Salvatorem tuum humi proſtratum ſine viribus, penituſque afflictum horribili peccatorum tuorum pondere. Tibi ne propoſitum eſt pergere ita pertinaciter, ut eius ſupplicia miſerationem tibi nō commoveant, neque te ſanguis ipſius molliat, neque te eius charitas inflectat? Sat hodie noſti, quo pacto peccata tua ſint offenſæ in Deum, cum eas tam carè luat. Quod lugere lachrymis nō potes, id lavat ſanguine ſuo. Quod tibi cor nō tangit, eum dolore interimit. Vide quot peccatis lapidatur à reliquis hominibus: Cur te vis eorum crudelitati adiungere? Quid facit lapis iſte in tua manu tot ab annis? peccatum iſtud in conſcientiâ tua? meditatiſ-ne æternū triumphare de ipſius patientia, eumque ad charitatis ſuæ deſpicientiam vexare ſemper: Audi quomodo ſanguis ille profuſus vindictâ adverſus te clamitat, apud Ier. cap. 18. *Attende Domine ad me, & audi vocem adverſariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii, &c. Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum adverſum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conſpectu tuo, in tempore furoris tui*

abutere

Digitized by Google

abutere eis: Eæ ſunt minæ, imò punitiones horrendæ, quæ caput eorum obterent, qui ſe pertinaces obſtinatoſque præſtabunt tuique ſimiles, ô peccator, quē nullo ſenſu afficit ſpectaculum maximè omnium quæ unquam extiterint tragicum. Cogita hæc tibi, vel ob te, inculcata eſſe Iobi verbi c. 16. *Terra ne operias ſanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus*. Apprimè ſcis te terram eſſe: Terra enimverò quam calcamus, ſenſu omni caret. Cur nam Filii Dei ſanguinem abſcondere ac obtegere ſtudes: Memento illum abdi non poſſe, quia clamitat, 1. miſericordiam, dein ultionem, ſi contemnitur. Eheu, quàm dudū miſericordiam pro te clamitat, cum te tandiu toleraverit Deus, teque ad pœnitentiam expectet: Cur obſtare vis, ne pro te veniam poſtulet: Cur eum, miſer, in vindictæ clamorem convertis: Ita loquitur S. Gregorius textum hunc explicans: Locum latendi, clamor eius invenit, ſi hoc quod mens reddit lingua tacet. Equidem non patiar ut in me tacendi locum reperiat, quandoquidem nihil à me dici aliud hoc in genere oportet, niſi quod clamat.

O precioſe Dei mei ſanguis in terram effuſe pro ſalute peccatorum; Valdè mihi honorificum eſt, oris vicem tibi præſtare, meæque linguæ opera, perſonare omnia clamore tuo. *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*. Cum cœlo primum ago, vocemque intendo uſque ad Thronum Dei.

Pater Sancte: Sanguis Filii tui tàm recenter profuſus ex ipſius venis, emiſſuſque peccatorum cauſa, veniam iis poſtulo, iis miſericordiam, culpæ ipſorū oblivionem, & remiſſionem pœnæ. Iram, ô Deus, tuam comprime, tuæque iuſtitiæ ſeveritatem. Verum eſt, illorum peccata, ingrati animi vitia, magna crimina, extremáque flagitia mereri omne ſupplicii genus ea punituri. At, nonne ſat tuam ultus iniuriam fuiſti, videns me humi fuſum pro ipſis: Tanti valeo ac eorum ſanguis, quādoquidem ſanguis Dei ſum, cuius ego venas deſervi, ut ſanguinem peccatorum protegerem. Eheu: me terra copioſè ebibit: totus iā refrigui, concretuſque ſum in illius rimis. Fac ô Pater, ut iracundia tua iamdudum in homines accenſa refrigeſcat, penituſque abeat: reſpicient me forſan, ſeque charitati meæ dedent.

O terra, minimè quidem illa tu, quæ me accepiſti, cum ſis ſenſus omnis expers: ſed tu pro qua effuſus ſum, audi verba mea: meum auſculta ſermonem, clamoribus meis aures adhibe. Conſidera me pro tuis offenſis fluxiſſe in pulverem, atque ad ſatisfaciendum tua cauſa Deo, quem exulceraſti. Sola culparum tuarum cogitatio, & flagitiorum tuorum abominatio, diffiderunt omnes Filii Dei venas, feceruntque ut in terram magno æſtu erumperem, quò tibi pretium largirer, ac darem in manum unde ſatisfaceres Deo quem offendiſti: Vt ederem hoc balneum ſalutare, ubi te in meipſo ablueres, omniaque demergeres peccata, ſicut Ægyptii in mari rubro demerſi ſunt: Vt tibi cor mollirem, obſtinatius & durius adamante: Vt curſum iniquitatum tuarū inhiberem: Vt commiſeratione te moverem: Vt tibi animum inducerem ac ſtudium ſanguinis tui pariter fundendi, quò pœnitentiam obeas culpaſque tuas expies: Vt te ſenſu afficerem, & metu, ob numerū ponduſque peccatorum tuorum, quæ Deus ipſe ſuſtinere nō poteſt, & quæ veniam obtinere nequeunt, niſi effuſione ſanguinis Dei: Vt cogitationem tibi ſubjicerem atrocium immaniumque cruciatuum qui te manent, & ſanguinis qui tibi copioſè fundendus eſt: tibi qui reus ipſe es: ſiquidem ſola ſcelerum tuorum cogitatio tantam ſanguinis copiam vi ac violentia Filio Dei eripuit. At quandoquidem tua cauſa effuſus fui, cur non ſumis uſurpaſque commodum & lucrum, quod tibi ſuppedito & largior, ac rationem quam tibi offero ad veniam tibi obtinendam: Etiam ne aſpernari me & calcare pedibus velles, ac ſacrilego faſtidio querelam

Digitized by Google

lam meam reſpuere! Cur me inutilem eſſe vis, cum tanti ſim pretii? per me potes veniam conſequi, conciliare tibi Dei amicitiam, te in ejus gratiam inſinuare, paradiſum emere. Pluris quàm totum illud valeo, & me manu tuâ gerendo in pretium rei quam efflagitas, nimium expoſcere non potes. Velles-ne peccatis omnibus tuis, mei etiam valoris contemptum adjicere; ac poſteaquàm te maximæ rerum creatarum partis abuſus reum feciſti, reum te inſuper efficere ſanguinis Filii Dei? Si non concedis precibus meis amantiſſimiſque hortationibus, ſcias me vocem mutaturum eſſe, ac loco miſericordiæ quam tibi procuro, clamitaturum adverſus te vindictam. Deus Maximus exaudiet me. Cœlum voci meæ annuet: ac omnes creatæ res ſe ad querelas meas accommodabunt. Auditus eſt Abelis ſanguis adverſus fratrem: Ego adverſus te non audiar? Sanguis animalium in ſacrificiis fuſus, ſibi audientiam fecit in cœlo, quamcumque ob cauſam oblatus fuerit: Mihi verò cœlum audientiam non dabit? Aures igitur adhibe peccator, & auſculta preces meas. Attende me à terrâ ebibi propter te. Deum tuū inſpice viribus plane exhauſtum, in extrema afflictione animi, pergentem orare pro te, humi affixo vultu, inſperſum ſuo ſanguine, quem mœrore ſummo ac dolore undique profundit. Sin poſtulationi meæ non concedis, Deus Cœlum, omnes creaturæ mihi ad teſtimonium aſſiſtant, meque de manibus tuis requirant, cum effuſionis meæ reus ſis.

Neſcio, Chriſtiani, quid reſpondeam, ita benevolo tragicoque ſermoni. Nam præterquam quod ſenſus, propoſitaque animi veſtri me latent, experientia pernovi peccatorum pertinaciam & duritiam, qui neque blanditiis vincuntur, nec minis; qui nec ab irato, nec ab afflicto propter ſe Deo flecti ſe ſinunt. O quàm deplorandus eſt ſtatus, eſſe reprobum! O quam lugubris eorum exitus eſt, qui obduruerunt obſtinatique ſunt in peccato: Ad vos, Animæ ſanctæ, potius me converto: Voſque obteſtor ut colligatis pretioſum illum ſanguinem, nec ullam ejus guttulam remanere humi ſinatis. Pacis Angeli, qui non pepercistis lachrymis veſtris, *Angeli pacis amarè flebant* nam; opem ad id veſtram nobis præbete, Tuque ô ſancta Anima, Salvatoris tui faciem, & ſudorem, & ſanguinem abſterge. Dolorem hunc divinum aſſume, quo delectam in te imaginem Dei reformes. Hodie cum ipſo afflictiones pati diſce; conformare te ad Dei voluntatem; ſanguinem tuum cum eo profundere. Illius ſanguis meritum tuum eſt: tuum eſt grati animi officium: ſanguis ipſius merces tua evadet. Amen.

* * *

III. PARS

Digitized by Google

III. PARS. SEU ALIA CONCIO.

De pœna pudoris, & contumeliarum; Quæ pœnâ ad dolores internos pertinet.

Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. Pſal. 43.

QUOD pleriq; Sancti Patres, ſcriptis mandarunt, Ieſum Chriſtum nobis datum fuiſſe à Patre ſuo, tanquam librũ mirabilem, in quo literis conſignavit magna pleraque myſteria, noſque præclara veritatis arcana plurima edocuit; fundamentum habet in Sancta ſcriptura, uti cap. 2. Ezechielis & cap. 5. Apocal. Verum ſicut nunquam ſublimius exhibitus fuit hominibus, neque in maiori evidentia poſitus, quàm cùm elatus eſt in Crucem, quemadmodum docet Paulus in Epiſt. ad Gal. cap. 3. *Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus*, cum ea propoſitio nobis æquè manifeſta extiterit, ac ſi in ſingulis terræ partibus ac locis crucifixus fuiſſet: Ita volo illum conſiderare, in eo præcipue ſtatu, & vobis prælegere quod in ipſo continetur; quod quidem Propheta Ezechiel tribus verbis cõplexus eſt: *Et ſcripta erant in eo Lamentationes, & carmen, & væ.* Verba Hebræa ſignificant lamentum, gemitum & planctum, quæ univerſa in ſua extenſione nihil denotant niſi dolorem & afflictationem, niſi laborem & cruciatum. Sed quoniam in eodem loco dicitur, librum hunc fuiſſe ſcriptum intus & foris; ut nullam divini illius ſcripti partem omittam, aggrediar ad legendum coram vobis quod in eo myſteriis pleno codice interius, quandoquidem uſquequaque ſcriptus, nobis notat & obijcit incredibiles Ieſu Chriſti dolores, tum in animo ac intus, tum in corpore ac extra ſuſceptos. Incœpi jam ab internis doloribus, qui omnium graviſſimi ſunt, vobiſque diſſerui de extrema illius triſtitia, quæ mortem inferre ipſi potuiſſet, niſi ſe ad afflictationes alias reſervaſſet. Mihi reſtat hodie, ut diſſerã de ipſius (verbo parcite) cõfuſionibus, & abjectionibus, quas ſubire voluit cõſtitutũ habens mori in Cruce, ſecundũ hæc Apoſtoli verba, *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confeſſione contempta.* Cum enim poſſet continere ſe in gaudio gloriæ ſibi debito, Crucis optionem fecit, neglecta confuſione quam ipſi hocce mortis genus illaturum erat. Sed rem aggrediamur.

QVOD perpetuum fuit in Chriſto Domino, ut quod videbatur, minus eſſet, & quod nõ videbatur, illud ſemper eſſet maius: unde Iſaias, *Verè tu es Deus abſconditus*: Et in Evangelio, *ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito*: Illud etiam in Paſſione locum habet. Nam etſi quæ paſſus eſt exterius ſint acerbiſſima, ea tamen quæ paſſus eſt interiùs longè fuerunt graviora. Porrò inter cætera quæ paſſus eſt interius, non minimum ſupplicium fuit Confuſio, de qua tam ſæpe in Pſalmis conqueſtus eſt Pſalm. 43. *Tota die verecundia mea contra me eſt*; Quaſi diceret mihi ſemper ob oculos obverſatur, quantus ſit pudor, ut cum ego talis ſim, tamen tanta patiar. Cur non conqueri-

queritur de vinculis, cur non de flagellis, cur non de corona, cur non de Cruce? Quia ſcilicet perſonæ ingenuæ plus ſentiunt ignominiam quàm dolores, plus animi pudorem, quàm corporis cruciatum. Id confirmat Paulus ſcriben ad Hebr. 12. *Aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta*: Dicere potuiſſet, dolore contempto: ſed non debuit: Quia plus eſt contempſiſſe Crucis ignominiam quàm cruciatum. Vnde cum dixit Chriſtum Patri fuiſſe obedientem uſque ad mortem, ſtatim vocem geminat, *mortem autem Crucis*, ut ſcias obedientiam fuiſſe uſque ad mortis genus ignominioſiſſimum.

Porrò confuſiones paſſus eſt multiplices, ita ut ex Davide, confuſionibus, quaſi veſte indueretur, *Operiatur* (inquit) *ſicut diploide, confuſione ſua*. Vnas enim à ſe accepit, alias à Patre, alias ab hominibus, & à ſingulis multiplices.

1. Confuſio quam à ſe accepit ſic exprimitur ab Evangeliſta, *Cœpit contriſtari & pavere, & tædere, & mæſtus eſſe*.

Nota 1. Licet affectiones nominatæ videantur eſſe infirmitatis & eam indicent, non tamen rejiciendas eſſe à Chriſto, nec metaphoricè ſed propriè exponendas: Sic enim rectè cenſuit Ambroſ. lib. 10. in Lucam de hoc naturali ſenſu ſuſceptæ ad tempus infirmitatis loquens. Ego autem, inquit, non ſolum excuſandum non puto, ſed etiam nuſquam magis pietatem ejus, majeſtatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Ergò pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret, &c. Suſcepit triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur: & veſtigijs noſtris, deſcendit uſque ad mortis ærumnam, ut nos ſuis veſtigijs revocaret ad vitam. Confidenter ergo triſtitiam nomino, quia Crucem prædico. Neque enim ſpeciem incarnationis ſuſcepit, ſed veritatem. Debuit ergo & dolorem ſuſcipere, ut vinceret triſtitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem: Hæc ille.

Nota 2. Confuſionem oriri poſſe ex duplici capite, vel ex defectu corporis, vel ex defectu & incapacitate animi. Prima non eſt admodum gravis, quia defectus externi non admodùm debent æſtimari; tùm quia ferè non ſunt in noſtra poteſtate, tùm quia ut perfectiones corporis ſunt omnium minimæ, ita eius imperfectiones, non multum fieri debent. Secunda majoris eſt momenti, & longè gravior: quia defectus interni ſemper ſunt graviores; plus enim dependent à nobis; magis noſtri ſunt; & ad præcipuam hominis partem, hoc eſt ad animum ſpectant.

Nota 3. Sic diſtinguendas eſſe iſtas affectiones, ut triſtitia proveniat ex apprehenſione objecti mali & diſconvenientis jam præſentis, ut ſi jam ſentiretur, aut ita certi, ut pro præſenti habeatur: Timor autem fit ex apprehenſione mali ardui imminentis, hoc eſt, quod judicetur vitari vix poſſe, & proximè futurum: Tædium vero ſit deſolatio quædam quæ ad timorem, & ad triſtitiam addit quandam derelictionem; cùm ſcilicet homo ita triſtatur & timet, ut quocunque reſpiciat, non habeat effugium, aut ullam conſolationem: unde videtur tantùm addere puritatem quandam triſtitiæ & timoris; mœſtitia denique ex voce Græca ſignificet animi anxietatem uſque ad ſtuporem, ut qui mœſtus eſt, quodammodo fiat exanimis, & attonitus: quæ cum omnia Chriſtus ſit paſſus, ut ferunt verba Evangeliſtarum, patet ex iis Chriſtum periculi præſentis apprehenſione vehementiſſimè fuiſſe commotum.

Digitized by Google

Nota 4. Cùm Chriſtus toto ſuæ vitæ tempore noſtras omnes corporeas miſerias in ſe ſuſcepiſſet, nuditatem, paupertatem, ſitim, laſſitudinem, & ſimiles; nunquam tamen huc uſque in ſe infirmitatis animi exemplum ullũ dediſſe: unde ſequitur nunquàm aliàs ita ſe abjeciſſe, uti hoc tempore; cùm mœſtitiam, timorem, atque tædium in ſe ſuſcepit. Immò nec infirmitatem ſuam diſſimulavit; ſed Apoſtolis faſſus eſt *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et in infamiam ſapientiæ ſuæ & prudentiæ, & fortitudinis, ignaris hominibus, ac ſtupidis ſuum dolorem communicavit, quaſi conſilium, aut levamen, aut conſolationem quæreret. Hoc homines generoſi in laude ponunt, ut mortem imminentem non timeant. Quàm glorioſè illum ſuum contemptum efferunt! Chriſtus autem ut ſe hominum infirmitati accommodaret, volens ſeipſum dolori, mœſtitiæ, & timori tradidit. In quo neſcio, an ulla major unquam fuerit Salvatoris demiſſio, atque Divinitatis occultatio. Sed ſicut externis noſtris infirmitatibus ſe ſubiecit, fami, ſiti, ſomno, fatigationi, doloribus, ita etiam internis ſubiicere ſe voluit, quantum perſonam eius decuit. Non potuit quidem obnoxius eſſe peccato, non ignorantiæ, non ſubitis motibus paſſionum, & conſequenter, neq; affectibus involuntariis, nec in infima, nec in ſuprema animæ parte: ſed quoniam carnis, & ſanguinis particeps fuit, debuit ſaltem ſe per actus paſſionũ commovere, in quo omnes homines ſuperavit. Cum enim homines non ſint domini paſſionũ, fere non aliter illis commoventur, quam apprehenſione, & cognitione obiectorum: ſed Chriſtus quid potuit ſeipſum ad libitum commovere, id fecit ſumma animi commotione, ſumma triſtitia, ſumma agonia; ut ſummè pateretur interius; ut paſſionum noſtrarũ motus perſanaret, ac pro illis ſatisfaceret; denique, ut ne quiſquam animo concideret, ſi aliquando eiuſmodi tædia, triſtitiam & motus in ſe experiretur, cum hæc etiam in Chriſto fuerint ſine culpa, ac ſine culpæ ſpecie; ſed ſine ingenti confuſione, cum hi motus ſint infirmitatis, quam & ipſis Apoſtolis confeſſus eſt.

Ac ne tantum coràm hominibus confunderetur, voluit etiam ſic commotus apparere coram Patre ſuo: Itaque ad illum, & tribus vicibus, eandem infirmitatem confeſſus confugit; adhibita trium horarum oratione: non iam pro aliis, uti ferè ſemper alias, ſed pro ſe, tanquam in ſumma neceſſitate conſtituto, ſumma animi demiſſione & contentione ſupplicabundo. Nec fuit illi levis confuſio apparitio Angeli eum confortantis, non ſicut alias miniſtrantis; Nam licet Chriſto nil novi diceret, quod ipſe neſciret, ſed ſicut ſolent Duces milites fortiſſimos adhortari laudibus, & propoſita victoria, ei loqueretur; tamẽ hic ſtatus Chriſti illud Davidis implet in eo, quo dicit: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.*

II. Confuſio in eo fuit, quod cum peccata hominum in ſe acceptaſſet, coram Patre ſtetit quaſi illorum omnium reus, eò uſque, ut præ pudore, ſicut loquitur Propheta, operuerit confuſio faciem eius. Vt hoc intelligas, cogita quanta ſit peccatorum & ſcelerum colluvies, quantum malitiæ pelagus inexhauſtum quod totum mundum ab eius initio, uſque ad finem inundat. Quot impietates ſunt, quot idololatriæ, quot ſacrilegia, homicidia, furta, perjuria, injuſtitiæ, adulteria, fornicationes omnis generis impietatis, aut turpitudines? Quantum ſcelus Iudæ proditio, & deſperatio; Petri negatio, Iudæorum odium, Sacerdotum invidia & furor, & inſaturabilis crudelitas. Herodis ſuperbia. Pilati ignavia, & injuſtitia, militũ & tortorũ ſævitia atq; immanitas? Quãta ſępe ſunt vel unius hominis peccata? Quędam ſęcula nobilia ſunt ingentibus.

Digitized by Google

Quædam ſunt nationes ſceleratiſſimæ. Quot in hiſtoriis narrantur hominum portenta? Iam hæc omnia in unum collige, omnia etiam damnatorum ſcelera. Hoc totum clarè Chriſti oculis objectum, & ſimul ejus humeris, & capiti impoſitum, ut loco generis humani, ſe omnium reum eſſe cognoſceret, ſecundùm illud Iſaiæ 53. *Poſuit in eò Dominus iniquitatem omnium noſtrum.* Et poſteà. *Ipſe peccata multorum tulit.* Itaque, ſic orat in Pſal. 21. *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me? longè à ſalute verba delictorum.* Et Pſal. 68. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Quantum putas in eâ re ejus puritati fuiſſe horrorem, quantam averſionem & abominationem? Sicut ſi veſtis aliqua interior fœdiſſimis rebus undique aſperſa & inquinata, corpori delicato & nitidiſſimo indueretur, illudque operiret, & undique contingeret, magnum illi afferret horrorem & afflictionem: Ita peccatorum noſtrorum reatus, velut quoddam operimentum ex infinitis abominationibus contextum, ab illâ puritate aſſumptum, & arctiſſimè indutum, atque applicitum, maximum illi horrorem concitavit. Itaque hâc veluti ſordidiſſimâ veſte indutus, divinæ juſtitiæ oculis ſe obtulit tanquam reum, ſeque profundiſſimè coram ea abjecit, acſi omnia commiſiſſet; præſertim cùm omnia hominum peccata in ſe ſuſcepta diſtinctiſſimè haberet præſentia? Sanè omne peccatum confuſionem adducit, ſed præſertim homini juſto. Quantam igitur putas extitiſſe in Chriſto erubeſcentiam; Memento qualis fuerit ſummus ille Sacerdos, Ieſus nomine, apud Zachariam, qui xeſcribitur ſordidis veſtibus, dum & Satan dicitur ſtare à dextris ejus, & vehementer eum accuſare; Qualis pudor mulieris in adulterio deprehenſæ, atque adductæ ad Chriſtum; Qualis primorum parentum verecundia cùm ſe nudos viderunt, & ita abſconderunt ſe ſe, ne in Dei faciem incurrerent; Sed quantò major Chriſti pudor cùm ſe reum agnovit omnium mundi criminum eò quod omnes mundi iniquitates in ſe ſuſcepiſſet; Certè quoniam multi ſunt inter peccatores, audaces atque impudentes, *qui quaſi Sodoma peccatum ſuum prædicaverunt?* & de quibus ait Propheta; *agnitio vultus eorum, reſpondit eis*, & alibi. *Frons meretricis facta eſt tibi, neſcis erubeſcere:* ideò Chriſtus Dominus ut tantæ impudentiæ ſatisfaceret, confuſionem in ſe ſuſcepit.

III Confuſio, quam ſibi ipſe dedit, orta eſt ex acceptatione reatus quoad pœnam? ſecundùm illud Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras:* Nemo equidem reatum illum quantus eſt, ſatis æſtimet, niſi qui omnium hominum peccata numerare poterit & ponderare, ut ſciat & multitudinem, & malitiam: ac licet multi, ſuâ culpâ damnati, ferant ſuorum ſcelerum pœnas? Chriſtus tamen pro omnibus, quanmtum ſatis erat, ſatisfecit, etiam pro illis qui ante Incarnationem damnati ſunt: nam cùm Deus iſtis, dum viverent, reſpectu meritorum Chriſti, gratias, obtulerit, quibus ſi voluiſſent, ſalvari potuiſſent, oportuit ut hanc gratiam ſatisfactione ſuâ poſteà compenſarit. Iam quantùm ea res gravis fuit Chriſto, vel hinc æſtimare potes, quod non tanquam innocens paſſus ſit, reſpectu Patris ſui, ſed tanquam nocens: Vnde ſic clamat apud Davidem, *Deus Deus meus quare me dereliquiſti?* Se non exauditum conqueritur: *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum:* fatetur id ſe eſſe commeritum, ob peccatorum reatum quæ ſua vocat, quoniam ea in ſe ſuſceperat. Itaque licet Scripturæ vocent innocentem; *quia peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus:* licet Pilatus auditis omnibus Iudæorum accuſationibus, ſic de

illo

illo pronunciet: *non invenio in eo cauſam*: Item *quid enim male fecit?* Illud tamen intelligo quoad ſe, non autem quoad aliena: ſed fidejuſſor æquè tenetur aliorum debitis, atque ſuis; immò aliena facit ſua. Ad hæc, licet injuſtè reſpectu ſuorum Iudicum ſit accuſatus, & condemnatus, quia de falſis criminibus inſimulatus eſt, nec convenientia fuere teſtimonia, nec ullam in eo Pilatus cauſam invenit; tamen habita ratione Patris ſui non fuit innocens: *Quia poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrum*. Iam quàm parùm eſt hominum judicio nocentem eſſe aut innocentem eſſe, aut innocentem? Illud verò maximum eſt, quod ſis alterutrum reſpectu Dei, dicente Propheta. *Non ſis mihi tu formidini*: quaſi diceret ſe alios non vereri, ſed tantùm Deum. Cogita illud ſuave fuiſſe lenimen ſanctis Martyribus cùm torqueretur, ſcire ſe eſſe innocentes criminum: Vnde S. Petrus. *Nemo veſtrum patiatur ut homicida aut fur*, &c. *Si autem ut Chriſtianus*, &c. *glorifi et Deum in iſt nomine*: quod enim maximè afficit non eſt pœna, ſed cauſa: Chriſtus autem hâc caruit conſolatione: Se enim Patris ſententia reum agnovit, non quidem ſuorum criminum, quia peccare non potuit, ſed totius mundi. Tu interim ô Chriſtiane, ſicut monet Sapiens Eccli. cap. *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris*, &c.

Iam illud durius quod ſicut à Patre moriendi præceptum accepit, & Calicem paſſionis, juxta illud; *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?* ita ab eo multiplicem quoque confuſionem accepit: unde eum vocat Iſaias, *percuſſum à Deo*. Oritur itaque illa confuſio, ex durâ illâ tractatione quam à Patre, cui dicere potuit, ſalvo ſemper Patris honore, quod dixit Iobus cap. 30. *Mutatus es mihi in crudelē, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi*: vide huius querelæ veritatem, & materiam.

I. Quia non eſt exauditus pro ſe à Patre, licet idem ſæpè oraſſet: Et hanc cauſam Iobus affert, cur crudelem vocet Deum, *clamo ad te, & non exaudis, ſto, & non reſpicis me*. Vide autem inſtantiam, vide lachrymas, & clamorem validum; orationis diuturnitatem, & perſeverantiam. Sed cum mortem deprecaretur adfuit Angelus *confortans eum*, ſcilicet voluntatem Patris aſſerens ut moreretur. *Exauditus quidem eſt pro ſua reverentia*, dum pro aliis ſupplicaret: unde illa vox *Pater gratias ago tibi quia exaudiſti me, ego autem ſciebam quia ſemper me audis*: Ex quo autem peccatorum hominum perſonam induit, auditus non eſt; unde ſic conqueritur in Pſalmo: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me, longè à ſalute mea verba delictorum meorum: Deus Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Tamen facile poſſumus cogitare, quanto cum pudore coram Patre ſuo ſtaret à quo non eſt exauditus, eaque de cauſa cum initio Patrem vocaſſet orans in horto, etiam gemina voce, Abba Pater, ut confidentiam ſuam indicaret; ſub finem paſſionis, non, jam Patrem, ſed Deum appellat.

II. Quia cum mortem deprecaretur, reſponſum mortis habuit, uti loquitur Apoſtolus. Hic cogita quàm id Chriſto ſecundum naturam humanam grave fuerit, ſeu quem ſenſum ipſe ad id in ſe concitare potuit; uti triſtitiam, mœſtitiā, & metum; cum intellexit ſe ex Patris decreto, atq; mandato eſſe deſtinatum ut fieret victima, maledictum pro hominibus: hoc eſt, hominibus viliſſimis, nihili, impiiſſimis, quorum magna pars damnata jam eſſet; major etiam pars damnanda foret; cum ipſe unus, omnibus hominibus ſimul ſumptis melior eſſet eiuſque vita pluris eſſet, quā mundi innumeri. Origenes homil. 10. in Levit. exponens figurā de hirco duplici, quorū alter immolabatur alter dimittebatur liber, intelligit de Chriſto, & de Barabba, quos inter Pilatus ut alter Sacerdos, ſortes, miſit: *Quē vultis ex duobus, ut dimittā vobis, Ieſū qui dicitur Chriſtus, an Barabbā?* Sortes autē ſic exiiſſe, ut populus clamaret, ut Barabbam dimitteret

Ieſum verò morti traderet. In quo fuit magnus Chriſti cõtemptus, quod homini ſeditioſo, & homicidæ toto populi ſtudio poſtponeretur. Sed leve eſt populi judicium, & vix eſt ullus ſapiens qui non dicat cũ Ieremiâ: *Et diem hominis non deſideravi tu ſcis.* Et illud Apoſtoli Pauli: *Mihi autẽ pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die*: Sed quò Deus Pater Filium ad mortẽ damnarit, ut ſervũ redimeret, neq; idcirco orantẽ audiverit, ſed addixerit morti; id verò graviſſimum eſt, ac planè intolerandum: unde in Chriſto ſecuta eſt gravis illa agonia, & illo impletum illud Sapientis Eccli 4. *Agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia*: quæ juſtitia fuit in Chriſto eius innocentia.

III. Quia derelictus eſt à Patre in hoſtiũ poteſtate, ſecundum illud: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*: unde Pilato dixit: *Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Vide autem eventum. Nam quia permiſſus eſt libidini, & furori hoſtium, ea paſſus eſt quæ nemo ante illum tulit; quantumvis ſceleratus, ac flagitioſus. Hinc datus eſt ſervis cruciandus, antequam eſſet damnatus. Hinc milites in eum omnia auſi ſunt, & crudeliſſima, & pleniſſima dedecoris. Hinc Pilatus, poſtquam ſe ipſius ſangvine ſaturavit, eum tradidit voluntati eorum. Hinc poſitum in Cruce, & ſupplicio, neque ſic Iudæi dimiſerunt: ut ſcias ita à Patre fuiſſe derelictum, ut hominibus Gentilibus & Iudæis, ut dæmoni omnia in eum effundere licuerit. Certè cum Deus aliquem dæmoni probandum, aut vexandum concedit, ſemper utitur reſtrictione, ſecundum illud: *Qui fecit illum, applicabit gladium eius.* Idque videmus obſervatum in Iobo, in quem ſic data eſt poteſtas cap. 2. ut tamen vitæ facta fuerit exceptio: *Ecce in manu tua eſt, verum tamen animam illius ſerva.* Sed in Chriſtum, & dæmoni, & hoſtibus, omnia ſunt permiſſa. Iobi 30. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi.*

IV. Quia viſus eſt pater pro aliquo tempore, erubuiſſe eum agnoſcere pro Filio: Cũ enim in Cruce penderet, ei hoſtes infenſiſſimi, Principes Sacerdotum, Scribæ & Seniores ſic illuſerunt. *Confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult eum; dixit enim, filius Dei ſum: idipſum autem & Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant illi.* Quo tempore ſic eum Pater deſeruit, ut ipſe ulterius diſſimulare non potuerit, dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Propterea itaque cum non tractaretur ut filius, ideò non Patrem ut ante ſolebat, ſed Deũ appellat. Vide autem quò perducta ſit ea Chriſti confuſio: Nam cum ſemper in vita Chriſtus ſe pro Filio Dei geſſiſſet, cum ſe Patrem Deum habere ſemper gloriaretur; nihilque aliud ſuis operibus, atque doctrina probaſſet: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere, quòd ſi mihi credere non vultis, operibus credite*: cum non alio nomine Iudæi eum morte dignum iudicaſſent, (illi quippe cum cauſam mortis eius afferrent, dicebant, *Quia Filium Dei ſe fecit*; & Caïphas cũ audiſſet multorum contra eum teſtimonia, nec illa ſufficere iudicaſſet, hæſit in uno, quod ſe Filium Dei dixiſſet: unde aiebat; *Quid adhuc deſideramus teſtes, audiſtis blaſphemiam*: Et cum Pilatus negaret, ſe in eo cauſam mortis invenire, dixerunt: *Nos legẽ habemus, ſecundum quã debet mori*: nempe ob blaſphemiam, quòd ſe filium Dei diceret) Cum, inquã hæc ita eſſent & hoc ei hoſtes improperarent impunè; certè graviſſimũ ipſi fuit Patrem, tàm gravem iniuriam diſſimulare. Et hic eſt ſenſus querelæ ipſius: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*

V. Quod omnia ſuperat quoad gravitatẽ, illud eſt quod non tantũ à Patre derelictus eſt, & quaſi nõ agnitus, tã in eo ſtatu erat Patri diſſimilis, ſed etiã quia quoad tractationem externã à Patre reiectus eſt cum aliqua deteſtatione; uti dicitur in Levitico. *Imprecans capiti eius*, ſecundũ illud ad Galat. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, quia

Digitized by Google

quia ſcriptũ eſt. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, ſeu ut eſt in Hebræo, maledictio Dei ſuſpenſus. Porro hæc vox, eſt ipſius Patris, qui, cum legẽ ordinaſſet ad Filiũ, hanc quoq; vocem ad ipsũ ſingulariter direxit, ac deſtinavit. Vide autẽ quàm grave fuerit Filio, dũ intellexit, in ſe indutũ habitu, & perſona peccatoris, fulminatã eſſe maledictionẽ. Ita-ne verò ille qui fons eſt & caput omniũ benedictionũ, per quẽ omnia benedicuntur quæ in cœlis, & quę in terrâ; Quem pater poſuit per quem omnia benedicat; Ille qui eſt benedictus in ſæcula; Cui omnes Angeli benedicunt; Cui omnes ſancti. Cui omnes creaturæ; Ille tamen maledictionẽ pœnâ incurrerit, & in ligno pependerit, legi affixorum cruci obnoxius? (nam finis legis Chriſtus,) Sane cum iſtorum omniũ Chriſtus eſſet conſcius, & longè plurium, (nã quid homini mortali venire poteſt in mentẽ, quod Chriſtus neſcierit, non cogitarit, cujus rationem non habuerit?) non eſt dubiũ quin magna coram patre ſuo confuſione affectus ſit, *Operuit confuſio faciem meam*, cui etiam tenebræ ſuccurrerunt. *Erubeſcet* enim *Luna & confundetur Sol*, ſed pluſquam Luna & Sol utriuſque conditor.

Verum ne putes Chriſti confuſiones hic finem habuiſſe; quemadmodum eius in homines charitas, & in Patrem ſuũ Amor, ſicut potiendi & ſatisfaciendi deſiderium quod habuit ſunt infinita, ſicut hominum peccata, atq; demerita finẽ non habent; ita neq; confuſiones quas paſſus eſt finitæ ſunt. Age, quædam enucleatius tractemus, in quibus Chriſtus gravem ab hominibus confuſionem accepit.

I. Occurrit fœda eius traditio, & iniuſta venditio ab iniquiſſimo omniũ mercatore facta, Iuda Apoſtolo: circa quã traditionẽ hæc eſt.

I. Conſideratio. Admodum grave fuiſſe Chriſto Domino quod eius paſſio & mors originem traxerit ab uno Apoſtolo, quem ipſe in ſuam conſuetudinem admiſiſſet. Veniat in mentem caſus infœlicis Samſonis de quo Iudicũ cap. 16. Is enim cũ alienigenam mulierẽ adamaſſet, illius inſidiis & avaritia periit. Eadem ratione Chriſtus Iudæ diſcipulo ſe faciliùs credens ab eò ſuis hoſtibus traditus eſt. Iam ipſius cognorat perfidiam, incredibilem avaritiã, murmur & querelas, in doctrina de Sacramento, & in effuſione vnguenti; ſciebat ejus furta, obſtinatam mentem, ſacrilegum pectus: Neque tamen illum à ſua conſuetudine repulit; non illum celavit locum in quem orationis cauſa iturus erat; ad ipſũ etiam accurrit oſculi cauſa, ut ſe tradendi facultatem daret & opportunitatẽ, hoc enim ſignum ipſe dederat militibus: *quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eũ & ducite caute*. Itaq; ut traditio eſſet ſceleſtiſſima, inter oſcula & amplexus traditus eſt.

Quàm id porro grave Chriſto fuerit, hinc colligere potes I. quod apud Prophetas de nulla re gravius conqueritur, ut Pſal. 54. ubi figura Achitophel ſic de Iuda: *Quoniã ſi inimicus meus maledixiſſet mihi*, &c. utq; exprimat modũ proditionis, addit: *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleũ, & ipſi ſunt jacula*. Quàm enim turpe fuit factum illius perfidi, qui à partibus ſtetit Abſalonis, eiq; pernicioſiſſima omnia dedit conſilia? quam id grave Davidi, & ſuper omnia? unde cum cætera molliſſimè ferret, in hoc uno viſus eſt plagam accepiſſe, cum oravit. *Infatua Domine conſilium Achitophel.*

II. Quia ut inter homines bene natos nihil jucundius eſt verâ amicitiâ, ita nihil acerbius eſt, nihilq; moleſtius, quàm fraude & dolo circũveniri inter ipſa amoris teſtimonia. Quare licet Chriſtus Iudæi oſculũ non negarit, noluit tamẽ injuriã diſſimulare, *Iuda oſculo filiũ hominis tradis?* Sic nimirum inter homines nihil nos graviùs tangit proditione, & vix eſt qui ignoſcat.

3. Quia ille maximè impius judicatur, dignuſque graviſſimo ſupplicio, qui à ſuis

etiam

etiam traditur, & quem nec ſui ſalvum velint. Itaque Iudas ut factum ſuum Iudæis & Sacerdotibus probaret, multa in Chriſtũ Dominũ crimina, atque ſcelera cumulabat. Adde quod fuit ingens ſuſpicio ex illa Iudæ impietate, qui ex tali ſchola prodierat, & ſub illo Magiſtro vixerat; multa in eo cœtu ſcelera comitti, cùm ob exiguam pecuniam tantum ſcelus promitteretur: nam licet placeat traditio, proditor tamen ſolet eſſe in odio. Potuerunt, inquam, inde Iudæi ſuſpicari, illam omnem, quæ apparebat ſanctitatem, fictitiam eſſe, & multa flagitia ſub ea occultari: Ac ſicut Pilatus Christo exprobravit quod à ſua gente ipſi eſſet traditus: *Nunquid ego Iudaus ſum? gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi. quid feciſti?* Sacerdotes exprobrare illi potuerunt quod ab uno Apoſtolorum traditus eſſet, hoc eſt ab intimo, & familiari:

2. Conſideratio eſt circa pretium venditionis; quod fuit triginta denariorum: graviſſimum ſanè opprobriũ, Atrociſſima prorſus injuria, ſeu perſonam liberam ſpectes, ſeu Iuſtam, ſeu Filium Dei.

* In primis igitur ratione perſonæ liberæ, gravis fuit: Quia uti notat Rabbi Abraham in cap. 21. Exod. hæc ſumma denariorum, fuit ordinarium pretiũ ſervorũ. Ita Moyſes in lege præcipit, ut ſi quis per imprudentiam, alterius ſervum occiderit, appendat Domino 30. denarios. Et Ptolomæus Philadelphus, uti refert Ioſephus 12. Antiquit. facultatem dedit Hebræis, ut ſi quis illorũ, ſeruus eſſet in Ægypto, poſſet in libertatem vindicari perſolutis 30. denariis. Et hæc fuit cauſa, cur Pontifices promiſerint, Iudæ 30. denarios argenteos: *conſtituerunt ei 30. argenteos*, quia ſcilicet Chriſtum uti mancipium æſtimarunt, cùm tamen ipſe ſit per quem omnes à ſervitute peccati liberati ſunt.

Itẽ gravis injuria facta eſt Iuſto, qui vendi non debuit: unde minatur Deus ſe non condonaturum hoc peccatum: Amos 3. *Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quarto non convertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento Iuſtum, & pauperem pro calceamentis.* Quod ſi injuria eſt Iuſto, multò magis ei qui fuit caput Iuſtorũ, quem pro tam vili pretio vendiderunt.

Denique injuria fuit ut filio Dei. Cum Abſalon penderet in arbore, & quidam miles renuntiaſſet Ioab, *Quare*, ait, *non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & unum balteum*: quid decẽ ſiclos memoras, ait alter, *Si appẽderes in manibus meis, mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis*: Quis tamen Abſalon? iniuſtus, rebellis, fratricida, qui Patri vitã auferre moliebatur: Et ecce Iudas Filiũ Dei vendidit 30. denariis! Immò uti advertit S. Hieronymus viliori pretio diſtraheret. Audi enim quid petat: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* quaſi diceret, date quod vultis, quidlibet ſufficiet, ut vendam. Itaque pro tanta Chriſti ignominia olim ab Eccleſia jejunabatur Feria 4. ait Auguſtinus, ſicut in memoriã mortis Feria ſexta. Sed quid Eccleſiam memorem, cùm ipſe Chriſtus, qui non aperuit os ſuum ut conquereretur, tamen de hac re tacere noluit apud Zachariam cap. 11. *Appenderunt mercedem meam 30 argenteos* Quia ſcilicet Chaldæi & Hebræi in emptionibus, & venditionibus, non tantũ pecunias numerabant, ſed etiã appendebant.: Itaque, ait, ipſi me in lance ſui judicij appenderunt, meque non pluris pendere judicarunt quàm triginta argenteos: quaſi fuiſſem Deus nihili, cùm tamen cœlum, & terram crearim; Itaque ſubdit cum ironia, *pretium quo appretiatus ſum ab eis*: quæ res erit inſignior, ſi ex ſupputatione multorum, ſumma huius pecuniæ ſint 12. nummi, vel ad ſummum, ut alii volunt 25. *En pretium quo appretiatus ſum ab eis.* Capilli Ab-

Abſalonis venditi ſunt ducentis ſiclis pretio publico, ſed filius Dei 30. ſiclis. Ille qui tantam habet de nobis curam ut dicat, *quia capillus de capite veſtro non peribit.* Olim in Samariâ caput aſini venditum eſt 80. ſiclis. Et Deus non pluris quam 30.! Itaque vide num ſine ratione dicat, *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

II In quo Chriſtus graviſſimum dedecus & confuſionem eſt paſſus, fuit quando collatus eſt cum Barabba quod ipſi fuit maxima contumelia 1. Quia publicitùs accidit coram Pilato, qui Iudicem agebat, & non unius, aut alterius judicio reſtitit, ſed totius populi. 2. Ratione eius qui concurrebat cum Chriſto, nempe Barabbæ, cujus conditio erat maximè diſſimilis à Chriſti conditionibus. Etenim Barabbas erat ſeditioſus? Chriſtus autem *pacificans ea, quæ in cœlis, & quæ in terrâ ſunt:* Barabbas auferens quæ erant aliorum; Chriſtus verò ſe, vitam, & ſanguinem ſuum alijs largiens: Barabbas vivos occiderat; Chriſtus mortuos ſuſcitarat. Res mira, certamen eſt vitæ cum morte, juſtitiæ cum injuſtitiâ. Dei cum peccato, Chriſti cum Barabba; & Chriſtus causâ cadit Dicito nobis D. Luca, quô vocum numerô causâ cecidit, an unius tantùm, an duorum? Omnium, reſpondet. Etenim ait Lucas cap. 23. *Exclamavit ſimul univerſa turba: tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam* Audi Ambroſium: Nec immerito homicidæ abſolutionem petunt, qui flagitabant innocentis exitium: Tales leges iniquitas habet, ut oderit innocentiam, ſcelus diligat. Hæc ille. Verùm Ieremias: *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas quæ continere non valent aquas:* quaſi diceret, paucis verbis: Me rejecerunt, & Barabbam elegerunt: Hoc unum me conſolatur, quod fortaſſis ea gens Deum ignorabat: Nequaquam: *Duo mala fecit populus meus,* qui ſolus habebat cognitionem veri Dei qui ejus templum habebat & Scripturas, cui ego ipſo prædicaveram, quorum ego infirmos ſanaveram, cæcos illuminaram, mortuos reſuſcitaram, cujus nulla eſt excuſatio.

Verùm Chriſtus libenter hanc confuſionem patitur, in eâ relinquens nobis, & myſterium? ſic docet Origenes: Humanum genus fuit ille Latro qui gloriam Dei ſuffurari voluit: *Eritis ſicut dij:* Et in eo ſenſu vocat Iſaias Adamũ, & Evã, ut Bernardus exponit Serm. Adventus, Principes Infideles, & ſocios furum: Atqui hic Latro merebatur mortem & in corpore, & in animâ: Sed Chriſtus Dominus pro ſuâ pietate voluit eum ab utrâque morte liberare; atque ut id ſignificet, duos in ſua paſſione latrones liberavit, unum in animâ iſque fuit, qui cum eo in Cruce pendebat, cui dixit, *Hodie mecum eris paradiſo?* alterum in corpore; iſque fuit Barabbas, qui vivus dimiſſus eſt propter Chriſtum: Itaque totum hominem ſalvum fecit in Sabbato ſuæ Paſſionis. Documentũ affert S. Baſilius: Ne quis ſcilicet noſtrum deſperet cũ homines de nobis judiciũ ferunt noſtris meritis contrariũ: Videte enim quanta eſſent Chriſti erga hunc populũ merita, cũ quibus tamẽ meritis, compoſitus eſt cũ Barabba, nullo prolato verbulo, nulla facta querelâ. Non audis Domine hujus populi vocem, poſcentis ſibi Barabbam? Aliquid profer in tui defenſionem: *Ego* (ait) *tanquam ſurdus non audiebã, & ſicut mutus non aperiens os ſuum Et factus ſum ſicut homo non audiens & non habens in ore ſuo redargutiones:* Audi Iſaiam de eo loquentem cap. 53. Sed ita ut ſemper creſcat oratio: *Vidimus eum, & non erat aſpectus:* hoc-ne ſufficit? Nequaquam: *& reputavimus eum, virum leproſum;* Hoc-ne ſatis? minime: *Percuſſum à Deo & humiliatum:* Idne ſatis? Nondum: Itaque conclude. *Et cum ſcele-*

Digitized by Google

Et cum ſceleratis reputatus eſt: Quid illud reputatus, numeratus: ô Sancte Propheta, eò uſque potuit ſævire Pilatus, ut cum ſceleratis annumeraret? Ita ſanè, *cum ſceleratis reputatus*, cum latronibus & homicidis, & quod peius eſt illis omnibus pejor eſt habitus; quodque illud omne ſuperat quod dici poteſt, Chriſtus Barabbæ eſt poſtpoſitus.

Cogita atrium Pilati eſſe emporium, Judæos mercatores: Vide quomodò coëmant. Audi quid dicat David Pſal. 106. *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationẽ in aquis multis: aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum devorata eſt.*

I. Concluſio. Ite nunc & fidite mundi judicio, & videte quomodo excipiemini. *Filioli* (ait Ioannes) *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Quicquid* enim *in mundo eſt, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Sed fortaſſis ſi in mundo deeſt bonitas, non deerit cognitio, non deerit intelligentia? Nil minus. Etenim, ait Ioannes, *In mundo erat & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* Quanta ignorantia, ut neſciat eum, à quo ſic dependet! At fortaſſe cui deeſt & bonitas, & cognitio, non deerit Iudicium? Nequaquam. Etenim uti dicitur, *prudentia carnis, mors eſt*: Item, *inimica eſt Deo.* Ac videte in eo facto in quo Chriſtum Latroni poſtponunt, qui cum eſſet rerum omnium Dominus, certè Latro eſſe non poterat. Equidem hinc dicere poſſumus, quanti facere debeamus judicia hujus mundi, quæ tam opere falſa ſunt, atque iniuſta. Ideò dicebat Apoſtolus ſcribens ad Corinthios, *Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Quid illud ab humano die? reſpondet Theodoretus, ab eo quod durat tantùm in vita præſenti: ac ſi diceret; ego magni facio judicium alterius vitæ, non autem iſtius. S. Auguſtinus ab humano die, metaphora ſumpta à luce externa, quæ humani judicij qualitatem oſtendit: Etenim lux humani judicii non penetrat interiora, ſed tantum externa, & quæ foris ſunt. ego autem illud judicium tantummodo vereor, quo anima judicatur. Simplicius exponit Lyranus: Nec veſtrum judicium moror, nec alterius cuiuſcunque hominis; ſed tantum Dei. Quid itaque in tuis rebus moraris hominum judicia quæ adeò ſunt vana, adeò falſa, adeò inconſtantia?

II. Concluſio. Hinc diſce, Chriſtiane, quid poſt tot illuſtria exempla, in tàm illuſtri perſonâ tibi à Deo Patre propoſita, ferre, ac ſuſtinere debeas. Ille cui omnis gloria, cui omnis honor tot titulis debebatur, tàm multas confuſiones ſuſtinuit, adeo depreſſus eſt: Nos autem vel minimam confuſionem pati recuſamus? Quia in omni peccato turpitudo eſt, propterea omne vindicari debet dedecore, & confuſione: ut igitur huius pœnæ debito Chriſtus ſatisfaceret, operuit ſe confuſione. 2. Cùm nihil magis confuſionem parere deberet, quam peccatum, multi tàmen glorientur, cum male fecerint, ſecundum illud. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Item *frons meretricis facta eſt tibi, neſcis erubeſcere.* Item; *quaſi Sodoma peccatum ſuum prædicaverunt: agnitio vultus eorum reſpondit eis*: Ideo Chriſtus hanc impudentiam ſuo pudore, atque verecundia compenſare voluit. 3. Licet virtus omnis gloriam habeat ac mereatur; quam multi tamen virtutem erubeſcunt? (*Qui me erubuerit*, &c. *Hunc Filius hominis erubeſcet cum venerit in majeſtate ſua.* &c.) Idcirco Chriſtus malam confuſionem bona voluit compenſare: Eccli. 15 *Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam*, & gratiã. 4 Non potes minuere confuſionem in confeſſione: Ecce Dominus, tuus quanta confuſione ſe cooperiat, *Operuit confuſio faciem meam.* 5. Denique cum homines

in

Digitized by Google

in omnibus adverſis & paſſionibus ſint tenerrimi, & maximè ſenſibiles, ſed præſertim in dedecore & confuſione, ideò Chriſtus exemplo ſuo, ad eius rei patientiam accendere nos voluit. Nam poſt hęc exempla quid grave quid durũ videri poteſt homini, quid non tolerabile, quid non ferendum? Huc accede, Nobilitas quæ minimam confuſionẽ, opinionem hominum, ſermonem ſtultorum, ſcurræ ludibrum, & ſcommata, morte redimis & ſanguine, tuo & alieno, & ſæpe etiam ultima animæ jactura, & æterna damnatione. Vide quam acerba ſatisfactione Chriſtus hoc tuũ facinus luat: Vide quam diſſimili calle gradiatur, & quam ſit tui diſſimilis ac contrarius. Hæc tamen nemini dubia eſſe debent. 1. Neminem unquam fuiſſe qui melius quàm ille ſciverit, quanam in re verum honoris caput conſiſtat. 2. Qui magis noverit, quid unicuique debetur. 3. Qui melius æſtimarit meritum ſuum & dignitatem. 4. Cui debeatur honor iuſtius; Qui plus meritorum habuerit; Cui plus juris fuerit ad honorem ſibi tuendum, ac proinde, qui plus acceperit iniuriæ, ſi quis illum ipſi eripere voluerit. 5. Qui animoſior generoſiorque ipſo extiterit. 6. Qui plus poteſtatis habuerit ad eum expoſcendum, exigendumque eius rationem ægrius efficaciuſque: Quibus non obſtantibus, nos docuit exemplo ſuo, honoriſq; contemptu, qua ratione ſe unuſquiſque gerere deberet. Quod exponens Apoſtolus ſcripſit Chriſtum, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuiſſe Crucem *confuſione contempta*: Licet enim in Paſſione ſua, & Cruce, plus rationem habuerit confuſionis quàm doloris, oſtendit tamen & ipſam confuſionem contemnendam, & Crucem viriliter ſuſtinendam: ſimulque mercedem ſubindicat, ſcilicet, propoſito ſibi gaudio, cũ vel ipſe contemptus cõtumeliæ, pariat incredibile gaudiũ. Hoc exemplo didicerunt ſancti amare abjectionẽ, contumelias & opprobria: Tu, mi Auditor, apud te reputa, & conclude, quid tantæ virtuti repẽdere velis, Quid tui Salvatoris cauſa pati, Immo quid facere; & quid aggredi. Hoc ſaltem apud te ſtatue, ut in Cõfeſſione quã paras, nõ parcas, pudori tuo, non verecundiæ. Eheu, quando erit illa dies, ut de te dicatur quod de Chriſto prædixit Jeremias Lament. 3. *Saturabitur opprobriis*, vt poſtea dicas. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Vtinã aliquando? Ita ſit per Chriſti gratiam.

IV. PARS.
SEV

ALIA CONCIO.

De multiplici proditione Chriſti.
Quod eſt aliud caput dolorum eius internorum.

Habitatio tua in medio doli. In dolo renuerunt ſcire me. Jeremiæ 9.

NEſcio quid ex duobus ſit intolerabilius, aut contemptus aut proditio: contemptus eſt contra honorem, proditio contra amicitiam; unum iracundiam, alterum indignationem movet. Vtramque injuriam in ſummo gradus Chriſtus pertulit, & vtrumque pertinet ad eius dolores internos de quibus nobis eſt ſermo: Certe ſi utrumque metiamur ex crimine, videbis

 plures

plures fateri contemptum quam traditionem Sed in traditione ſemper eſt contemptus; itaque duplex eſt iniuria Et propterea ut Chriſtus voluit experiri omnes pœnas, ſecundum illud *habemus Pontificem tentatum per omnia*, voluit etiam hoc genus pœnæ experiri, tum ut, ſciremus nos erga ipſum ſic offendere; & ut in omnibus haberemus exemplum, & ut pro omnibus eum ſatisfeciſſe ſciremus. Sed ad rem.

INTER doloris interni Filii Dei cauſas, una è maximis fuit proditio peſſima ignaviſſimaque, 1. Infelicis Judæ, 2. Iudaici populi & gentis ſuæ, 3. Diſcipulorum, à quibus deſtitutus eſt & turpi fugâ deſertus, Poſtremò Petri qui eum negavit.

Revocate vobis in memoriam tragicum finem impudicorum Samſonis amorum, viri ſuo in ſæculo maximè admirabilis. Miſer ille Princeps, Dei oblitus, & ſui, exiſtimationis, ſui nominis & conſcientiæ, captus eſt amore propudioſæ mulieris, atque ad turpitudinis licentiam projectæ, ſicut ſcriptum eſt cap. 19. Iudicium. Nomen ei Dalila, quæ illius amicitiæ minus fideliter reſpondit. Neque enimverò unquam evenit, ut iſtiuſmodi perſonæ non ſint ultra modum perfidæ ac avaræ, unde fit ut ſecundum Sancti Auguſtini obſervationem ſerm. 107. de tempore, S. Scriptura infernum, ac diſſolutę mulieris domum accommodatè coniungat. Alludit autem ad caput. 30. Proverb. ubi dicitur *Tria ſunt inſaturabilia*, &c. *infernus, & os vulva, & terra qua non ſatiatur aqua*. Per vulvam intelligit meretricem; vox enim Hebraïca, ſignificat ſcortum: Sapiens verò aptiſſimè jungit infernum & proſtitutam fœminam, non ſolum, quia exitium incurritur in fœminæ, ſolutioris domo, æquè ac in inferis; neque facilius ex uno eorum locorum, quàm ex alio diſceditur: verum etiam, ut ait idem Sanctus Auguſtinus, rectè pro inferis ponitur domus meretricis, quia neminem repellit, & omnem intrantem ad ſe trahit; addo ego, quia in domum meretricis, vitia omnia atque ſcelera ſubeunt: Sed ex unâ Scripturæ interpretatione, Sicut infernus eſt inſaturabilis, ac nunquam dicit ſufficit, ita neque meretricis cupiditas expleri unquam poteſt: unde non mirum ſicut domus eius, ita etiam animus pateat omnibus ſceleribus, perfidiæ, & ingratitudini. Cum igitur Philiſthiim viderent Samſonem amore Dalilæ implicari, ita mulierem adoriuntur. *Decipe eum, & diſce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere*, & quoniam nil fit ſine mercede: addunt, *Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille, & centum argenteos*, quę ſumma, cum eſſent quinque Principes & Satrapæ Philiſtinorum, conficiebat bis mille, & amplius quingentos nummos aureos. Illa igitur per ſummam fraudem negotium aggreditur, & muliebrem animum ad maximas blanditias convertit; hominem invitat, & laute excipit, inter epulas, & pocula, eius fortitudinem prædicat, & captatâ occaſione: *Dic mihi obſecro*, inquit, *in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas*? Hic Samſon expertus loquacem mulierem, & uxorem in revelatione parabolæ, multò magis de meretricis ſilentio diffidit Itaque ait ſe vinctum mollibus, atque humidis nervis, tortis unâ cum funibus effugere non poſſe. Fecit illa periculum, colcatis inſidiis: atque ingeminat *Philiſthiim ſuper te Samſon*: ſed ille à ſomno expergefactus, cuncta diſrupit ut ſtuppea fila exſiccata ad ignem. Finxit illa ac diſſimulavit rem totam, joco fieri; & ita ait: *Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es; ſaltem nunc indica mihi, quo ligari debeas* Cui ille *reſpondit, ſi ligatus fuero novis funibus*, &c. Id mulier experta, ſed ſine ſucceſſu: Etenim omnes funes, quaſi telæ fila diſrupit. Hic paululùm commota, conqueri nonnihil cœpit: *Vſquequo decipis me, & falſum loqueris, oſtende quo vinciri*

Digitized by Google

vinciri debeas. Hic vide mulieris impudentiam non ceſſabit, donec perdat. Igitur imperioſe illi loquitur, quaſi jam nimium eſſet offenſa à Samſone per iterata mendacia. Itaque Samſon reſpondet: *Si ſeptem crines capitis mei, cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.* Infelix Samſon, jam progrederis ad caput, & crines tuos obijcis periculo. Cum id totum joco tantum fieret, crudelis mulier illud etiam experiri aggreſſa eſt. Samſon autem experrectus, caput ſuccuſſit, & uno conatu extraxit clavum: licium cuneumque impactũ in parietẽ. Tum infida, ſe ſe omnib9 armavit artificiis, machiniſq; omnibus conſtantiam Samſonis invaſit. Convertitur ad queſtus, ad criminationes procedit, luget, affligat ſe ſe, ac torquet: *dixitque ad eum Dalila: Quomodò dicis quod amas me, cum animus tuus non ſit mecum?* Vtrinam æquius cõveniebant eiuſmodi querelæ; Dalilæ ne, an Samſoni? *Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudò tua.* Sed cum videret ſe nihil proficere, affligit ſe ſe denuò, & amplius quã antea. Iterat querelas, criminationes geminat, neque deſiſtit, ac ſe ſe ita importunam præſtat, ut illum uſque ad mortis diſcrimen fatiget. *Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem uſque laſſata eſt.* Proh, Deus, quàm crudelis & tyrannicus eſt, amor carneus! Quidnam iſtuc eſt? ô miſer Samſon, emoreris quotidie præ animi ægritudine ad proſtibulæ atrium, quæ te lachrymis ſuis enecat, neque ſervituris iſtius excutiendæ vim animum habes? Quorſum ſingulis diebus domum illam petis, cum infernum inibi tuum reperias, & uſque adeo vexaris? Duo illum agitabant affectus, quorum minor intolerabilis eſt, amoris ſcilicet ac timoris, quorum in medio conſiſtens, quaſi inter duplex ferrum, eius anima uſque ad mortem angitur. Hinc credit ab urbanitate alienum eſſe tàm parvi facere amaſiæ preces & lachrymas, in ea re pręſertim quæ ſua intereſſe parum videtur: Inde verò metuit ne ingenium fœminæ, quod jam expertus eſt infidum & minus capax arcani, prodat illum & perdat. Quid porrò capit conſilii? Inſtar martyrij cuiuſdam ipſi eſt eam deſtituere atque deſerere: at minime amplius licet eam frequentare, & conticeſcere. Si os aperit, totis contremiſcit artubus, ita formidat ne arcanum ſuum vulgetur: ſi pergit tacere, quoddam mortis genus eſt, ſummumq; ſupplicium. Nominatur crudelis, expers amicitiæ vituperatur ut infidelis & defectus animo: obiicitur ei nimis conſtantem fuiſſe Dalilam, fidelitatis ipſius experimentum fieri non potuiſſe hactenùs, nequire illum eius fidelitatem accuſare, aut culpare levitatem, nullam eſſe cauſam timendi ab ea, quæ curam ſuam omnem, ac felicitatem in illius cuſtodia & in columitate poſuerit, à terra ſe ſe millies abſorbendam potius, quam à ſe fidelitatem deſertum iri, eumq; prodendum qui ſibi in ipſâ confidat. Dictum nimis fuerit amanti: mentem igitur ipſi aperit, & veritatem fatetur, robur ſcilicet ſuum eſſe in capillis poſitum, qui nulla unquam obſervatione Religionis amputati ſibi fuiſſent: Nazaræus enim erat, Deoque peculiariter conſecratus.

Ac vide 1. ſtultitiam Samſonis, qui toties eius perfidiam expertus, nec memor prioris uxoris, ei credidit tanti momenti ſecretum: ei inquam, hoc eſt mulieri, & meretrici, quæ nihil aliud quam lucrum inhiat, & nihil amat ſincere, idq; poſt tot experimenta. Vnde pateat cuius tandem naturæ ſit amor impurus, quàm cæcus, quàm atrox, quàm tyrannicus, & homine libero indignus. Vide 2. mulieris perfidiam ac crudelitatem: nam cum ex vultu & ſermone Samſonis cognoviſſet ſibi rem

Digitized by Google

indicatam; & apertum eſſe ſecretum, miſit ad Piliſthinos, qui pecuniam ad eam attulerunt, & eius juſſu tonſorem adduxerunt. Ita Samſonem blandiſſimè ſi unquam excepit, & lautiſſimè tractavit. Eum nempe vino gravatum, & epulis, per laſciviam, & blanditias in ſinu ſuo dormire fecit, atque advocato tonſore raſit ſeptem crines eius: quo facto, uti loquitur Scriptura, *cœpit abligare eum, & à ſe repellere*: hominem videlicet vehementer ſuccuſſum, ob arctiorem ſomnum, contemptim à ſe cœpit abigere. Nimirum teſtimonium amoris neglexit, atque amorem præteritum oblita, neque habita ulla ratione dignitatis perſonæ, & odii Philiſthinorum in ipſum, ſolum intenta lucro, amatorem prodidit in re tanti momenti, inter oſcula & amoris blanditias. Sed audi conſequentem tanti Principis, ac ſui populi Iudicis, & Ducis calamitatem omninò miſerrimam. 1. quidem decalvatur: *Vocavitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius*; hoc eſt, omnem comam quam commoditatis cauſa collegerat quaſi in ſeptem cinnos. Vide ergo deformatum. 2. priſtinis viribus deſtituitur: *Statim* enim *ab eo omnis eius fortitudo receſſit*. Cum igitur audiſſet *Philiſthiim ſuper te Samſon, dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam, neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus* 3. ligatur. *Quem cùm apprehenſiſſent Philiſthiim*. 4. Excæcatur; *Statim eruerunt oculos eius*; qui bus ſcilicet malè uſus, formam mulieris adamarat. 5 Ducitur Gazam ligatus, *& duxerunt Gazam vinctum catenis*, unde portas ſuſtulerat, & ubi magna facinora ediderat. Ibi toti populo irridendus proponitur, dum certatim omnes accurrunt, & pedibus atque calcibus impetunt, & exprobrant ſublatas portas civitatis, cantilenam de aſini mandibula; vulpes illigatas & meſſem incenſam. 6. *Clauſum in carcere molere fecerunt*, eum nempe & carceri mancipatunt, & ad priſtinum coëgerunt, jumenti, aut viliſſimi mancipii obſequia præſtare, & molam verſare. Vide itaque manus lacerandis leonibus habiles, manicis ferreis cruentati, collum monilibus decoratum loris atteri, eius tergus flagris concidi; latera ſtimulis ſervilem in modum pungi in opere ignominioſiſſimo. 7. In templum Dagonis, quo univerſa Principum multitudo, & reliqui magno numere Philiſthini, ad viginti millia, ut volunt nonnulli, confluxerant, adductus eſt, ut ante eos luderet, nimirum ut plerique optimi Interpretes intellexerunt, ut omnibus modis illuderetur, ſcommatis appeteretur, vetera obijcerentur, ob cæcitatem ad columnas impingeret, flagris cæderetur, alapis percuteretur, ac victoriæ præteritæ exprobrarentur. Cogita verò quis ille ſit, nimirum miraculo conceptus, & natus, Deo conſecratus, ſua & parentum voluntate, ac peculiari Dei ipſius mandato, incredibili quodam robore divinitus præditus, annos 20. populum ſuum moderatus, in flore ætatis conſtitutus, cum annos triginta novem eſſet natus: poſt tot victorias de hoſtibus relatus, egregia facinora, & exhibita virium ſuarum ſpecimina: poſt quæ omnia in talem miſeriam redactus eſt, qualem diximus, cum ei etiam oculi ad lachrymandum deeſſent; nec ei liceret vel ſuſpiriis atque luctu ſuam miſeriam teſtari: & quod fortaſſe fuit omnium graviſſimum, hoſtibus ſuis, & populo alieno datus ad irridendum: Hæc verò omnia ex unius mulierculæ dolo & fraude nata ſunt.

Verum tamen qnod de Samſonis captivitate, & infortunio minuit commiſerationem, illud eſt quod ſua culpa hoc exitium meruit: Sed vide in Chriſto impletam figuram; verum maiori exitio.

Ac 1. Quidem ſicut Samſon nimis Dalilæ ſe credidit cuius jam ſæpius perfidiam erat expertus,

expertus, ita Chriſtus nimium ſe Judæ credidit, licet hominem probe noſſet, & mala eius conſilia: Nam ut ait Ambroſ. lib. de Parad. cap. 8. Ipſe Dominus elegit Judam quem proditorem ſciebat, dicente Scriptura: *Quia ſciebat Ieſus quis eum eſſet proditurus*: Sciebat quod in doctrina dandi ſui corporis in eſcam ab eo diſceſſiſſet; nam Judas Capharnaitas ſequutus eſt, & Princeps omnium fuit, & ad tempus à Chriſto diſcipulorum incœpit de profuſione unguenti: *ut quid perditio hæc? poterat enim unguentum iſtud venundari trecentis denarijs, & dari pauperibus*: *Non quia curaret de egenis, ſed quia* ut ait Scriptura *fur erat, & loculos habens*, In quo admirare Chriſti bonitatem. Quia ut ait S. Ambroſ. lib. 5. in Lucam cap. 6. Judam elegit non per imprudentiam, quaſi non noſſet hominem, ſed per providentiam; periclitari apud nos judicium ſuum, quam affectũ maluit, ſuſceperat hominis fragilitatem, & ideò nec has partes recuſavit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, ut tu à ſocio deſertus, à ſocio proditus, moderatè feras, tuum erraſſe judicium, periiſſe beneficium.

2. Vti Dalilam ad proditionem induxerunt Principes Philiſthinorum, ita Judam ad proditionem impulit Dæmon, uti dicitur Joan. 13. *Cum Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas*: *Et poſt buccellam introivit in eum Satanas*: ac vide ſucceſſum, *qui cum accepiſſet buccellam, exivit continuò, erat enim nox*: non ſolum exivit, ait Ambroſ. ſed continuo, & nocte exivit, nec mirum ſi noctis tenebras habebat qui Chriſtum deſerebat.

3. Vti Samſon inter amoris teſtimonia traditus eſt; Ita Chriſtus per oſculum. Sicenim traditor convenerat. *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, eum tenete*: Quod illi Chriſtus exprobravit *Iuda oſculo filium hominis tradis*? Ambroſ. in cap. 22. Lucæ Per interrogationem pronunciandum putat quaſi amantis affectu corripiat proditorem: Hoc eſt, amoris pignore, vulnus infligis & charitatis officio ſanguinem fundis, & pacis inſtrumento mortem irrogas?, ſervus Dominum, diſcipulus prodis Magiſtrum, electus authorem: *Et oſculatus eſt eum*: Non quo ſimulare nos doceat, ſed ut ne proditionem refugere videretur, & plus afficeret proditorem cui amoris officia non negaret, quia ſcriptum eſt, *cùm odientibus pacem, eram pacificus*: Porrò quantum ea res Chriſti animum pulſaverit, colligere debemus ex iis quæ inſinuavimus ſuperiori parte: tum ex his Chriſti verbis ad ipſum Judam: *Iuda oſculo filium hominis tradis*? hoc eſt interprete Sancto Ambroſio in Pſalmum trigeſimum nonum: Venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur: oſculo quod ſacræ pacis inſigne eſt: oſculo quo amicitia fida firmatur: oſculo quo fides ſancta ſignatur? Hoc ergo oſculo tradis eum, quem propter oſculi commercium, venerari deberes: Ego oſculum non nego, ipſe videris, qui violaveris oſculi ſanctitatem: hæc ille.

4. Sicut Samſonis traditionem factam à Dalila ſequuta eſt peſſima Samſonis ab hoſtibus; uti vidimus acceptio; Ita Judæ traditio. Hinc enim ligatus eſt, & tractus in diverſa tribunalia: illi oculi velati: facies alapis cæſa, & pugnis: immò flagella eſt illuſus, verberatus, ſpinis coronatus, crucifixus, & occiſus.

5. Sicut Dalila non tradidit Samſonem odio, ſed avaritia, nam à Principibus Philiſthinorum mercede propoſita exſtimulata eſt, ſecùndum illud. *quod ſi feceris dabimus tibi ſinguli, mille, & centum argenteos*: Ita de Juda Ambroſ. in Pſalm. 35. Quæſivit avaritiam, & invenit ſacrilegium dicens, *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Ambo ſcelera-

ſceleratí qui amicitam pecuniæ poſtpoſuerunt, ſed Dalila ſuum amatorem vendidit quinquies mille quingentis argenteis, Iudas verò Dominum ſuum & Magiſtrum tantum triginta denariis: in quo graviſſimâ injuriâ Chriſtum affecit.

Hinc collige quantum ſit ſcelus infamis auri libido, ad quod probandum ſi omnia alia deeſſent, ipſius Iudæ factum ſatis eſſet, qui 10. aureis Chriſtum vendidit.

Vide 1. illius vitii furorem, quod tanta audeat: unde S. Leo ſerm. 9. de Paſſione: Impius Iudas maluit Miniſter eſſe diaboli, quàm Apoſtolus Chriſti, quem non timoris perturbatione deſeruit, ſed pecuniæ cupiditate diſtraxit. Videte dilectiſſimi, & prudenter inſpicite, quæ germina, qui fructus de avaritiæ ſtirpe naſcuntur, quàm meritò Apoſtolus, radicem omnium malorum eſſe definivit, quia nullum peccatum ſine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus, iſtius aviditatis eſt morbus.

2. Malitiam, quandoquidem omnia ſuo lucro poſthabuit. Idem S. Leo. Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit. Amori itaque pecuniæ, cedit affectio parentum, fratrumq; & Dei ipſius, & animæ propriæ, atque ſalutis: cupiditas enim auri pro his omnibus habet ſua commoda & utilitatem; unde ſubdit idem Doctor: Nullumque eſt in illo corde juſtitiæ veſtigium, in quo ſibi avaritiâ fecit habitaculum.

3. Cæcitatem: Iudas loculos ſervabat, plura furari poterat, plura furatus erat, & præſentis lucri cupiditas eum abripuit: unde S. Leo ait illi eſſe perinde ſive pro magno, ſive pro exiguo pereat. Et ſerm. citato; Et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit.

4. Inſenſibilitatem quia Iudas manus dare noluit omnibus Chriſti beneficiis ac demiſſionibus, eius ſcilicet qui eum vocavit ad Apoſtolatum, & ei ſuam omnem pecuniam, & eleemoſynas commiſit: Hoc advertit Sanctus Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 16. Denique de Iuda proditore, hæc colligere licet, qui & Apoſtolus inter duodecim electus eſt, & loculos pecuniarũ, quas pauperib9 erogaret comiſſos habebat, ne videretur, aut quaſi inhonorus, aut quaſi egenus Dominũ prodidiſſe. & ideò ut juſtificaretur in eo Dominus hæc ei contulit, ut non quaſi injuria exaſperatus, ſed quaſi prævaricatus gratiam, majori eſſet offenſæ obnoxius. Item ei ut aliis pedes lavit eidem ſuum corpus obtulit, eidem crimen ſuum revelavit, & tamen aliis texit, oſculum non negavit, nec tamen tot beneficiis tactus eſt.

5. Infelicitatem cui ſuum ſcelus non profuit, ſed quod miſerè fine concluſit: Nam; ut ait Ambroſ. ſerm. in 2. fer. Majoris Hebdom. Poſt redditum pretium laqueo ſe ſuſpendit, ut qui ſe mulctaret & vita: intelligens enim quantum ſcelus admiſerit, non ſufficit ei ſacrilegij carere mercede, niſi careret & ſalute, dignum enim ſe morte judicavit quod Chriſtum vitam omnium tradidiſſet. Severiſſimus igitur judex ſui Judas, vel in ulciſcendo confitetur, quem negaverat in tradendo. Jam compara ſtatum ex quo decidit, & eum in quem prolapſus eſt: nempe ex Apoſtolatu, in ſummam deſperationem; ut qui princeps Eccleſiæ eſſe debuerat, factus ſit formidabile reproborum exemplar: ut ſcias quo tandem deducat avaritia & amor pecuniæ. Fuerat Judas olim vir bonus, alioqui Chriſtum non fuiſſet ſecutus, multò minus in Apoſtolum fuiſſet electus: Hoc probat Ambroſius in c. 9 Epiſt. ad Rom. ex his verbis, S. Petri, *Qui ſortitus erat ſortem miniſterij hu-*

jus

Digitized by Google

us; Id eſt, Apoſtolatus: Quomodo enim miniſterium ſalutare ſortiretur, niſi eſſet bonus? In ſorte quippe Dei judicium fuit, dignum illum fuiſſe tempore illo quo electus eſt: Sed ubi eum cupiditas invaſit, ſtatim ad ima corruit: Nec ei ſua pœnitentia profuit, quia ut ait Ambroſ. lib. 10. in Lucam cap. 23 Non habebat proditor fletus quibus culpam ablueret, ſed tormenta conſcientiæ quibus ſacrilegium fateretur, quando projectis argenteis abiens laqueo ſe ſuſpendit, ut dum reus ſuo judicio damnatur, & ſpontaneo ſupplicio facinus expiatur, pietas Domini qui ſe ipſe nollet ulciſci, & divinitas probaretur, qui conſcientiam mentis, inviſibili poteſtate interrogaret.

II. Proditio quam Chriſtus paſſus eſt fuit à populo Iudaïco; cuius magnitudinem ut melius intelligas: Cogita quot titulis ille populus ad Chriſtum pertinuerit.

1. Quia Deus eum ſibi elegit ut eſſet ſuus populus, præ omnibus aliis. Audi quid dicat Deuteron 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram: Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus eſt Dominus & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pauciores, ſed quia dilexit vos Dominus,* & cap. 10. *En Domini Dei tui cælum eſt, & cælum cæli, terra & omnia quæ in ea ſunt: & tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amavit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos, id eſt vos de cunctis gentibus, ſicut hodie comprobatur.* Et ideo paſſim in Scripturis eos appellat ſortem ſuam, funiculum ſuum, hæreditatem ſuam, vineam ſuam, oleam ſuam uberem & ſpecioſam, domum ſuam, imo & filium ſuum, & ſponſam ſuam, cujus ſe dicit ſponſum, & virũ; unde peculiarem habuit de eo curam, eò uſq; ut diceret Amos 3. *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* Certè ipſi uni legem dedit, & alia penè omnia, veſtes, cibos, habitationem, ſacrificia, mores, privatos, publicos, in pace, in bello, &c.

2. Quia illi uni populo promiſſus fuit: *Abrahæ quidem, uti dicitur ad Galat. 3. dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus Non dicit: & ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus,* unde illi dictum eſt quod in ſemine ipſius benedicendæ eſſent omnes gentes. Et propterea de eodem populo ad Rom. 9. *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium & promiſſa.*

3. Quia ex prima intentione ad illũ populum miſſus fuit quod & ipſe dicebat Matth. 15 *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël:* Et ſic præcepit Apoſtolis Matth. 10. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed potius ite ad oves quæ perierunt domus Iſraël*: quod Apoſtoli exprobrarunt Iudæis cap. 13. Actuum: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ: ecce convertimur ad gentes: ſic enim præcipit nobis Dominus.*

4. Quia ex Iudæis naſci voluit ſecundum illud ad Rom. 9. *Quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem:* Item, inter illos vivere voluit: ex illis tantùm ſuos Apoſtolos fecit, & diſcipulos: & illos fere tantùm docuit, ſaltem ijs trium annorum ſpatio doctrinam ſuam largitus eſt, qui tribus tantùm diebus docuit Samaritanos.

Verùm illis non obſtantibus, ingratus populus Chriſtum multis modis prodidit.

I. Enim ipſe eſt qui Chriſtum primus morti addixit: Teſtes ſunt voces illæ, *Reus eſt mortis*. Atque ut ſcias quanto conſenſu, ſic ſcribit Marcus cap. 14. *Qui omnes condemnaverunt eum reum eſſe mortis.* Et hæc fuit Concluſio impij illius concilij: *Quid facimus,*

Digitized by Google

quia hic homo multa ſigna facit? Expedit ut unus homo moriatur pro populo. ab illa ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Quid quod cum pacti ſunt pecuniam cum proditore ut traderet eum, proditionis ſocij fuerunt. Immò cum redditam pecuniam acceperunt, totam ferè proditionem in ſe ſuſceperunt. Nam Iudas culpam agnovit dum dixit *Peccavi tradens ſanguinē Iuſtum*, & pecuniam retulit. Et quanquam, ut ait Ambr. in cap. 23. Lucæ, Iudas non abſolvitur, Iudæorum tamen impudentia confutatur, quos cum profeſſio redarguat venditoris, ſcelerati tamen ſibi vindicant jura contractus, & exortes reatus eſſe ſe credunt, dum dicunt, *quid ad nos? tu videris*: Amentes planè, qui putant ſolvi ſe magis authoris ſcelere, quam teneri: In pecuniarijs cauſis refuſo pretio jus ſolvitur: hi pretium recipiunt, & ſacrilegium proſequuntur, ac pertinacibus ſtudijs funeſtam ſibi vindicant ſanguinis auctionem, cum refunderet venditor ſacrilegii mercedem. Hæc ille

II. Proditio fuit in ipſius traditione quam fecerunt Pilato, ut judici, ſecundum illud Lucæ 23 *Et ſurgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum*: Item in accuſatione eius ab eis facta, & coram Pilato, & coram Herode, ſecundum illud. *Cœperunt autem illum accuſare dicentes hunc invenimus ſubvertentem gentē noſtram*, &c. & coram Herode: *Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ conſtanter accuſantes eum*. Ad hæc; in flagitatione mortis ipſius: Audi enim quid dicant Ioan. 19. *Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: crucifige, crucifige eum: Dicit eis Pilatus. accipite eum vos & crucifigite ego enim non invenio in eo cauſam: Reſponderunt Iudæi. Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori*: In quo vides ſolos Iudæos cauſam eſſe mortis Chriſti primariam & legitimam. Nam Pilatus quid non fecit ut Chriſtum liberaret? Herodes autem nihil ad mortem illi fecit; Sed Iudæi ex ingenti in illum odio mortem à nolente Iudice extorſerunt: unde Chriſtus ad Pilatum. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Sed tamen ingens fuit Chriſti dolor & ignominia, quod à ſuo populo traditus fuit: quod illi Pilatus exprobravit Ioan. 18. *Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi; quid feciſti?* Hinc Chriſtus apud Prophetas de ſua gente ſic conqueritur Ierem. 11. *Quid eſt quod dilectus meus, in domo mea fecit ſcelera multa? Tu autem Domine demonſtraſti mihi, & cognovi: Tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum: Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*. &c Et cap. 12. *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi Leo in ſylva, dedit contra me vocem, ideo odivi eam: Nunquid avis diſcolor hæreditas mea mihi? nunquid avis tincta per totum?* Septuaginta vertunt: Nunquid ſpelunca Hyenæ hæreditas mea mihi? an ſpelunca in circuitu eius? Certe ita populus infremuit in Chriſtum atque deſævit ut Leo ſuo rugitu, & Hyena ſua ſævitia; unde enim illæ voces: *Tolle, Tolle, crucifige*.

III. Proditio in rejectione ipſius pro Rege: Nam cū à Pilato petiiſſent ut ipſum crucifigerent, & Pilatus ſubdidiſſet; *Regem veſtrum crucifigam* ipſi magna indignatione reſponderunt *Nolumus hunc regnare ſuper nos*: Deinde *Non habemus alium Regem, niſi Cæſarem*: in quo vides incredibilem eorum furorem: Nam Meſſiam tot votis exoptatum, tot ſæculis expectatum, ſibi oblatum rejiciunt, & dominationem externam adeò ipſis exoſam ultro amplectuntur, ob ingens in Chriſtum odium. Et hoc ſignificatum eſt Daniel. 9. cum dicitur: *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus: & non erit eius populus qui eum negaturus eſt*.

IV. Denique & omnium maxima proditio populi Iudaïci fuit cum eum Barabbæ poſtpoſuit: Etenim ut aliàs fusè oſtendi ab omnibus rei circunſtantiis, Pilatus ne quid omitteret

eret quo Chriſtum liberaret, uſus conſuetudine qua in Paſchate aliquis reus populi ſuffragio liberaretur, duos propoſuit; unum latronem ſceleratiſſimum qui in ſeditione homicidium commiſerat, & Chriſtum; ac poſtulavit quem é duobus vellent dimitti; quæ collatio fuit maximè probroſa Chriſto: & populus ei Barabbam prætulit, quod indigniſſimum facinus ſatis exaggerari non poteſt.

Hinc collige. Quam ſit infidus mundus, cum Chriſtus tanta proditione traditus ſit à Iudæis, poſt tot ab eo accepta beneficia; ita ut reliquos populos inſtar canum haberet, Iudeos inſtar filiorum: *Non eſt bonum umere panem filiorum, & mittere canibus*: Ac vide incredibilem hujus populi levitatem, & ſubitã rerum converſionẽ. Ante paucos dies Chriſtum ſub triumphi ſpecie, magno apparatu, & ſumma alacritate ſuſceperant: *Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*: Nunc verſis animis eius mortem efflagitant, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum*: *Nolumus hunc regnare ſuper nos*: Hic multa poſſent adjici de vanitate mundi quo nihil perfidius fingi poteſt ſed quid evidentius hoc exemplo? *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*: Non eſt ſecurus Pater à filijs; non vir ab vxore; non ſubditus à Rege; non Rex à ſubdito; non Dominus à famulo; non amicus ab amico; ier 9. *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo, non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet: Et vir fratrem ſuum deridebit & veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium: ut iniquè agerent, laboraverunt.* Et quis ad iſta generoſè non contemnet mundum, qui inter oſcula, blanditias, & amplexus, multos prodidit, & tandem iter fefellit; Te-ne verò ſolum excipiet? Tu ſolus innoxius eris ab hac perfidia? Sed eheu quis Euripus, quod mare, quod pelagus magis inconſtans! Nonne vides quàm fœda ſint multorum naufragia? nec adhuc alieno ſapis exemplo?

III. Proditio quam Chriſtus paſſus eſt, fuit à Diſcipulis, de quibus dicitur Matth. 26. *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt*: Vide autem hujus fugæ turpitudinem, & ignaviam: 1. Poſt accepta ab eo tot beneficia, ac præcipuè poſt ipſorum electionem in Apoſtolatum, ſecundum illud Lucæ 6. *Vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit*; quibus proptereà dixit: *Vos non me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Itaque ſemper ei aſſiſtere debuerunt, & commori ſi opus fuiſſet: & ſi militi capitale eſt ſuum ducem deſerere, neque illi proditoriè Magiſtrum ſuum, & Dominum deſerere debuerunt. 2. poſt tot viſa ab ipſo facta miracula, tam varia, & tàm inſignia, immò & ab ipſis etiam patrata: quibus viſis non poterant amplius ignorare ipſum eſſe Filium Dei, cùm in eius rei probationem patrata eſſent, unde nihil timere debuerunt, quandiu in eius ſocietate forent, & patrocinio: ut enim rectè dixit Apoſtolus, *Si Deus pro nobis quis contra nos*? 3. poſt tot data documenta de vita negligenda: Matth. 16. *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum*, &c. *Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam*, &c *Quid enim prodeſt homini ſi mundũ univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*? Et Matth 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*: &c. 4. poſt tot monitiones, ne rei novitate percellerentur: Matth. 20. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte*, &c. &. cap. 26. *Vnus veſtrum me traditurus eſt.* Et poſtea, *omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte ſcriptum eſt enim percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis*: Immò eos præpararat; & Euchariſtia, nimirum corpore ſuo, ſanguine; & longo ſermone & exhortatione quam integram ſcripſit

S. Ioannes; & oratione *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: ſpiritus enim promptus eſt, caro autem infirma.* 5. poſt ſuam pollicitationem & fidem datam: nam cum eos de venturo ſcandalo monuiſſet, ac dixiſſet Petrus, *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo,* ſubdit S. Matth. cap. 26. *Similiter & omnes diſcipuli dixerunt*: Sed vide quâ fide; *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt.*

Sed quanquam fuga fuerit æqualis, non tamen ſimilis omnium caſus, ſed ſuper omnes turpiùs cecidit Petrus.

IV. Itaque proditio quam Chriſtus paſſus eſt fuit Petri negatio, quæ in ſuis circunſtantiis habet aliquid peculiare, & quæ tanta fuit, ut diverſè, etſi non contrariè, deſcribatur ab Evangeliſtis: Nempè ut ait Ambroſ. in cap. 23 Lucæ. Ita novum fuit Petrum potuiſſe peccare, ut peccatum eius nec ab Evangeliſtis potuerit comprehendi. Porrò ex his capitibus mihi videtur magis damnanda.

I. Quod caput eſſe Apoſtolorum & princeps, & Eccleſiæ fundamentum nam quid ab aliis ſperari potuit, ſi Petrus negavit, ſi petra ipſa cecidit, & non habuit firmitatem? certè ſi tantum ſui nominis meminiſſet, firmus eſſe debuerat, nec tam facilè concuti.

II. Poſt mirabilem illam confeſſionem quò dixerat, Matth. 18. *Tu es Filius Dei vivi*: poſt originem mirabilis illius confeſſionis, nempe revelationem Patris *Beatus es, Simon Bar jona, quia caro, & ſangvis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt*, & poſt tantæ confeſſionis præmium: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum*: poſt quæ quis ferat tam turpem negationem?

III. Poſt illi communicata omnia ſecreta: Vndecim alios excluſit Chriſtus, ſemper Petrum admiſit: Item poſt ſingularem illius in omnibus occaſionibus tractationem: Illi mutavit nomen; *Tu vocaberis Cephas*: Ingreſſus eſt eius navim: Illi dedit ambulare ſuper fluctus: Pro illo tributum ſolvit Matth. 17. *Invenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & te*: Quomodo ergo Petrus dicere potuit, ſe hominem non noſſe: quomodo negare ſe unum eſſe, ex ipſius diſcipulis?

IV. Poſt tam ſolemnem Chriſti admonitionem, & in cœnaculo & in horto: in cœnaculo quidem præter illam communem, *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte*; ſingulariter ad Petrum: *amen dico tibi quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis*: In horto autem omnes monuit ut orarent; ſed ſingulariter hoc ad Petrum; Marci 14. *Simon dormis? Non potuiſti una hora vigilare?*

V. Poſt tàm expreſſam Petri promiſſionem, uſque ad jactantiam, & ſui prælationem. Marci 14. *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego*: & de ſuo caſu monitus, *at ille amplius loquebatur, & ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo*: Sed vide quàm dictis, & promiſſis facta male concordarint, cùm Petrus ſuper omnes turpius negaverit.

VI. Quod ad leviſſimã occaſionẽ negaverit, nempe ad unius ancillæ vocem: Quid feciſſet ſi eum Caiphas juridicè interrogaſſet? Quantum illud eſt, ut qui potuit frementes Oceani fluctus calcare, ad unius tentationis guttam, ut quidam è SS. PP. loquitur ſubmerſus ſit.

VII. Quod non ſemel, & ſecundò, quaſi ſubitò deprehenſus negavit, ſed quod tertiò; & pluries etiam facturus, ſi pluries eſſet interrogatus, nec à Chriſto fuiſſet peculiari intuitu revocatus: Vnde S. Ambroſ. in lib. 10 in Lucam cap. 23. Negavit primò Petrus, & non flevit, quià non reſpexerat Dominus: Negavit ſecundò, & non flevit, quia nondum reſpexerat Dominus: Negavit & tertiò: reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè flevit.

I. In

Digitized by Google

8. In modo negationis ſemper crimen augendo: nam primò quidem interrogatus ab ancillâ oſtiariâ, num eſſet ex Chriſti diſcipulis, ſimpliciter negavit ſe eſſe, immo ſe neque intelligere qua de re loqueretur *Neque ſcio, neque novi quid dicas*: Auguſt, tract. 113. Ecce (inquit columna firmiſſima, ad unius auræ impulſum, tota contremuit: Vbi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſumentis? Vbi ſunt verba illa, *Quare non poſſum te modo ſequi? animam meam pro te ponam*: hoccine eſt ſequi Magiſtrum, ſe negare diſcipulum? ſiccine anima pro Domino ponitur, ut ne hoc fiat, vox ancillæ formidetur? Sed ſecunda negatio peior fuit: Nam cum altera ancilla affirmaret diſcipulum, & idem alius ex circunſtantibus diceret: *Iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem.* Sed cum tertio aliquis affirmaret, eũ verè Chriſti eſſe diſcipulum, & aliis diceret ſe illum vidiſſe in horto, & alii confirmarent ſatis id ex ſua loquela deprehendi; tum demum ut ait Matthæus, *Cœpit jurare, & deteſtari*, & Marcus, *cœpit anathematizare & jurare quia non novi hominem* Prima igitur vox eſt negantis Petri, 2. jurantis 3. devoventis & imprecantis: ut ſcias turpiſſimè lapſum eſſe. Et certè eò uſque progreſſus eſt, ut ei opus fuerit peculiari Chriſti oratione pro eo: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*: & peculiari intuitu, ut ait Lucas, *converſus Dominus* eum *reſpexit*: & *recordatus Petrus verbi Domini; egreſſus foras flevit amare.*

Collige 1. quàm parùm ſit hominibus fidendum poſt has perfidias, & poſt hæc exempla. Nam quot perfidias Chriſtus expertus eſt? Quid quod nec in ſeipſo nimis fidendum eſt: cum hæc confidentia Petrum afflixerit atque proſtrarit ad unius ancillę affatum. Rectè dixit Ambroſ. in cap. 23. Lucæ. Error Petri doctrina Iuſtorum eſt, & titubatio Petri, omnium Petra eſt: Hinc diſce quanta ſit in noſtris propoſitis imbecillitas, quantumcunque firma ſint, & quàm aliter ſit de nobis in periculo & extra periculum conſtitutis judicandum: oppone itaque verba Petri in ultimâ cœnâ, & eiuſdẽ poſteà turpẽ defectionem.

Collige 2. Animas ſpiritales confundi debere de parum fidelibus promiſſis, immò de ſuis nimiũ frequentibus proditionibus Quã enim ſæpè Chiſtum deſeruimus cum diſcipulis fugientibus? Quàm ſæpè cum Petro denegavimus eius magiſterium, & conſuetudinem? Immò cum Iuda oſculo & rerum ſacrarum uſu Chriſtum prodidimus? Vt de nobis dici poterit quod de Iuda dixit Ambroſ. in cap. 13. Lucæ: Iudas proditionem ſangvinis Domini, inter ſacrificia poſitus cogitabat. Eheu! quando pœnitebimus? & ſic adhærebimus Chriſto ut nec tribulatio nec anguſtia, nec fames, nec gladius, &c. poſſint nos ſeparare à charitate Chriſti. Ita ſit aliquandò & citò, ut eius conſpectu fruamur in cœlo, idque in æternum.

* * *

Digitized by Google

V. ET VLTIMA PARS,

Seu

ALIA CONCIO.

De Chriſti doloribus externis.

Attendite, &, videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Lament. *1.*

SI ordinem naturæ ſpectemus, licet à minoribus ad maiora progreſſus fieri debeat, quia ubi majora dicta ſunt, fruſtra minora afferunt, præſertim languente ſemper affectu: Quia tamen quæ ſunt maxima, non ſemper maximè movent; & quoniam extrema plus movent quam interna; tum quia ſunt magis ſenſibilia, tum quia magis ſunt in noſtrâ experientiâ, & conſequenter plus nobis cognita, denique quoniam totum hominem commovent, & partem ſuperiorem, & partem inferiorem, & utrumque appetitum, & ſenſitivum, & rationalem; propterea illa in ultimum locum rejecimus, dicturi de externis Chriſti doloribus; quorum magnitudinem quoniam nulla mens capere poteſt, & multo minus nulla lingua exprimere, omnium facillimam rationem inire placet, ab eorum tormentorum quæ Chriſtus paſſus eſt enumeratione. Quod tamen quia eſſet plurium dierum opus, ſi omnia ſigillatim perſequi vellem; ideò in tribus præcipuis hæreo, hoc eſt in flagellatione, coronatione & crucifixione.

Quoad flagellationem attinet.

I. Conſideratio eſt de causâ: S. Hieron. in. cap. 27. Matth ait ideò Chriſtum juſſum eſſe flagellari, quia ex uſu Romano prius erat flagellandus, quàm occidendus, ſecundum illud: I lictor, colliga manus, verberato, caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito: Sed S. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 15. & S. Auguſtinus tract. 116. putant id factum, quod Pilatus, cum obſtinatos videret animos accuſatorum, & ſummum eorum odium, ac furorem, atque intelligeret ſe non facile eorum amentiæ poſſe ſatisfacere, ſtatuerit, ſi non omninò, ſaltem ex parte, eorum rabiem ſatiare, Horrendũ quidem ei ſcelus videbatur unâ ex parte, innocentẽ morti addicere; ex alterâ parte nihil videbat quo furorem Iudæorum placaret: hæc illi viſa eſt ratio commoda, ut Chriſtum acerbiſſimè flagellaret, ſperans ſe hac

Digitized by Google

ſe hac ratione mitigaturum horum leonum feritatem. Ait itaque Evangeliſta; *Apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit*: & eius intentionem Lucas ſic expreſſit: *Emendatum ergo illum dimittam*; Itaque Auguſtinus in Pſal. 63. Non perſequendo flagellavit Dominum Pilatus, ſed Iudæorum furori volens ſatisfacere, ut vel ſic jam miteſcerent, & deſinerent velle occidere, cum flagellatum viderent: in quo graviſſimè deliquit: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, quod Iudici maximè obſervandum eſt, cuius eſt abſolvere innocentem & crimen inſequi ſecundum illud Daniel. 13. *Dicente Domino, innocentem, & juſtum non interficies*: & quanquam Pilatus laverit manus, tamen facta non diluit, ut ait Ambroſ. judex enim, ait, nec invidiæ cedere debuit, nec timori, ut ſanguinem innocentem addiceret.

II Conſideratio de huius ſupplicii gravitate. 1. quidem ex genere ipſius. Fuit enim ignominioſiſſimum, & extra mutilationem, & mortem graviſſimum, ac non niſi ſervorum proprium, quod civi Romano infligere fas non fuit: ut docet Tullius orat. pro Rabirio & conqueritur Paulus Actor. 22 2. ex intentione Chriſti, & Pilati, fuit graviſſimum. Nam Chriſtus hoc ſupplicio voluit Patri ſatisfacere: Iſaiæ 53. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*, & infrà: *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*: &c. *diſciplina pacis noſtræ ſuper eum* Pilatus enim voluit flagellationem eſſe totius accuſationis pœnam: ac ne Iudæi aliquid maius expoſcerent, atrociſſimam illam eſſe juſſit: quæ Pilati intentio, cum à Chriſti inimicis ſic caperetur, ut crederent Pilatum, poſt flagellationem Chriſtum dimittere decreviſſe, ſecundum illud, *Emendatum ergo illum dimittam*, cauſa fuit, ut acerbiſſimè exciperetur: ſic enim cum miniſtris, & tortoribus egerunt, ut ſi fieri poſſet, in eo ſupplicio moreretur: quare ſcriptum eſt in Pſal. 72. *Fui flagellatus tota die: & caſtigatio mea in matutinis*: Si mane, quomodo totâ die? quia ſcilicet manè quidem facta eſt, nam hora quaſi ſextâ, cruci affixus eſt, ſed ſi effectum ſpectes, totâ die: ſic enim malè eſt habitus, ac ſi tota die flagellatus fuiſſet. Acceſſit etiam ferocitas militum quibus traditus fuit, quibus nullus pietatis, & compaſſionis ſenſus, & qui ſua ſponte variè Chriſtum vexarunt, multò magis iuſſi, præſertim cum à Iudæis & Pontificibus pecunia ſollicitarentur.

III. Conſideratio eſt de modo.

1. Jtaque Chriſtum Dominum publicè veſtibus ſuis nudarunt: ô facinus! ô audaciam. Cogita mirabilem Chriſti pudorem, & verecundiam, longè maiorem eâ omni, quæ nunquam fuit in animo Virginis cuiuſcunque maximè verecundæ. Certè tunc primum ſe vidit nudum in vita Sed hanc etiam confuſionem pati voluit. O mirabile ſpectaculum & exhorreſcendum Angelis, qui eo obſtupefacti feriuntur, & quaſi extra ſeipſos tunc rapti! An non aliquod arboris folium exiſtat, quo ſecundi huiuſce Adami nuditas tegatur, ſicut ficus frondes primum velarunt? an non herbam plantamque aliquam terra producat qua operiatur? Alas, ô Seraphim, veſtras uſq; ad eũ extendite, veſtraq; illũ obtegite gloria; Tuque, Sol, lumen tuum amove, ac eum obumbra qui tuam tibi claritatem impertiit. Jlle potuit terram, herbis, & floribus; Mare, ut ait Jobus, nube, quaſi pannis infantiæ obvoluere, aërem tenebris, cœlos lumine, aſtra luce, arbores frondibus, animalia ſetis, villis, lana, & pellibus; piſces ſquamis: aves plumis veſtite: cũ interim nudus in omnium oculis, & irridendũs exiſtat. Adã nudum ſe ipſe exhorruit, & ad ficum accurrit ut regeretur: Noëmum quod nudus eſſet, Chanaã irriſit Davidẽ Michol deſpexit 2. Reg. cap. 6. *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël*,

Digitized by Google

rael, diſcooperiens ſe, &c. *& nudatus eſt quaſi unus de ſcurris.* Et hoc hodie de Chriſto dicitur! Verùm; debuit aliquando Thecla nuda certare in theatro, & Tyranni plurimas Virgines & Matronas hâc ignominiâ debuerunt afficere: debuit multorum procacitas ſe ſuâque, & aliena corpora hâc contumeliâ vexare: Vt igitur omnibus ſatisfaceret, eandem injuriam ſpecioſus, & caſtiſſimus inter filios hominum, & virginitatis author pati voluit. 2. Ita nudatum vinculis conſtringunt: Ambroſ. Tàm patiens Dominus, ut fugitivorum vinculis ſuum corpus offerret. O vincula! ô funes! Quæ nam, ô Deus, te potuerunt conſtringere vincula? Certé tu noſtra voluiſti diſrumpere? tu Satanæ nexus & catenas frangere? nam tu author, & aſſertor libertatis. Numquid tu non fort or Samſone, ut omnia frangeres; *Philiſtiim ſuper te Samſon*: Quæ te Dalila decepit? Quis crines tuos abſcidit? quis robur abſtulit? Sanè fruſtra te homines colligaſſent, niſi Pater tuus te ligaſſet, uti Abraham ſuum Iſaac? quod Rupertus, ait? colligavit planè Pater filium ſuum non imbecillitatis vinculo, ſed magnæ charitatis imperio, ne oblatum Calicem paſſionis, mori dedignatus abigeret. Item: non teneretur, niſi amore teneretur. Laur. Iuſtin. de ligno vitæ cap. 4. ô charitas quàm magnum eſt vinculum tuum quô Deus ligari potuit! Nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere poſſet, ſi charitatis vinculum defuiſſet.

3. Vinculis innodatum alligant ad columnam: Ità ne verò ille ad columnam ligatur, in cujus conſpectu columnæ cœli pavent, & moventur, & contremiſcunt? Ille qui quondam tot annis populum per deſertum deduxit, columnâ ignis per noctem, & columnâ nubis per diem? Hanc columnam aliqui parvam eſſe dicunt, ne humeri occultarentur qui præcipuâ cædendi erant: & ſi hæc opinio vera eſt columna quæ Romæ apud S. Praxedem viſitur, integra eſt. Alij dicunt columnam fuiſſe altam, & ita cenſuit S. Hieron. epiſt. 27. qui ait ſuſtinuiſſe porticum atrij Pilati, ſeu Prætorij: & ſi hæc ſententia vera eſt, columna Romana ejus tantummodò pars eſt? & ratio quæ allata eſt, nihil probat: immò reiamplectebantur columnam, & totum dorſum flagellantibus obvertebant; unde Prudentius. Columnæ annexus tergum ut ſervile flagello, &c. Chriſtus itaque columnam complexabatur, ut rem ſibi charſſimam ob noſtri amorem: & hujus columnæ locum ambiebat Sanctus Auguſtinus, cùm dicebat: inter brachia Domini mei Ieſu, & vivere volo, & mori cupio. Tu interim in columnâ agnoſce invictam patientiam, quâ omnia adverſa ſuſtinere debes: ita in tribulatione, conſtans eſto in adverſitatibus, & Dominum imitare.

4. Sic columnæ alligatum vinculis tortores immaniſſimi flagellare cœperunt. Cùmque reus, vel virgis cæderetur, perſona eſſet nobilis, vel flagellis, ſi eſſet ignobilis (ait Sanctus Hieronymus, ac Tullius meminit in oratione pro Rabirio, omnem civem Romanum, cujuſcunq; eſſet cenſus, virgis cæſum fuiſſe? Et Paulus Actor. 22. *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare*) quamvis nulla ex his cauſis Chriſto deeſſet, ob quas flagellari non debuerat: (nam ſi nobilitas ſpectetur, ſecundùm naturam divinam Deus erat: quid magis ſecundùm naturam humanam, ſurculus erat ſtirpis Davidicæ, & Regiæ: ſi jus civitatis ſpectetur, ipſe eſt qui illud donat? non urbis Romæ, aut alterius terreſtris, ſed cœleſtis? ſecundùm illud Epheſ. c. 2. *Iam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperadificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*:)

Digitized by Google

Ieſu:) Tamen ad maiorem ignominiam, & dolorem, Chriſtum flagellis ceciderunt; unde Evangeliſta Ioannes cap. 19. *Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit.* Quidã tamen voluerunt ut Euſeb. Cæſarien. & S. Chryſoſt. Chriſtum cæſum fuiſſe primò flagellis, tum funibus, tũ catenis ferreis. Quicquid dici poteſt crudele, non ſuperat immanitatem carnificum, nec odium diaboli, nec Iudæorum invidiam, nec patiendi deſiderium, quo Dominus noſter flagrabat, neque Dei patientiam qui tolerabat.

Contemplare anima mea ingentem illam ictuum tempeſtatem: ſtrepunt undique, & crepitant ictus, qui frequentius incidunt in Chriſti carnem, quàm ſoleat grando ſuper tecta. Ab ictibus inflictis corpus primò rubeſcit, & quaſi ſulcis notatur; mutatur ſenſim & deformatur livore, ac totum ſanguine diffluit; pelleque penitus inciſâ, ictus omnes in carnem exulceratam incumbunt, extrahuntque fruſta, eamque totam lividam efficiunt, & lacerant uſq; adeò ut detegant oſſa; in humeris præſertim lumbiſque, ubi maxima pars ictuum, loraque extrema conſident, neque amplius niſi plagas vulneraque ipſa diſcruciant. Vix carnifices ſpiritum trahunt, vires deficiũt, flagella rumpuntur, & ſimul cum ſanguine & carnium fruſtulis diſſiliunt undique veſtes in terra depoſitæ tinguntur ſanguine; eodem brachia, manus, pedes, facies, & ora rubeſcunt; ipſa columna undique aſpergitur, ut rupes in oceano, aut ſpumâ, aut aquâ: ipſa terra ſanguine purpuratur, tota area rubeſcit; & ubique nil præter ſanguinem cernitur. Hîc rectè exclamat Rupertus in cap. 16. Ioannis, Theatrum mundi totius, facta eſt Pilati domus. Spectaculum grande in ea proponitur, toti mundo, Angelis, & hominibus, ut à ſervis peccati, princeps libertatis, ſervilibus modis cæderetur. Grande ſpectaculum, & ſtupendum, & inauditum: Deus homo flagellis cæſus inſtar ſervi contemptibilis. Quis non obſtupeſcat & contra ſe penitus non rapiatur ſi Deum hominẽ contempletur, omni maieſtate, omnique potentia præditum, columnæ alligatum funibus, & terga præbentem verberibus? *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ cæli deſolamini!* Obſtupeſcite, Angeli, Cherubim, & Seraphim ſuper hoc: Quia vos noviſtis, quid eſt hoc: Quis ſit hic, nive candidior, quem effuſus ſanguis, roſis reddit rubicundiorem. Tum pergit adeſte Angeli, infiniti propemodum eſtis: Vnus veſtrum facillimè è tortorũ manibus illum poteſt eripere. Quid agitis? numquid ſtupor veſtras cohibuit vires? Non ſtupor cohibuit, cohibet veſtram, qui flagellatur potentiam, ſicut & cohibet ſuam: *Oblatus eſt quia ipſe voluit*, ad columnam funibus aſtrictus tenetur, quia ipſe voluit: Infinitum enim Samſonem, non hominum funes, ſed potentiſſimi amoris vincula, quo humanum proſecutus eſt genus, ligare potuerunt. S. Bernardus. Ceſſavit jam antiqua illa laus: *Non accedet ad te malum, flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*: fuit olim cum diceretur *flagellum inundans ſuper iniquos*, ſed jam ita loquetur: *Ego in flagella paratus ſum*: Tu olim Ægyptum flagellaſti tot plagis: Tu iam non Iudex, ſed reus *quoniam ego in flagella paratus ſum*: de illo dixit Ezechias in ſuo Cantico, *Proiecisti poſt tergum tuum, omnia peccata mea*: nihil itaque mirum ſi dicat. *Congregata ſunt ſuper me flagella*: Proverb 10. *Virga in dorſo eius, qui indiget corde*: Tu nimirum ille es, cuius ros in nos tranſivit. Quando voluit populum caſtigare oſtendit Ieremiæ virgam, & ait, *Quid tu vides Ieremia? virgam vigilantem ego vigilabo ſuper verbo meo, & faciam illud*: Quid tu verò Ioannes Evangeliſta? quid vides? virgam vigilantem ego video, quæ vigilat, & parata eſt Deum ipſum percutere: Sed ô Iuſtitia divina, quid facit hæc virga in humeris Filij,

Filii, & juſti ? Cur non potius in humeris peccatoris? Sed nimirum hæc virga eſt Amygdalina, & floret in humeris juſti & fructus ſuos affert, Semper quidem vigilat in ſe, & nunc in Chriſto vigilat, ſed ſæpè in humeris impii dormit: Veniet tempus cum vigilabit ut virga ferrea de qua David: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*: Tu vide an malis pati virgam vigilantem, ſcilicet afflictionem, an verò ferream dormientem: Certe priorem elegit Auguſtinus cum dixit: Hic ure, hic ſeca, dum in æternum parcas. Tu interim oſculare ſummitatem virgæ, cum Eſther Regina, vel adora cum Joſepho, vel guſta cum Ionatha dulcedinem mellis gratiæ Divinæ & fuſi ſanguinis; & memor illius virgæ qua gentes regit, memento ultimæ ſententiæ qua ut ait Iſaias cap. 11. Percutiet impios, cum *percutiet eos virga oris ſui*: & mecum tranſi.

IV. Conſideratio eſt de numero plagarum. Nonnulli ſunt qui ad quinque millia, & plus etiam numerum extendant; videtur incredibile: illud tamen certum eſt fuiſſe ingentem: nam ſi ex Deuteron. 15. *Iuxta menſuram delicti, erit & plagarum modus*, cum delicta quæ in ſe ſuſcepit, ſint innumera, plagæ, & flagella non habebunt modum, vel menſuram. Et ſi multa ſunt flagella peccatoris, multa quoque flagella juſti, qui peccata expiavit: juxta illud Lucæ: *Plagis vapulabit multis*, præſertim quia juxta Iſaiam, *Projecit peccata noſtra poſt tergum ſuum: etenim diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus*. Quod ſi in nobis à planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas, debuit etiam à planta uſque ad caput flagellari. Hinc Auguſtinus ſerm. 114. de Tempore, omnes homines ad hoc ſpectaculum, quaſi ad commune theatrum invitat: Agnoſce, homo, quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantum Redemptionis tuæ dignitatem perſpicis, ipſe tibi pecandi pudorem indicito: Ecce pro impio pietas flagellatur, & ſi multa flagella Redemptoris; *Pro menſura delicti, & plagarum modus*. Maxima fuit menſura peccatorum, maxima etiam ſit menſura plagarum.

V. Conſideratio: Quis fuerit Chriſti Domini habitus, quis ſenſus toto tempore flagellationis, docet Bernardus. Fluebant lachrymæ, fluebat ſanguis, & de paradiſo illo cœleſti, cruoris flumina manabant. Certè toto illo tempore, nunc oculos ad Patrem tollebat, ſi adiuvaret, nunc præ dolore corpus aut curvabat, aut vertebat, nunc vix ſpiritum ducebat, nunc oculos obvertebat ad carnifices, ſi forte mollirentur: interim nec vocem, ac ne vix ſuſpirium emittebat, ſed dicebat illud Iſaiæ 46. *Ego feci, ego feram, ego portabo, ego ſalvabo*: Ego pro hominibus ſponſorem me feci; jam luo quod promiſi: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi*: Hoc eſt, nec injuriæ ſum recordatus; quia etiã ij qui me flagellabant, ignovi. Quàm rectè ad Patrem dicebat *Conſcidiſti ſaccum meum*, & merito, quia ut ait Job: *Signaſti quaſi in Sacculo delicta mea*. Etenim in in ea ſacra Humanitate, omnia hominum peccata incluſerat, ut caſtigarentur. Hoc ego ſacco, ô Chriſtiane, te induere volo: *induimini Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, Imitare Baruch capite 4 *Exui me ſtola pacis, indui autem me ſacco obſecrationis, & clamabo ad altiſſimum in diebus meis*. Certe ſic veſtitutus omnia à Patre impetrabis.

VI. Conſideratio eſt. Quid fuerit de Chriſto, finita flagellatione nam cum tortores defatigati eſſent, ceſſarunt percutere: imo tandē receſſerunt, & Chriſtum ſolum columnæ adhuc illigatum, nulla re, niſi ſanguine ſuo, & vulneribus coopertũ, reliquerunt, Placebit vobis, Auditores, ut accedamus, & dum licet per tortores, lugendo planè ſpectaculo paſcamur. Sic quidem Bernardus eo paſcitur: O Chriſte ſancte, o Jeſu bone, & noſtri amantiſſime, quanta pro me pateris? quãta à carnificibus

Digitized by Google

ficibus ſuſtines *Ego rapui, tu exolvis; Ego acerbam uvam comedi, & dentes tui obſtupeſcunt*: Ego ſcelus commiſi, & tu pœnas luis, & flagellaris, Ecce ſancte Iſaia virum illum dolorum, quē quærebas & expectabas: Ecce bracchium Domini revelatum: *Deſideravimus eum*, aiebas *deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: à planta pedis uſque ad verticem nō eſt in eo ſanitas.* Quid interim Chriſtus? In ſpiritu humilitatis, & animo contrito, ploravit ſupra ſingulos, & de ſingulis meminit apud patrem. Quis tibi tunc ſenſus de peccatore? Quis ſuper ſingulos qui hîc adſunt? Tu, quiſquis es, mi Auditor, paululum quieſce, & tuos ſenſus explica cum Chriſto Domino: Quid de ipſo ſentias? Quid de te ipſo? Conclude, Quid poſt illud exemplum facere velis, Quid pati, Quid in te ſuſcipere.

Sed diri Tortores non ceſſant ab eo cruciando, niſi ut ad nova tormenta novas vires comparent: Et quoniam verticis facta eſt mentio: *A planta pedis uſque ad verticem*, &c. & ea pars corporis in flagellatione videbatur excepta, propterea ut ſuum eſſet capiti ſupplicium, divina Bonitas permiſit, ut hominū crudelitas inuſitato ſupplicio adverſum ſe uteretur: nempe coronatione ſpineâ; De qua Iſaias 22. *Coronans coronabit te tribulatione.* Nam licet Pilatus id non imperarit, milites tamen cùm Chriſtum, hominem nihili ducerent, in eum quidlibet auſi ſunt: Vnde S. Leo ſer. 10. de Paſſione: Pilatus Dominum Ieſum diverſis contumeliis affici, aut permiſit, aut iuſſit. Porrò hoc ſupplicium, & plenum doloris fuit, & ſummæ ignominiæ, ſed magni etiam myſteriis.

I. Quod dolorem attinet, fuerunt illæ ſpinæ ex iuncis marinis, itaque & grandes, & duræ, & acutæ: Quare in cute capitis profūdiſſimè infixæ ſunt. Multi aſſerunt fuiſſe numero 72. & totidem puncturas: hoc certum fuiſſe integrum circulum, & capitis operimentum, & altè hæſiſſe carni, maximumque dolorem effeciſſe, cùm venas ſimul, & nervos, & cutem ſpiſſiſſimam traiicerent. &c.

II. Quod ignominiam ſpectat, cùm ad ludibrium fieret, regiæ illius dignitatis, nihil omiſſum eſt quo Rex ridiculus appareret: unde Bern. ſer. de Paſſione cap. 4. Ingeritur tibi à generatione prava, & amaricante honor deriſorius in corona.

1. Itaque adducunt in prætorium, ut in loco publico maior eſſet ignominia, & iniuria: & convocant totam cohortem, quaſi ad lepidum, & ludicrum ſpectaculum; & ut aliquid ad hunc ludūm omnes conferant, ut à pluribus eſſet iniuria.

2. Iterum nudarunt, ſecundum illud Matth. *Et exuerunt eum*, ut ſcias ter nudatum: ad flagellationem, ad illuſionem Regiæ dignitatis, & ad crucifixionem: quod magnū attulit Chriſto pudorem, ut coram tot militibus ad procaciā proiectis nudaretur

3 Varias multiplicarunt contumelias, eum in ridiculum Regem inaugurando, per omnia Regum inſignia:

1. enim thronus fuit lapis, aut ſcamnum, idque in modum tribunalis factum, ut docet Clem. Alexandr. 2 pædag. c. 8.

2. Fuit corona ſpinæ ex iunco marino, aut ut ait Gretſerus ex rhamno: corona planè miſerabilis, non ex ſtellis compacta neque ex gemmis, non ex auro, non unionibus, non ex floribus aut frondibus: ſed loco auri, ex ligno: loco gemmarum ex ſpinis acutiſſimis *& plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt ſuper caput eius*.

Neq; id mirum eſt, ait Bernar. Quoniā Reges ſolent facere coronas & ornāmenta regalia ex iis quæ offerunt ſubditi: porrò quid aliud offerre homines poſſunt præter ſpinas, ex quo

ob peccatum, terra ſpinas, & tribulos germinavit: uti dicitur Geneſ. 3.

Legimus Nazaræos olim fuiſſe coronatos: Nam vox Nezer ſignificat ſeparatum, ſeu dedicatum, vel coronatum: ſive quod Nazaræus ſuis capillis coronaretur, ut aut aliqua quacunque corona, ſecundum illud Geneſ. 49. *& in vertice Nazaræi inter fratres ſuos*: Chriſtus autem in Paſſione nominatus eſt Nazarenus, etiam cum expreſſo titulo: & merito, quia crucifixus eſt coronatus, ut paſſim referunt picturæ: & ſcripſit Origen. in Matth. cap. 27. Tertull. contra Iudæos cap. 13. & innuere videtur S. Math. cap. 27. *Et poſtquam illuſerunt ei exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigerent*, non dixit quod coronam abſtulerint, ſed tantum chlamydem.

Item coronati Iſraëlitæ legem accepturi: Ita apud Lyranum. Gaudebant ſcilicet Hebræi ſe à cæteris gentibus per legem eſſe diſtinctos: Itaque cum lapſi ſunt in Idololatriam, audierunt à Deo Exod 33. *Iam nunc depone ornatum tuum ut ſciam quid faciam tibi: depoſuerunt ergo filii Iſraël ornatum ſuum*: videlicet coronam à ſe abjecerunt. Iidem cum jam eſſent terram promiſſionis ingreſſuri, coronas ſibi plexuerunt ex floribus lectis in monte Amana: Ita Lyranus explicat locum illum Cantic. 4. *Veni de libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de monte Amana.* Sic Chriſtus legem Patris perfecturus, & ingreſſurus alium vitæ ſtatum, coronari voluit.

Quis neſciat Sponſos ex veteri more fuiſſe coronatos: Iſaiæ 61. *Quaſi Sponſum decoratum corona.* Ita Chriſtus ſecundum illud Cant. 3. *Egredimini, & videte, filiæ Sion Regem Salomonem, in Diademate quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Caput ſummi Sacerdotis inſignitum fuit corona, & cydari: Levit. 8. *Cydari quo ſe texit caput*: & ſemper Reges coronati apud omnes nationes. Chriſtus itaque cum eſſet & Sacerdos, & Rex debuit coronari, & cum milites Chriſti regno vellent illudere, *Coronam ſpineam plectentes, impoſuerunt capiti eius.*

Neque vero vilis materia tibi diſpliceat: Nam olim qui civem ſervaſſet non aurea coronâ donabatur, ſed ex foliis quercus compacta unde ſic Plinius exclamat lib. 16. cap. 4. o mores æternos, qui tanta opera, honore ſolo donaverunt, & cum reliquas coronas auro commendarent, ſalutem civis in pretio eſſe noluerunt!

3. Pro ſuo regali pallio & pro purpura ſago militari donatus eſt: Chlamydem coccineam appellat Matthæus, quæ idem eſt quod paludamentum purpureum quod armis imponi ſolebat: ex colore autem fuit ſignum Regiæ dignitatis. Probabile eſt fuiſſe veſtem detritam alicuius militis, quæ quia brevior erat armis imponebatur. Hac primum uſum fuiſſe Romulum nonnulli ſcribunt: Vide Corder. in Cathena in Lucam.

4. Pro Sceptro, in manum ipſi data eſt arundo ſeu canna, verè Sceptrum irriſionis.

5. Fauſtæ acclamationes, ſolemnis renunciatio, & reverentiæ, fuerunt ſcommata, ridiculæ ſalutationes, & genuflexiones, ſputa, alapæ, verbera, & percuſſiones in caput: in quibus omnibus, & magnus dolor fuit & ſummus contemptus.

Sed III. loco uti dixit S. Cyril. Hieroſol. Catech. 12. Myſterium erat corona ſpinea. Nam ut ait S. Ambr licet iſta milites deteſtabili operarentur affectu, honoratum tamen exitum produnt, cum pungentes coronant, & illudentes adorant, &c. illis defuerit boni operis effectus, Deo tamen ſuus non defuit honor, qui ſalutatur, ut Rex, coronatur ut Victor, quaſi Deus, & Dominus adoratur. Itaque coronatus fuit Rhamno, cuius virtus contra ſerpentes: In Apologo Judic. 9. quod regnum cæteræ arbores, ut vitis, olea, & ficus, detrectarunt Rhamno datum eſt, Ac licet in principio, uti,

dicitur

Digitized by Google

dicitur in cap. 3. datus ſit in pœnam: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi*: Quia tamen ſicut multæ plantæ venenoſæ, cum in melius ſolum tranſplantatæ ſunt, ac ſub meliori cœlo dulces fructus pepererunt, idem contigit in ſpinis, quæ in terrâ peccatorum ſatæ, fuerunt pœna peccati, ſed in Chriſti caput tranſplantatæ, factæ ſunt pretioſæ, & caræ. Hinc quàm multi eiuſmodi ſpinas prætulerunt roſis: & impletum oraculum Ezechielis cap. 28. *Non erit ultra domui Iſraël offendiculum amaritudinis, & ſpina dolorem inferens undique per circuitum*. Hinc quoque Cyrillo dicitur corona Salvatoris, ſolatium peccatorum, & diſſolutio maledictionis. Quid quòd in Exodo Rhamnus factus eſt ſedes Dei, quando Moyſi apparuit in Rubo in modum ignis, ita ut ſicut in lib. Judic. legimus, factus ſit Rex omnium aliarum arborum. Neque verò illis ſpinis ſui flores defuerunt: nam ut ait Greg. Tur. lib. Glor. Mart. c. 1. ſpinæ aridæ Chriſti, ſolitæ ſunt poſt tot annos ætate ipſiuſmet autoris florere, in ſignum benedictionis, quam receperunt ex terra illa ſancti capitis Chriſti. Itaque S. Bern. Chriſtum comparat viti, de qua dicitur *vinea noſtra floruit*: & addit in tractatu de Paſſione: Floruit mirabiliter, & valde ſingulariter, & excellenter, vitis hæc, Jeſus, non floru in genere ſicut aliæ, ſed omnium florum ſpeciem in ſe continebat. De illo dictum eſt Pſ. 117. *Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*: Hebraïca lectio habet, ſuper ipſum efflorebit corona gloriæ? Joſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus juſtitiæ, Petrus fidei: ſingulatum virtutum coronæ ſunt: ſolus Chriſtus habet coronam gloriæ. In hac corona omnes coronæ, ſed præmium omnium coronarum eſt. Licet itaque milites, illudere voluerint regno Chriſti eum tamen tractarunt ut Regem, immò ut Deum, nam uti dicit Plinius, antiquitus nulli, niſi Deo corona debetur. Et ſicut dum Caïphas in illum ſententiam pronuntiavit, ordinnante Spiritu Sancto prophetavit, ad hæc, ſicut Pilatus dum putavit ſe mortis cauſam titulo Crucis affixiſſe, non ſcripſit uti Judæi voluerunt, quod ſe Regem feciſſet, ſed quod Rex eſſet Judæorum, idque incommutabiliter ut advertit S. Auguſtinus, tract. 117. in Joannem, in hunc finem allegans titulum Pſal. 59. *In finem Ne diſperdas*; ita legens, Ne corrumpas tituli inſcriptionem: ita dum milites Chriſti regno illudere voluerunt, Chriſti regnum ſtatuerunt: quod ſic admiratur Athanaſ. ſer. de Cruce, & Paſſione Chriſti. o miraculum novum, & incredibile! quem per ludibrium pulſabant, ei triumphalia addiderūt ornamenta. Quod autem ea ratione, & cum his circumſtantiis, id ab ipſis factum ſit, id cauſæ fuit, ut oſtenderet regna mundi ſita eſſe in honoribus, pompis, & deliciis ſuum verò in contemptu honorum, voluptatum, & ſui ipſius. Denique hæc omnia pertinent ad ſignificationem, ad ſatisfactionem, ad meritum, ad eruditionem.

1. Enim Corona ſpinea capiti impoſita, ſignificavit ſolicitudines, & ærumnas, & labores noſtros à Chriſto eſſe ſuſceptos: Chlamys, ſanguinis habens colorem, peccata hominū nomine ſanguinis deſignata in Scriptura, in Chriſti humeros; & carnem tranſlata: Arundo in manu dextera ſerpentem occidendum, & Dæmonis imperium deſtruendum: Nam ex Athanaſio arundinis ictu ſerpentes occiduntur, quod Cruce præſtitit.

2. Quoad ſatisfactionem attinet: Quot modis homines peccant, tot modis Chriſtus patiens ſatisfecit: Peccant illi rebus exterioribus, peccant honore, fama, peccant voluptatibus, peccāt corpore peccāt anima. Et Chriſtus in his omnibus paſſus eſt Corona igitur & hęc inſignia regia per ludibrū impoſita, ad ſatisfactionē accipiantur ab eo pro ſuperbis, &

ambitioſis, qui mundi dignitatibus, & honoribus allecti divina præcepta neglexerunt: nam in hoc facto quoad honorem, & famam paſſus eſt Chriſtus, dum tractaturâ militibus, tanquam qui regnum inique ambierit, & turpiſſimis idcirco ſit afficiendus contumeliis.

3. Quoad meritum; cum nobis regiam dignitatem & regnum cœlorum multis modis meruerit, voluit etiam hoc regno ludicro, & deriſorio nobis mereri. efficitur ille quidem ridiculus Rex, qui verus erat, *Rex Regum, & Dominus dominantium*; nos efficeremur veri Reges, idque majori, perfectiori, & diuturniori regno, quam omnes reges mundani.

4. Ac denique, quoad eruditionem attinet, plurima docemur: nempe honores terrenos, & regna mundi plena eſſe vanitatis, & afflictionis. Item ad regnum cœleſte, quod Chriſtus nobis promeruit, deveniendum eſſe per tribulationes, injurias, contumelias, quas pro Chriſto ſuſtinere, quando opus fuerit, paratos eſſe oportet. Si enim verus Rex talia paſſus eſt, pro ſubditis iniquis; nos qui ſumus ſubditi, & non ſolum qui ex nobis ipſis Reges non ſumus, ſed carcere potius, quam æterno regno digni, qualia nos pati oportet, ut cum ipſo vero Rege regnemus? Sed de his hactenus.

Super eſt ultimus feralis Tragœdiæ actus, nempe Crucifixio. Poſtquam enim Pilatus multis modis conatus eſt Chriſtum abſolvere, ac dimittere; nunc pronuntiando innocentem, *quid enim mali fecit*; nunc accuſationes reiiciendo, *Non invenio in eo cauſam* nunc modum proponendo dimittendi per comparationem hominis ſceleſtiſſimi & odioſiſſimi, ſcilicet Barabbæ: cum ſe nihil proficere videret, verum è contrario, voces clamantium, & ad mortem depoſcentium magis invaleſcere; ubi ei Pontifices Cæſaris authoritatem obiecerunt, ignavia, & timore perculſus, declarata ſæpius Chriſti innocentia, lavatis etiam aqua manibus, mortis ſententiam in innocentem pronuntiavit, utque ait S. Ioannes; *Tunc tradidit eis illum ut crucifigeretur*.

I. Quid hanc ſententiam ſecutum ſit pauciſſimis verbis abſolvit: *Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt*: Nempe milites facti ſunt domini eius, & exutum purpura, atque veſtimentis ſuis indutum, eduxerunt ex prætorio ſeu domo Pilati, ad locum extremi ſupplicij: *Et bajulans ſibi crucem*, (quod damnatis in more fuiſſe docet Plutarchus) ut Iſaac portaverat ligna quibus in monte cremari debebat in holocauſtum; *Exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum*, quia nempe extra civitatem Crucifixus eſt, adimplens figurã ut dicit, Paul Hebr. 13. *Quorum*, inquit, *animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra: propter quod & Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt*: Tum ultimum huius Tragœdiæ actum unico verbo abſolvit; *Ubi Crucifixerunt eum*.

II. Quis huius Martyrii circumſtantias omnes oratione aſſequi poteſt? Certe ſummum fuit ſuppliciorum, & ibi conſummatum Sacrificium. Vidiſti unquam à canibus cervam captam, quanto ſtudio, & qua rabie, ubi ſanguine eius paſti ſunt, dilaceretur: Eodem modo impii ſatellites, jam prædæ ſuæ domini, in Chriſtum, ut in agnum innocentem irruunt.

I Vide totum ſupplicii apparatum: pars enim malleos, & ferramenta; pars clauos & funes apparant: alii foramina in Cruce excavant; alii titulũ affigunt; alii foſſam alte effodiũt, & cuneos parãt.

II. Chriſtum jam tertio denudant in omniũ conſpectu, & nudando excoriant: Vide quo ipſius pudore ſimul, & dolore. Certè totus erat ſanguineus, & vix hominis figuram oſtendebat. Eò ſtatu capillis & barba apprehenſum in terrã cũ convitio deiiciunt, ut in Cruce decumbat: Imperant; Paret ipſe, atque obedit,

Digitized by Google

obedit & ultro manus extendit: Cantic. 7. *Dixit aſcendã in palmã & apprehendã fructus eius.*

III. Modus crucifixionis is fuit: Cum eſſent quatuor milites qui crucifigerent; quod colligitur ex quatuor partibus veſtimentorũ quę ſunt partiti inter ſe: ubi Chriſti corpus maxima funibus extenderũt, ut manus, & pedes ad ſua foramina pervenirẽt, ſimul & ſemel maximis clavis, quatuor, iiſque rotundis, & ſi S. Franciſco credimus, veteribus, & retuſis, & ad maiorem dolorem, & ut etiam in ſuo ſupplicio maiorem paupertatem obſervaret, manus, & pedes maximo ipſius dolore perforarunt. Quis enim neſciat partes illas eſſe quam maxime ſenſibiles propter concurſũ nervorũ, muſculorũ, venarũ, arteriarũ, adeo ut licet ſenſus tactus ſit diffuſus per totũ corpus, tamẽ in illis partibus potiſſimum vigere videatur? Lanſpergius ait clavos manuũ ex quorumdã rellatione adactos fuiſſe viginti ſex ictibus, malleorũ, clavos pedum triginta ſex ictibus, quod ſine ingenti dolore fieri non potuit. Nam ſi ſola nervi punctura nõ fit ſine ſpaſmo, quanto magis confixio tot nervorum & ligaminũ, & arteriarũ, & venarũ? unde ubertime ſanguis fluxit, ſecundũ illud Davidis: *Intingatur pes tuus in ſanguine* Porrò ex crucifixione ſecuta eſt dura totius corporis extenſio: unde David, *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea*: quo loquendi genere optime exprimitur Crucis ſupplicium. Et ita impletum illud Iſaiæ, *à planta pedis uſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas* & quod ait David Pſal. 40. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius.*

IV. Facta pedum & manuum confixione Crux magno molimine erecta eſt, & in parata ſcrobe depoſita: qua ſuccuſſione adeo innovati ſunt dolores, ut Sanctæ Mechtildi revelatum ſit, tunc maximũ omniũ fuiſſe, ſcilicet in illa Crucis depoſitione cũ tanta ſuccuſſione, qua compages nervorum toto corpore ſunt luxatæ. Et in eo ſtatu triũ horarũ ſpatio, ſuos omnes dolores ad ſummũ perduxit. Nã ut taceam internos dolores ex conjunctione exteriorum ſemper creviſſe, & eò uſque, ut tacere non potuerit, cum, ad Patrem conqueſtus Deum appellavit? *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* utq; de externis doloribus ſit ſermo; Si ſimul omnes Chriſti dolores ſpectentur, nullus unquã mortalium graviora abſolute tulit tormenta; licet forte in aliqua parte determinata, graviora tulerit, ut in oculis, aut alio membro, quã Chriſtus in ea parte, vel membro.

Scio quoad extenſionẽ, plurimos Martyres graviſſimos dolores paſſos eſſe, quoad partes externas imẽdiate vexatas, ut qui lentis ignibus ſunt combuſti, aut fuere minutatim conciſi; quod de Chriſto dici non poteſt. Verum quoniam per quandam redundantiã dolor per totum corpus effuſus eſt, præſertim in Cruce, toto diſtento corpore, & partibus omnibus luxatis, tum quia læſis quibuſdam partib⁹, nervi contracti ſunt, unde contractio ipſorum, & ſpaſmus in corpore, & aliarum partium virtus debilitata; Tum quia ex nimio labore, & fatigatione partes omnes dolorem ſentire: certe non potuit ex parte totalis ſubiecti maior eſſe dolor naturalis, licet in partibus potuerit eſſe ęqualis Et licet aliqui directe Martyres potuerint plus torqueri in aliquibus partibus, aut ſaltem in aliqua, verbi gratia, in oculis, plus quam Chriſtus, tamen ratione totius, dolor Chriſti, fuit omniũ maximus nec ab alio potuit ſuperari.

Sed ſi agatur dolore intenſivo, de volentia, de vi, de vehementia & acerbitate doloris, Sententia eſt D. Thom. dolorem Chriſti fuiſſe omnium maximum quos homines paſſi ſunt. Ratio eſt, quia magnitudo doloris oritur, & ex magnitudine læſionis, quæ eſt cauſa doloris, & expoſitione patientis, quæ eſt perceptiva magis doloris: & hæc etiã duplex eſt, prima, optima corporis complexio, in qua ſenſus tactus magis viget: 2. efficacia animæ

& in-

Digitized by Google

& interior apprehēſi, ex qua vis doloris maximè p[en]det: At in Chriſto, & læſio corporis fuit ingens, præſertim cum in Cruce pependit; complexio etiā corporis fuit perfectiſſima; & vis animæ ad apprehendendum, & attendendum efficaciſſima: igitur & dolor fuit maximus, ſecundum illud Eccleſiaſtis 1. *Qui addit ſcientiam addit & laborem.* Adde quod Chriſtus voluntariè aſſumpſit hanc doloris magnitudinem, ut exactius pro nobis ſatisfaceret; unde ſequitur nullo modo impediviſſe cauſas doloris, neque avertiſſe interiorem mentis, ſive imaginationis apprehenſionem, ſed potius efficaciſſimè ea conſideraſſe, quæ dolore augere poſſent ſecundum illud Davidis Pſ. 10. *Quoniam tu laborem, & dolorem conſi[d]eras*: Cum itaque ex parte ſubjecti fuerit in Chriſto ſufficiens cauſa maximi doloris, & maioris quàm in ullo alio propter complexionem; ex parte verò læſionis, fuerit valde gravis & efficax, ita ut de nullâ aliâ conſtet fuiſſe maiorē in parte determinatâ ſubjecti; ſequitur Chriſt. dolorem fuiſſe maximum inter omnes dolores, quos homines mortales in hâc vitâ paſſi ſunt, vel aliquando patientur.

V. Itaque conſidera Chriſtum exterius nulla parte integrum, ſed ubique vulneribus conciſſum, ſecundum illud, *A plantâ ped[is], uſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas*: Conſidera ſic vulneribus, ictibus, ſputis, ſangvine, deformatum, ut dicat Iſai cap. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum & non erat aſpectus: & deſideravimus eum, deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, &c.

Certè paſſionem ſuam ap[p]ellaverat baptiſmum, ut indicaret ſe ſuo ſanguini, & paſſionibus immergendum: Eandem etiam calicem appellavit, alluſione facta, ex non nullorum opinione, ad genus mortis ſatis uſitatum, cum reis venenum potandum exhiberetur; unde ingentes in præcordiis dolores: ut ſciremus ipſum & in partibus externis & in internis ſummos dolores ſuſtinuiſſe. Spectato itaque Chriſti dolore, tanquam unâ paſſione per totum corpus diffuſâ; diſtento toto corpore in Cruce; membris omnibus luxatis; omnibus nervis, partim intenſiſſimè diſtenſis; partibus internis per conſenſum graviter dolentibus, cum omnes artus ſanguinis effuſione emarcuiſſent; Animâ efficaciſſimè ad hæc omnia attendente; ſuppreſſa omni conſolatione; cum omnia ad tormentum undique conſpirarent; Pater dereſeret ut iratus; Mater præſens gladio doloris confixa eſſet; diſperſi eſſent Diſcipuli; populus illudere, triumpharent inimici; ſævirent milites; multi exprobarent; alij maledicerent: *Vah qui deſtruis templum Dei!* pœnæ conſortes in creparent; cum eſſet à ſeipſo deſertus, nec pars animæ ſuperior inferiorem adiuvaret, ſed potius pœnæ immergeret; cū ſanguinis, & vires & Spiritus defeciſſent; cruciatu interno cum externo contendente; Tantem ſuū dolorem ipſe ad ſummum perduxit, & in eo doloris termino, maxima contentione, quod illa voce deſignavit, *Conſummatum eſt*, Patri animam commendans, clamanſque expiravit. Vbi vitam finiit, ibi finio ſermonem; quis enim ibi non conſiſtat ubi ſtetit Deus?

Collig. I. ex dictis, quanta ſit peccati malitia, & quanta gravitas, ut Deum, eo ſolum nomine, quod pro peccatore ſpondidiſſet, ſic tractarit. Id ne unquam putaſſet, ô peccator, tu qui tàm facilè peccas, nec cogitas quid tandem ſequatur peccatum ad miſſum? Sed veniat tibi in menten quod Chriſtus dixit: *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Interim tamen quod monet Eccli. cap. 29. *Gratiam fideiuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.* Vide quantorum ſis reus apud

Digitized by Google

apud Deum; nempe eorum quæ feciſti, & eorum quæ ipſe tui cauſa, & fecit, & paſſus eſt. Quantorum peccatorum es debitor, ſed quantorum beneficiorum, quibus te ipſe af fecit; & quantorum quæ pro te paſſus eſt. Cogita quid pro tantis debitis es præſtiturus. Partire vitam tuam, & partem da ſolvendis peccatis tuis; partem beneficiis rependendis; partem iis quæ pro te paſſus eſt. Sed an vita, uni parti poſſet ſufficere?

Collige II. Cum neceſſe ſit prius nos configurari Chriſto patienti, quam glorioſo, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Et ad Rom. 6. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & Reſurrectionis erimus:* Rogo te mi Auditor, ut qualis ſis in rebus omnibus te Chriſto componas. Num te pudet adeò diſſimilem eſſe & contrarium? Confer enim tuas delicias cum Chriſti amaritudinibus; luxum in veſtibus, cum eius nuditate; menſarum cupedias cum felle, & ſiti ipſius, cum aceto & fame; tuos flores cum eius ſpinis, tuas voluptates cum eius doloribus, otium tuum cum eius laboribus. *In laboribus à iuventute mea:* tuam mollitiem & delicatam vivendi rationem, cum dura eius tractatione, & tormentorum perpeſſione. Tu in riſu; Ille in lachrymis, Tu gloria; Ille in ignominiâ: Tu molliter cubas, & ſedes; Ille in Cruce decumbit. Sed propius accede, ac membra membris componamus. Vide vultum ſputis deformatum; oculos natantes in ſanguine; genas pugnis tumidas; labia ictibus liventia; crines malè compoſitos; pulvere conſperſos, & ſanguine deturpatos, caput, frontem, & tempora ſpinis perforata: Vide ſcapulas & pectus lacerum flagellis; manus & pedes clavis transfixos; totum corpus apertũ, diſciſſũ, luxatum: At oſtende in tuo corpore, vel tantillæ pœnitentiæ veſtigium. Omnia ſunt rectè compoſita, nitentia; decorem affectantia. Quàm diſpar eſt cultus! quam diſſimilis tractatio! Nobis non ſufficiunt flores noſtri, peregrini magnis ſumptibus quærendi ſunt. Sed vide omnes exaruiſſe, & conſenuiſſe; cum Chriſti ſpinæ ab omnibus ubique honorentur, & colantur. Certe multis ſæculis illas floruiſſe, ſcripſit Gregor. Turon. Pudeat mulieres Chriſtianas corpus ſuum tàm ſtudioſe curare, & molliter tractare poſt hæc Chriſti exempla! Veniet tempus, cùm uti dicitur Iſaiæ 3. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion,* &c. *Et erit pro ſuavi odore fœtor,* &c. puncturæ vero ſpinarum in Chriſti capite fulgebunt inſtar diadematis fulgentiſſimi.

Collige III. Pro viris ſpiritalibus, qualem tandem vitam gerere debeant, & quam conditionem amare, quamque parùm deceat membra eſſe delicata ſub capite ſpinoſo. Illud aliàs fuit hominis fortis, & animoſi, in durioribus ſe exercere: Illud fuit probatæ, & exploratæ virtutis; multa pati: Sed noſtro tempore, poſt acerbos Chriſti dolores, illud demum eſt officij, & neceſſitatis, duriſſima ferre, amare dedecus, & bonorum ſpoliationem, dolores, paupertatem, & acerbitates: præſertim cum Deus pati iſta voluerit, ut has omnes paſſiones deificaret, & hominibus expetendas redderet. Sic. Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 20. Omnia aſſumpſit, ut ſanctitatem omnibus afferret. Ita factum, ut Crux olim abominanda, maximo in honore habeatur: Vt flagella hominibus ingenuis odioſa, & plena probri, nunc ſint in votis, atque deſiderio; ſi innocentiam proſequantur: Ita Apoſtoli Actor. 5. cum cæſi fuiſſent. *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati:* Ita fit ut quæ graviſſima habebantur, nunc ſint pro deliciis, tormenta, dolores, clavi, vulnera, verbera: ſolumque nunc ſit pietatis argumentum, nullâ erga ſe pietate tangi, ſed piam crudelitatem exercere.

Sermonis curſum hic Chriſtiani, abrumpamus, ſiſtamuſque. Satis quippe eſt, quandoquidem nunquam futurum eſt ſatis. Quis enim poteſt mihi ſermo reliquus eſſe, cùm extinctus ſit Patris æterni Sermo, Verbumque perierit? Reliqua tamen ab eius Corpore, ab eius Sanguine, plagiſque dici oportet; atque id quod perſuaderi animis veſtris ab lingua mea nequivit, triſtis ipſius mortis imagine, laceri corporis figura, funeſtâ eius martyrii repræſentatione ſuaderi.

Hic veſtri oculi, hic corda veſtra, hic mentes veſtræ, hic veſtræ lachrymæ, veſtra ſuſpiria, veſtri ſingultus: hic dolores veſtri, veſtri pœnitentiæ affectus, propoſita veſtra. Super cineribus patris veſtri; ſuper Reges veſtri reliquias; ſuper corpore veſtri.

OSTENSIO CRUCIFIXI.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Ad vos Cœlum & Terra ſermonem meum converto: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*: Sed te inprimis æterne Pater imploro. *Reſpice Domine ſancte Pater de ſanctuario tuo, & de excelſo cælorum habitaculo*, & intuere hanc ſacroſanctam Hoſtiam, quàm tibi offert magnus Pontifex noſter, ſanctus Puer tuus, Dominus Ieſus; idque pro peccatis fratrum ſuorum: *& eſto placabilis ſuper multitudine malitiæ noſtræ*: Ecce vox ſanguinis Fratris noſtri Ieſu, clamat ad te de Cruce. Quid enim Domine, quid pendet in ea? Pendet quia præterita tanquam præſentia, coràm te ſunt. Cognoſce Pater tunicam filij tui. Heu *fera peſſima comedit eum, & beſtia devoravit Ioſeph*: & conculcavit in furore ſuo veſtimentum eius: omnem decorem reliquiis eius cruoris inquinavit. Ecce quinque ſciſſuras lamentabiles in ea reliquit. Caro noſtra eſt, & frater noſter: Reſpice Domine in faciem Chriſti tui, qui tibi uſque ad mortem obediens factus eſt; nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, & memineris quantam ab eo pro peccatis noſtris ſatisfactionem receperis. Vtinam Domine appendas in ſtatera peccata quibus iram meruimus, & calamitatem, quàm pro nobis paſſus eſt innocens Filius tuus: certè grãdior apparebit, & magis digna, ut propter ipſam effundas ſuper eos miſericordiam tuam, quam fuit illa ut pro peccatis noſtris, contineas in ira miſericordias tuas. Gratias, tibi Pater, referat omnis lingua, pro ſuperabundantia bonitatis tuæ, qui unico Filio cordis tui non pepercisti; ſed pro nobis omnibus illum tradiſtiſti in mortem, ut eum tanquam fidelem advocatum haberemus coràm te in cœlis.

II Et tibi Domine Jeſu fortiſſime zelotes quid gratiarum tribuam & dignè retribuam; ego, homo, pulvis, & figmentum? Quid enim pro mea ſalute facere debuiſti, & non feciſti? Ab imò pedis uſque ad ſummum verticis, te totum in aquas paſſionum demerſiſti, ut me totum extraheres ab illis: Et intraverunt uſque ad animam tuam; nam & animam tuam, in mortem perdidiſti, ut meam perditam mihi redderes.

Quid verò ab homine dignè rependi poſſit non invenio. Nam etſi cœlum & terram, & omnem ornatum eorum pro ea gratia poſſem rependere, certè nec uſque ad menſuram debiti ullatenùs attingere poſſem. Vt autem ipſum quod & debeo, & poſſum retribuam, tui muneris eſt, Domine. Diligendus es mihi, O Deus meus, toto corde, tota anima, tota virtute, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignatus es!

Et nunc Domine Redemptor meus, te ut verùm Deum adoro, in te confido, in te ſpero, & quibus poſſum deſideriis, ad te ſuſpiro: Adjuva imperfectum meum. Ad tuæ paſſionis glorioſa inſignia in quibus ſalutem meam operatus es totum me inclino: Victricis tuæ Crucis regale vexillũ, in nomine tuo Chriſte adoro:

Digitized by Google

adoro: Tuum ſpineum Diadema, tuos rubentes ſanguineos clavos, tuo ſacro lateri immerſam lanceam, tua vulnera, tuum ſanguinem, tuam mortem, tuam ſepulturam Chriſte ſupplex adoro, & glorifico. O venerandum Chriſti verticem meliore dignum corona; ô faciem ipſis Angelis deſiderabilem; ô oculos; ô lumina; Quis veſtrum lumen potuit extinguere? ô genas amabiles; ô labia, ô os Divinum! quæ mutatio? ubi ille color, ille fulgor, illa ſpecies, illa pulchritudo? Siccine ille es, *Speciosus præ filijs hominum*? Vnde ille tumor, ille livor, ille ſanguis, illa deformitas? O ſacrum pectus! o cor diviſum! o venas vacuas! o tergum conciſſum, & ſulcis cavatum! o brachia, o manus! *manus eius diſtillaverunt myrrham*: *manus eius tornatiles, manus aureæ plenæ hyacinthis*. Ego certè omnibus meis membris reus: Tu omnibus membris tuis exolvere, & ſatisfacere voluiſti? Quid non deliqui oculis meis? Quid non pectore? Ergo quærenda eſt venia admiſſorum à nobis per tua ſingula membra; & pro venia imploranda ſunt eadem quibus pro nobis ſatisfacere voluiſti. Certe nullum eſt unde ſanguinem non dederis. Et quia ad gratiæ thronum ſto; hic me hodie ſiſto, omnium peccatorum reus; ubi tanta eſt ſatisfactio. Vnum eſt quod negare non poſſum, me huius homicidij reum eſſe: Non nego, non diffiteor: Neque verò etiam pœnam recuſo cùm reus ſim. Sed quia pro me ſic ſatisfeciſti ut me & à culpâ & à pœnâ liberaris, uni ultrò me ſubmitto; ut ſcilicet perpetuò Divinæ tuæ paſſionis fiam particeps. Et dico cum Bernardo: Audi vocem meam, & inclina ſuper ſervum tuum ſuavem Crucem illam, quæ lignum vitæ eſt iis qui apprehendunt eam: illam, inquam, diviniſſimam Crucem humeris meis impone: confige illi manus meas, & pedes meos, & totum paſſioni tuæ conforma ſeruum tuum Domine: Et ſiniſtram quidem meam, clavo temperantiæ; dexteram verò clavo Juſtitiæ in illâ ſublimi Cruce fixas habebo: Vt autem aliqua ſimilitudo capitis tui, in me appareat; detur obſecro menti meæ, & ſalutaris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miſeriæ compaſſio & ſtimulus zeli æmulantis quod rectum eſt coram te: & ad te convertar in ærumna mea, dum triplex configatur ſpina.

Reliquum eſſet mihi, Auditores, ut explicarem ſenſus veſtros, veſtraque propoſita ederem. At neque cordis veſtri ſtudium novi, neque diſpoſitionem voluntatum veſtrarum, & quid conſtitutum habeatis agere in poſterum:

I. Contra inimicitias: Quid enim veſtro loco & nomine poſſum dicere? Tu cor obduratum ad odia, firmatumque in ulciſcendi conſilio; niſi tam prodigioſa manſuetudine tibi objecta, iniurias tibi factas obliviſcaris quid agetur de te? Geneſ 50. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis diceremus*: *Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ quam exercuerunt in te.* Certe id ipſe pro ſua poteſtate poterat impetare: ſed obſecrare maluit. Et ego obſecro illius nomine. Si exemplo potes moveri, vide quid in Cruce fecerit. Prima eius cura fuit, orare pro inimicis: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt*. Oravit Patrem, & impetravit pro inimicis veniam; nam *exauditus eſt pro ſua reverentia*. Te obſecrat ut parcas, & non impetrabit? Certe ſi eſſet neceſſe, accederet ad tua genua, & veniam à te pro inimico depoſceret. Sed in Cruce affixus tenetur: Ego pro illo, eo munere defungor: vide quid reſpondeas, &c.

II. Adverſus avaritiam & immiſericordiam erga pauperes. Hæc vendidit Chriſtum, & ipſe eam ſuo exemplo damnavit: naſcendo in vita, in doctrina, in inſigni rerum omnium contemptu, & in Cruce, ſua nuditate.

III. Contra ſuperbiam: Audi docentem, & Vide exempla. Ad pedes Judæ ſe abjecit. Vide quæ paſſus ſit: captus ut latro, irriſus à Judæis, male tractatus à Miniſtris, ſpretus ab Herode & eius exercitu, indutus veſte albâ, Barabbæ, illuſus in coronatione, coram omnibus nudatus, crucifixus inter latrones, ſaturatus opprobriis: Tu poſt talia, quē contemptum timere debes?

IV. Contra irriſores ad licentiam projectos. De iis apud Prophetas conqueritur Pſal. 68. *Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me: Et factus ſum illis in parabolam: adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum.*

V. Adverſus blaſphematores; quibus propriè convenit coronare ſpinis Filium Dei: Caput enim Salvatoris eſt divinitas, atqui blaſphemator divinitatem laceſſit; utque ſpinarum coronatio crudeliſſimum fuit cruciamentum, maximèque omnium ſenſibile, ac graviſſima quam pertulerit Salvator deriſio, ſic juramentum & blaſphemia. Vnum eſt ex peccatis quæ contra divinitatem admittuntur acerbiſſimum: Eius tamen nequitiæ rei jocantur; crimen illud nihili pendunt, ac rident. Proh Deus! quis jocus! quæ oblectatio! ô barbarum & crudelem jocum! O delectationem impiam & ſacrilegam! Nam, ô peccator, quando horribiles tuas exectandaſque blaſphemias profers, aut id ſeriò facis aut joco, atq; ex formula loquendi? Si facis iſtud ſerio, quodnam majus crimen & enormius admittere potes? Si joco uſuque ſermonis; Deum-ne tam immoderatè offendi à te oportet, delectationem tuam captante: atque id patrare per contemptum & injuriam: Sed quam ob cauſam: An quod tolerare non potes illius magnitudinem & Majeſtatem: Aut quòd eius bonitas diſplicet tibi: An fortè beneficia quæ ab eo accepiſti faſtidium tibi pariunt: Quid potes ſperare ab tot flagitiis & impietatibus tàm execrandis: Ignoras ne horribile pœnas quæ te manent: Sanè pro ſpinea illa coronâ quâ ipſius caput læſiſti, expectare debes coronam ignis & flammarum: *Coronans coronabit te tribulatione.* Neque enim unquam impunè ac ſine pœnis contemnitur Majeſtas divina.

VI. Contra peccatum carnis: ut ſcias quanta futura ſit illius pœna: Neque enim tantum æſtimanda eſt, ex deliciis uſurpatis, ut tantum ſit tormentum, quantum fuerunt deliciæ, ſecundum illud; *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*: Sed ex Chriſti pœnis, ut futura ſit quanti & quam acerbi fuerunt Chriſti Domini cruciatus. Cum enim te Chriſtus vel unica gutta ſanguinis redimere potuiſſet, voluit tamen tanta ſupplicia perferre, ut carnis delicias compenſaret. Ob quælibet igitur peccata paſſus eſt: ſed magnitudo externorum ſuppliciorum reſpondit peccato carnis; ut hinc mortales intelligerent, quanta ſupplicia maneant eos, qui ſe tàm turpiter inquinarunt. Nolo itaque, ô adulter, tibi opponere dedecus, bonorum jacturam & ſanitatis, familiæ ruinam, & poſteritatis extinctionem: quanquam cogitare potes, quid in ea parte ſperare poſſis: Mitto quo pudore revelandæ ſint turpitudines tuæ, cum quæ feciſti in abſcondito, revelabuntur in conſpectu Solis. Non te ſuppliciis inferorum terreo, quæ debes expectare maxima ſed tibi propono Chriſti Domini corpus totum in tormentis & doloribus, tua cauſa ſuſceptis; ut ſaltem ea ſpecie miſerabili commovearis. Hoc ego corpus, & hanc carnem tibi oppono. Cur te alia caro ſic movet, & hæc non tangit: Non alia tamen de cauſa tam malè habita, quàm ob hoc peccatum. &c. Finio apponendo proteſtationes, 1. meas; deinde populi:

Fiant eæ proteſtationes.

De vitando peccato mortali: de vita

Digitized by Google

mutanda de ſe crucifigendo: de debellandis Chriſti inimicis, Diabolo, Mundo, & Carne: de perſeverantia, & conſtantia, & clavis in cruce: De noſtra omni ſpe, amore, & gloriatione: in qua cogitatione immori volumus; in oſculo, & amplexu Crucifixi: à quo omnem benedictionem in hac vita, & in æterna ſperamus, Amen.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

CONCIO.

Chriſti Reſurrectionem planè probatam eſſe oſtenditur.

Reſurrexit, non eſt hic. Marci 16.

REFERT ex Varrone S. Auguſt. lib. 18. de Civit. cap. 5. Apim Regem Argivorum profectum in Ægyptum ibi eſſe defunctum, & ab Ægyptiis donatum divinitate; cultum autem in ſepulchro, cum nondum ei templum ædificatum eſſet, & ex voce Soros quæ ſepulchrum ſignificat, & ex Apis vocabulo, unum nomen fuiſſe compoſitum, Soroſapis; & ut fieri aſſolet, una litera mutata, Sorapis & Serapis dictũ fuiſſe. Cæterũ capitali lege ſancivere, ne quis Apim defunctum fuiſſe, aliquando diceret: Vnde deinceps in omnibus Serapidis templis ſtatuam Harpocratis, ſeu hominis digito labia comprimentis erexerunt, ut indicarent cum de Apis divinitate ageretur, mirum eſſe debere de ſepulchro ipſius, ſilentium, quia nihil magis à divinitate alienum, quam mors & Sepulchrum. Stulti planè, qui cum ſilentiũ de ſepulchro indicerent, nominare ſuum Deum non poterant ſepulchri mentione, cum non Apim dicerent, ſed Serapin hoc eſt Apis ſepulchrum: atque ſolo nomine probarent non eſſe Deum. Ita S. Petrus Act. c. 2. ut oſtenderet Davidem minorem fuiſſe Chriſto, de eius ſepulchro, & morte meminit, his verbis: *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulchrum eius eſt apud nos uſque in præſentem diem*: porrò illud non vacuum; ſed in quo corpus Davidis aſſervaretur, ut ſcirent fuiſſe tantum hominem mortalem. Sed ubi agitur de Chriſti divinitate; non modo non ſiletur de eius ſepulchro, ſed ſepulchrum eius oſtenditur: *Videte locum, ubi poſitus erat Dominus*: Vnde in eo ſepulchro ſpectantur Angeli, qui ut oſtenderent ait, Chryſoſt. Deum fuiſſe ſepultum ad ſepulchrum tanquam apud cœlum manebant. Nam, ut ait Chryſol. ſerm. 75. factus eſt lapis, vas Angelicæ ſeſſionis, ſchola vitæ; qui à Iudæis ad mortis januam, ad cineris ſervitium, ad triſte ſilentium fuerat conſtitutus. Vnde magna probatio divinitatis Chriſti eſt vacuum eius ſepulchrum, & eiuſdem Reſurrectio, ſecundum illud, *Surrexit, non eſt hic.* De qua probare aggredior eam adeo plane & liquido confirmatam eſſe, ut nemo niſi qui careat ratione de ea dubitare poſſit; verum id antequam aggrediar opem Virginis implorabo. AVE MARIA.

SICUT poſt acerbitatem vimque hyemis, videmus cum oblectamento amœnitatem veris, veſtiri ornatique omnibus naturæ venuſtatibus: Sicut poſt tempeſtatem horribilem, quæ cœlo iracundiam movit, maris fluctus ſubvertit ſurſum deorſum, undas permiſcuit cum terrâ, orbiſque univerſitatem in communem ſeditionem compulit, nihil jucundius eſt quàm cœlum apertum aſpicere lumine radians, complanatas undas, quietum & æquabile Oceani marmor, & cum terra mare concordia devinctum: Sicut poſt civilia bella, terroremque armorum, ſuaviſſima rerum omnium atque optatiſſima pax exiſtit, voluntatum conſenſio & urbium ſecuritas; Sicut populis ſub polo degentibus, poſt ſex noctis menſes, dimidiamque deſperationem diei, cœlum Solem reſtituit ac lucem, quæ fauſtis acclamationibus hilaritatis, ſexcentiſque gaudij teſtificationibus excipitur: Eodem modo poſt crudelem cruentamque Paſſionem Filij Dei, ſuccedit adeſtque ipſius triumphans, luminoſa prorſus, ac omninò glorioſa Reſurrectio, poſt plagas ſanitas, poſt dolorem lætitia, poſt tormenta delectatio, poſt contemptum gloria, poſt certamen victoria, poſt captivitatem libertas, poſt ſtragem triumphus, poſt mortem vita, poſt ſepulchrum cœlum: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia*: Quod S. Gregor. Nazianz ad exclamandum inducit, Orat. 42. Paſch Domini, Paſcha dicam, τιμὴ γὰρ τριάδος, eſt enim honor Trinitatis: Pater enim ſuſcitat Filium, Filius reſurgit à mortuis, & author huius novæ vitæ fit Spiritus Sanctus, ſecundum illud Apoſtoli, *per Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri*. Vnde ſi S. Epiphanio credimus, hæc celebritas eſt feſtorum omnium nobis Princeps, totius mundi feſtivitas, renovatio, & ſalutare: Eidem feſtũ eſt omnium feſtorum, κορυφὴ, ϗ ἀκρόπολις, vertex, & veluti arx: Vt eſt Nazianzeno magna victima, & dies omnium maxima & de ea ex ſententia Nyſſeni, dixit Propheta, neque diem eſſe, neque noctem: cum ſic locutus eſt Zacharias c. 14. *Erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies neque nox: & in tempore Veſperi erit lux*: Etenim non dies, quoniam cœpit ante ortum ſolis, neque nox fuit quæ tantum luce Redemptoris reſplenduit: ſed fuit dies, quam fecit Dominus. Itaque, ut pergit Nazian hæc eſt nobis feſtivitatum feſtivitas, & celebritatum celebritas, tanto cæteris omnibus, non ſolum humanis, & humi defixis, ſed iis etiam quæ ipſius Chriſti ſunt, ac propter ipſum celebrantur, ſuperior, quantò Sol ſtellas antecedit. Vnde non mirum ſi ad eam celebrandã, omnia concurrant, Inferi, Sepulchrum, Mortui, Viventes, Superi, Angeli. Inferi propter libertatem, Sepulchrum propter mortis ſpolia, Viventes propter gloriam, Superi propter lumen, Angeli propter Regem. Sed ne omnia Doctoris eloquentiſſimi ornamenta perſequar, illud pro omnibus dixiſſe ſufficiat, hanc eſſe rerum omnium centrum, atque finem: Etenim ut ait Nyſſ. orat. 1. in Paſcha, Si qua eſt Patriarcharũ benedictio, divino ſpiritu confirmata, ſi quid veritatis, hiſtoriarum veterum ænigmata portenderunt, ſi quid magnum, prophetarum oracula pronuntiarunt, ea omnia hodierno munere continentur unde nobis non aliter, quàm ſi ſpectaculo nobis propoſito, lumen, ex innumerabilibus facibus conflatum, perſtringeret aciem oculorum, omnis Chriſti benedictio, tanquam lux per ſe fulgens, magnum hunc animis noſtris ſplendorem ex multis variis Scripturæ radiis provenientem emittit. Alludit fortaſſe ad pharum illam mirabilem, quæ hoc ipſo die accendebatur, de qua meminit Anaſtaſius in Hadriano: Erat autem ingens candalebrum mirabili opere confectum inſigni artificio, quod à ſummo templi tholo

in

in Crucis effigiem, pendebat, quod candelas mille trecentas & ſeptuaginta continebat. Vnde mirum quod ait S. Athanaſ. orat. 2. de Reſurrect. Chriſtum ſuſcitatum ex mortuis, totam mortalium vitam, unum Feſtum reddidiſſe.

At veritus ne me lætitia efferat, & ne ſermonem hunc minus fructuoſum efficiam, utilitatem potius quàm oblectationem ſpectans, contraho me ad probationem huiuſce propoſitionis, quæ ſola ſermonis mei argumentum futura eſt, omnium ſcilicet myſteriorum fidei noſtræ, nullum eſſe, quod pluribus probationibus magiſque convincentibus confirmatum nobis fuerit, quam myſterium Reſurrectionis Filii Dei: Vnde fit ut S. Paulus illud tanquam doctrinæ ſuæ fundamentum cõſtituat. *Tradidi enim vobis, inprimis quod & accepi quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundum Scripturas: & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas.*

I. Probatio eſt. Quia omnem dubitandi occaſionem ſuſtulit, ita ut omnis qui non crediderit ſit inexcuſabilis. Etenim inter omnia, tria præcipuè difficultatem facere potuiſſent.

1. An verè mortuus. Nam non reſurgit niſi quod mortuum eſt. Et ita multi negarunt varias factas Reſurrectiones.

2. An eius corpus clanculo ablatum fuerit, ut ita populis imponeretur. Et hoc fuit impiorum Sacerdotum cum ſenioribus congregatorum conſilium, qui copioſam pecuniam militibus dederunt, dicentes: *Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt: & furati ſunt eum nobis dormientibus* Et ut ſubijcit Matth. cap. ult. *Divulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos, uſque in hodiernam diem.*

3. An ab alio ſuſcitatũ eſſet eius corp... Nã ſi hoc eſſet non ex eius ſuſcitatione rectè probaretur eius divinitas, quippe qui non ſua virtute ſed aliena eſſet ſuſcitatus.

Quoad 1. ut ſcires verè mortuum, 1. probatur ex teſtimonio Centurionis qui accerſitus à Pilato teſtatus eſt vere eſſe mortuum, 2. ex effuſione totius ſanguinis & aquæ, ex Chriſti latere. Nam totus ſanguis effuſus eſt, ac poſt ſanguinem, aqua, ut ſcires nihil ſanguinis relictum eſſe etiam ferro viſcera ſcrutante, quod accidit poſt ictum lanceæ. Certè vita in ſanguine eſt. Itaque, ne vitam retinuiſſe videretur totum ſanguinem fudit: ſemper aliquid ſanguinis hæret in corde, ſed ne aliquid ſupereſſet, voluit lancea cor dividi, ut ſicut loquitur S. Cyprianus de duplici Martyrio, quidquid reſederat in corde ſanguinis emitteret: In cuius rei figuram Job in afflictione ſua ſcidit veſtimenta ſua quod exponens S. Chryſoſt. Homil. de Job & Abraham, ſic habet: Diſrupit veſtem non ingratus, neque indignam vocem emittens, ſed inſultans diabolo, & inexpugnabilem eius, qui omnia abſtulerat, rapacitate confundens, unam, quam habebat veſtem, & qua indutus erat, diſrupit, ac depoſuit, gloriatus contra tentantem; & ei oſtendens, quod maiora illis ſuſtinere queat. Ita Chriſtus, poſtquam Judæi & milites, omnem ſanguinẽ exhauſerunt, reliquum cordis ſanguinem mortuus miraculo emiſit, & aquam poſt ſanguinem, ut nemo de morte dubitaret: Vnde S. Joannes poſt huius rei narrationem ſubdit. *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius*, quia ſcilicet fuerat teſtis oculatus: *Et ille ſcit, quia vera dicit, & ut vos credatis*: Certè cum multa quæ viderat Joannes, ea narraſſet, huius tamen rei particulare adhibet teſtimonium ex viſu propter rei momentum.

Quoad 2. Ne forte aliquis putaret Chriſti corpus ab Apoſtolis fuiſſe ſublatum, ut impii Judæi calumniati ſunt, factum eſt divina Providentia ut ipſi cuſtodiam militum adhibuerint, ne ſi alii adhibuiſſent, fraudẽ factã dicerẽt: Ad hoc ut ſigillo ſuo ſepulchrũ munirent, eodem ſenſu quo ille impius dixit Sap. 5.

Non

ane clanculum fieri potuiſſe. Verùm malitia, ut eſt impudens, & contentioſa, quæ ſtulta ſunt & temeraria aggreditur: & ita ad tres dies iubent muniri ſepulchrum, ut pro dogmatibus decertantes: in quo veritati ſervierunt, ne quod ſe timere dicebant, id poſtea cum aliquô colore dicere poſſent; ſi hæc omiſſa forent. Vide autem quomodo veritati ſervierunt: 1. enim agnoſcunt ipſum ante mortem ſuam pollicitum fuiſſe ſuam reſurrectionem idque intra tres dies. 2. Cùm cuſtodes adhibuerunt, teſtes poſuerunt reſurrectionis. 3. Suſtulerunt dubitationem omnem fraudis: nam corpus auferri non potuit, ne ſupponeretur reſurrexiſſe: cùm enim eſſet ſepulchrũ in rupe cavatum, ſuffodi non potuit; quod fieri potuiſſet, ſi fuiſſet cæmentarium: oportuit itaque ut auferretur per oſtium; ſed & illud clauſum fuit ingenti lapide, & obſignatum illorum ſigillo, & cuſtoditum à militib⁹: & tamen nil horum impedivit ejus reſurrectionem. Et ea cauſa fuit, cur citius reſurrexerit, ne dicerent quod eſſet mentitus, vel quod poſt illud tempus, incuſtodito ſepulchro furto fuiſſet ſublatus. Nam citius reſurrexiſſe criminationi non erat obnoxium; ſeriùs verò plenum fuiſſet ſuſpicionis. Oportuit itaque reſurrectionem fieri ipſis aſſidentibus, & cuſtodientibus, & conſequenter intra tres ipſos dies; alioquin ſi exactis tribus diebus, & cuſtodibus remotis, facta fuiſſet, res futura erat ſuſpecta ideòque permiſit, ut ſicut voluerunt, obſignarent ſepulchrum, & ei aſſiderent; quod extremæ fuit ſtultitiæ, & timoris ipſos vehementer concutientis: qui enim viventem comprehenderant, mortuum verentur: quãvis ſi homo tantum fuiſſet, nihil eſſet quod timeretur. Sed ut ſcirent voluntate ſuâ paſſum eſſe viventem, en & ſigillum, & lapis, & cuſtodes; nec tamen ipſum retinere potuerunt: hoc unum tantum effecerunt ut ſepultura publicaretur, & reſurrectio inde certior haberetur & manifeſtior, & inde crederetur.

Quoad 3. Ne ab alio ſuſcitatum diceres, uti quondam contigit homini à latronibus interfecto, & in Eliſæi ſepulchrum conjecto, unde Eccleſiaſtes cap. 48. *Mortuum prophetavit corpus eius: Ita vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt*: Divinâ Providentiâ factum eſt, ut in ſepulchro lapideo poneretur exciſò in petrâ, ne ſuffodi potuiſſe crederes, ſi opus eſſet cœmentarium, & eâ ratione extrahi, atque evehi potuiſſe; item in ſepulchro novo, in quo nullus adhuc poſitus fuerat, ne reſurrectio, alterius virtuti tribueretur: vel ut ait Ambroſ. ne alius ſuſcitatus eſſe, non ipſe, diceretur à perfidis: Nec otioſè ait idem Pater, alius monumentum novum dixit, alius monumentum Ioſeph, quia ſibi Ioſeph exciderat: non habebat igitur Chriſtus tumulum ſuum: Mortis victor, mortis tumulum ſuum non habet: quæ enim communio tumulo, & Deo? Ac ne putes id temerè accidiſſe, huc ſpectat quod de Chriſti ſepultura ſcripſit Isaias, c. 53. *Dabit impios pro ſepultura: & divites pro morte ſua*: quod aliter, & ſic habet Hebræa, *dedit eum impijs ſepulchrum eius*: quia juxta Calvariæ locum, ubi latrones ſepeliri ſolitum erat: *Et cum divite in mortibus ſuis*: quia poſitus eſt, in ſepulchro hominis divitis, népe Ioſephi. Ex quibus omnibus patet ſublatas fuiſſe cauſas non credendæ reſurrectionis. Ac ne credas nos uti tantum argumentis negativis.

II. Probatio eſt: Quia omnis generis teſtimonia acceſſerunt ſecundum illud 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra ſpiritus aqua, & ſanguis.* Et terra quidem teſtimonia dedit mortis: nam ſpiritus corpus deſeruit, ſecundum illud Ioan, 19. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum*: de quo prius

priùs dixerat: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*; quod exponens Innoc. 3. in Decretal. Gregorij lib. 3. Titulo 51. De celebratione Miſſarum cap. 8. In quadam: Hinc manifeſtè probatur, quod ſpiritum habebat, non ſolum flatum vitalem, ſed animam rationalem, de quâ dixerat; *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, & poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Aperto autem Chriſti latere ab uno è militibus, continuò exivit ſanguis & aqua: quâ ratione indubitata fuit mors Chriſti: fluxus enim totius ſanguinis, infert interemptionem animalis, nam vita in ſanguine eſt & quod totus fluxerit patet ut diximus, ex ſuccedente fluxu aquæ: aquæ autem fluxus oſtendit reſolutionem corporis naturalis in ſua principia: nomen enim aquæ debet ſumi propriè: & ſignificat aquam elementarem: quod quia extraordinarium fuit, ne fides abeſſet, ſubjecit Ioannes; *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.* Ex quo loco idem Papa loco citato, colligit quoque veritatem corporis Chriſti & Humanitatis ipſius: rationalis quippe anima non poſſet vivificare niſi corpus humanum, ex quibus ſimul unitis verus homo conſiſtit. Vt verò fuit verus ſpiritus, & verus ſanguis, ita quoque pura aqua, cum Chriſtus ſit veritas, & à veritate õnis fallacia ſit penitùs aliena; poſſitque naturaliter compoſitum in componentia, & elementatum in elementa reſolvi; veruſque extiterit ſudor ipſius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentia in terram. Nam cùm ad compoſitionem humani corporis quatuor elementa concurrant; & ad vegetationem ejuſdẽ quatuor humores illis conſimiles; ut veritatem humani corporis expreſſiùs in Chriſto demonſtraret Ioannes, unum ex illis, & unum ex iſtis expreſſit; ex elementis aquam, ex humoribus ſanguinem: in quibus duobus, duo maximè, Redemptionis videlicet, & Regenerationis myſteria elucent: addo & mortis teſtimonia in eorum effuſione.

Iam cœlum teſtimonia dedit Reſurrectionis. Pater quidem miraculis innumeris; & miſſis Angelis; & hominibus ſuſcitatis: quoniam multorum Sanctorum corpora ſuſcitata ſunt, & apparuerunt multis in civitate: Angeli autem annunciaverunt mulieribus, quoniam Pater ſuſcitavit Filium ſuum: efficientia enim reſurrectionis Patri tribuitur: quia opus fuit divinæ potentiæ, quæ ſingulariter Patri conceditur per attributionem.

Filius pluribus modis eandem teſtatus; eſt variis apparitionibus, pluribus modis factis, exhibitione ſui corporis; viſu, tactu, attrectatione, vulnerum exploratione, manducatione, argumentatione, nam verum corpus oſtendit, cùm ſe iuſſit tangi; *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*: probavit vitam animalis, cum vidit & locutus eſt, & progreſſus eſt, & comedit, *habetis hic aliquid quod manducetur?* Probavit vitam rationalem, cum diſcurrit, & argumenta intulit: quæ probationes, ſuppoſitâ ipſorum diſpoſitione, omnem ab Apoſtolorum animis dubitationem ſuſtulere, cùm ipſi nollent credere, niſi tangerent, vellent autem credere, ſi tangerent; deberent autem credere, ratione multarum probationum, ad hæc, revocatione in memoriam eorum quæ docuerat: *Hæc ſunt verba quæ ego dicebam vobis, cum eſſem vobiſcum*: Item, obiurgatione, & reprehenſione, *O ſtulti, & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti ſunt prophetæ?* Et ad Thomam, *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti*: Item, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*: Item, *Et exprobravit incredulitatem eorum, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*.

In quo adverte aliud eſſe objectum fidei, aliud propoſitionem objecti fidei. Obiectum fuit ipſa Chriſti reſurrectio divinitùs facta, quæ fuit obiectum materiale fidei, at forma

le fuit

Digitized by Google

le fuit revelatio huius objecti, & authoritas divina. Sed propoſitio fuit multiplex: omnis autem ſufficere potuit bene diſpoſito ad credendum, ſed malè diſpoſitis opus fuit multis modis: & hoc fuit in Apoſtolis, qui credere noluerunt, & cæteris motivis credendi non fuerunt contenti: niſi viderent & palparent; quorum infirmitati ita Chriſtus ſe accomodavit, ut omne genus probationum illis attulerit. Deniq; eos Chriſtus convicit allegatione Scripturarum, & earum expoſitione: *Et incipiens à Moyſe & Prophetis, interpretabatur eis Scripturas, quæ de ipſo erant.* Et illud aliud, *Et aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*: Quia non tantum illuminavit, ut Doctor proponens exterius, & tantum exponens ſermone; ſed etiam ut Deus, docens interius, & tribuens intelligentiam, unde dubitare non potuerunt poſt tantam illuminationem.

Spiritus autem Sanctus dedit teſtimonium in omnibus Scripturis, cum & in Lege, & in omnibus Prophetis, & in Pſalmis, locutus ſit de Chriſti Domini reſurrectione: Dedit etiam teſtimonium per deſcenſũ in Apoſtolos, quo tempore illud impletum eſt quod dicitur in Ioanne cap. 15. *Ille teſtimonium perhibebit de me*: quod factum variis ſignis, & virtutibus, ſanitatibus, prophetiis, linguarum generibus & multorum mortuorum reſurrectione, quæ non potuit fieri in nomine ejus, qui non fuiſſet inter mortuos liber, & qui in ſe mortis imperium non ſuperaſſet.

Iam quid memorem inferiora quidem, ſed certa teſtimonia, Angelorum, Magdalenæ, Mulierum, ipſius Petri, decem Apoſtolorum, qui Thomæ dixerunt, *Quia vidimus Dominum*: Denique ipſius Thomæ, cuius infidelitas, & pertinacia maximum fuit eiuſdem rei teſtimonium: Nam eò pervicaciæ devenerat, quo infidelis quiſque, & maximè difficilis ad fidem; ut ne aliorum quidem ſermonem audire, ac ferre poſſet, tanquam forent delitamenta: Lucæ 24 *Et viſa ſunt ante illos, ſicut deliramentum verba iſta, & non crediderunt illis.* Vnde ab aliis ipſe Thomas diſceſſit, nec decem referentibus ſe Chriſtum ſuſcitatum vidiſſe, fidem adhibuit, quaſi ipſi non ſatis exploraſſent, ac veritatem carnis probaſſent: quod ubi curioſiſſimè fecit, coactus eſt veritatem ſummâ devotione fateri, exclamans, *Dominus meus, & Deus meus.* Et ita Diſcipulorum infidelitas magnum fuit veritatis argumentum, ne diceres eos ex levitate crediſſe, cum ſcriptum ſit, *Qui credit cito, levis eſt corde*: Ad hæc quia occaſionem Chriſto dederunt, varias afferendi probationes, & quoad ſenſus ipſos, & quoad intelligentiam; quod in aliis myſteriis factum non legimus, ut hoc ſupra omnia potiſſimum, ac præcipue confirmaretur.

Sequitur unica Concluſio. Vt cogites quam indignum ſit & temerarium, & quam intolerabile, ubi habeas tam multiplices tamque certas probationes, ob minimam difficultatem occurrentem de re adeo conſtante dubitare; quod ſolent homines impii, quos una impietatis difficultas plus movet, quam tot atteſtata teſtimonia: ut ſcilicet in illis impleatur, ſermo ille; *Quia odio habuerunt me gratis*: uti Apoſtolus Thomas, qui ſola animi pervicacia, & animi dolore, ſe ad incredulitatem, tot neglectis teſtimoniis, obfirmavit.

Sed adverſus tantam teſtium nubem, & authoritatem, quid obiicere poteſt impietas, & incredulitas?

An 1. Statum corporis adeò deformem & perditum morte: Sed quid illud obeſſe poteſt Reſurrectioni, ſi cogites 1. unitum fuiſſe hoc corpus divinitatis? de quo conſequenter dictum eſt; *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: 2. Potuiſſe

Deum, ſine opera viri, illud in utero Virginis formare: cur itaq; eadem virtus non illud iterum formare poterit in tumulo; 3. Quotidie artificem opus ſuum vetus, & collapſum redindegrare: cur igitur id Deus non poterit; Vide figulum ubi vas finxit elegans, ſi ante coctionem frangatur, nunquid poteſt illud iterùm fingere? nunquid idem poteſt in ſuo opere cerarius? idem aurifex? Cur id unus non poterit, qui omnia poteſt Deus?

An 2. quod Iudæi calumniati ſunt, Diſcipulos Chriſti, corpus ejus eſſe furatos, ſecundum illud Matth. 28. *Dicite quia Diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus: Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos uſque in hodiernum diem:* Sed vide homines ridiculos ex ipſorum diligentiâ: Nam & cuſtodes adhibuerant, & ſigillo munierant. Quid ergò jam queruntur de furto; Item eadem calumnia refellitur ex cuſtodum teſtimonio? *Nam quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.* Item ex eorum ſuper eâ re coacto concilio, & ex datâ cuſtodibus pecuniâ, ſecundum illud. *Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, copioſam pecuniam dederunt militibus, dicentes, dicite, quia Diſcipuli ejus, nocte venerunt: & furati ſunt eum, nobis dormientibus.* Vide num ipſi dormiant, qui teſtes adhibent dormientes. Deniq; ex iis quæ ſecuta ſunt. Nam ſi homo ſemper mortuus jacuiſſet, & ficta foret reſurrectio; unde tanta in diſcipulis mutatio, unde tanta conſtantia, unde tanta ſcientia, unde ſic mores mutati, unde totius orbis converſio, unde fides in Chriſtum? Finxerunt Diſcipuli Apollonij Thyanæi eum vitæ redditum: vide quo reciderit fabula ridicula; à quibus credita & recepta fuit.

An 3. Poſſideri à Turcis Sepulchrum Domini, quod eſſet æternum Reſurrectionis ipſius teſtimonium. Id enim ab aliquibus jactari audio. Ita ſanè Chriſtus Sepulchrum reliquit hoſtibus, ſed ipſe corpus inde eduxit; Ad hæc, ſicut militibus cùm præſens adeſſet, cuſtodiendum permiſit; ita enim vacuum à Turcis ſervari voluit, ut & ab hoſtibus obſequium traheret. Præterea qui ſeipſum, & ſanctos ſuos in quibus ſemper habitat, hoſtibus permiſit; cur non etiam ſepulchrū & rupem; quamquam non excidit etiam prophetia Iſaiæ cap. 11. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Nam quicquid conatus ſit Iulianus Apoſtata contra illud, ſemper tamen manſit in gloriâ & licet in illis locis Turcæ dominentur, non tamen manet ſine honore; eò undique concurrentibus Chriſtianis.

Vidiſtis quam ſint levia quæ nobis obiicit Impietas, & audiſtis quibus teſtimoniis Fides noſtra ſtabilita ſit, & quibus authoribus credamus: Quod in univerſum opto vos, Auditores, in rebus fidei, & morum conſiderare. Nam dici non poteſt quàm gravibus agamus teſtimoniis, & quàm levibus, & planè ridiculis rationibus nitatur Impietas. Quid enim pro ſe afferunt Impij; ſenſum, difficultates, jocos, ſales. Quis credat? Quis putet? Niſi videro non credam; quomodo poteſt id fieri, & innumera ejuſmodi. Quid fides noſtra? Prophetias impletas, prædictiones tot ſæculorum, innumera miracula, ſigna, portenta, morum mutationem, vitæ ſanctitatem, rationum pondera, motiva credibilitatis tot & tanta, tot ſapientum teſtimonia, tot populorum & nationum conſenſum, tot ſæculorum concordiam. Itaque non mirum eſt ſi pro noſtra Fide tot Martyres ſanguinem fuderunt: omnis ætatis, ſexus, conditionis; per tot ſupplicia; apud omnes nationes; totque ſæculis: non mirum, ſi multi ob eandem Fidem, & perſuaſi ab ea, omnia ſua reliquerunt, & rebus omnibus nuntium remiſerunt; cum iſti omnes impii, nihil ſuſtinere vellent pro ſuis nugis, neque periclitari in ulla re, ut ſuas doctrinas, & effata tueantur. Hinc fieri

Digitized by Google

fieri videmus ut ſolidiſſima quæque ingenia, & prudentiſſima; rebus Fidei noſtræ acquieſcant: aliis vero rebus dent ſe ingenia turbulenta, vana, inania, ſuperba, & omnis diſciplinæ inimica: unde amborum diſſimiles mores, & vita valde contraria: At vide ô Impie.

1. Quis noſtrum ſolidiore nitatur fundamento: Tu tuo judicio tu tuæ prudentiæ; immo pervicacitati; quia capere non potes, quia hoc ſenſui tuo adverſatur, quid mihi opponis tuas difficultates? Vnde illarum origo, niſi ex tua ignorantiâ, ex animi tui ſtupiditate? Quia omnia metiris ſenſibus tuis; nihil plus intelligis, quam quod oculi vident, quàm quod manibus tangis: *Niſi videro fixuram clavorũ*, &c. *& mittam manum meam in latus*, &c. *non credam*. Tuæ fidei opponunt ſe peſſimi tui mores, vivendi conſuetudo, vitæ præſentis amor: Ego Divino teſtimonio innitor, Prophetiarũ veritati, miraculorũ teſtimoniis, Divinę providentię: ſequor in Fide ſumma ingenia, exempla omnium virtutum, tot rationes, tot demonſtrationes: Non potuiſſe illam Fidem eſſe falſam, quæ tantam in rebus mutationẽ effecit; quæ tot errores ſuſtulit; tot abolevit vitia, tantam ſanctitatem induxit; quæ tot martyres habuit, quæ tanto ſanguine conſignata eſt; quam nec tyrannorum ſævitia, nec tortorum immanitas, nec tormentorum atrocitas imminuere potuit; adverſus quàm nec mors aliquid potuit, nec Inferorũ portæ prævalere potuerunt; & ad quã ſtabiliendam tanto conſenſu convenire non potuerunt tot gentes & nationes, adeò moribus, & legibus diſſimiles: Ad hoc me movit tanta unitas & concordia, tàm admirabilis ſanctitas, ſucceſſio non interrupta, & innumera ſigna, & portenta omnibus ſæculis, tot teſtibus viſa:

2. Quis noſtrum agit prudentius? Tu ſenſibus gubernaris, & humano ſenſu: Ego divino. Tu terram ſpectes, ego cœlum, Tu omnia tempore concludis, ego æternitate. Tu regula dirigeris fallibili, & erronea, ego infallibili, & nunquam fallente. Tu aſſeris quod neſcis, nos autem quod ſcimus, loquimur; & quod vidimus, teſtamur. Tu ſola rerum incertitudine gubernatis, nos autem rerum infallibilitate & certitudine:

3. Quis noſtrum majori periculo ſe exponit? Nam ut de rebus meis, tuo uſus judicio ſententiam feram, ad ſummum me privo, aut rebus illicitis, aut rebus vanis, & bonis fugientibus, & quæ omnia intra huius vitæ ambitum concludunt. Sic mecum quæſo reputa, an horum rerum jactura magna eſt, & æſtimabilis? Dem hoc tibi, omnia, vita hac noſtra præſenti terminari; nullam eſſe aliam vitam, nullam reſurrectionẽ corporum, neque animorum immortalitatem; meras eſſe nugas quæcunque dicuntur de inferorum tormentis, & de Sanctorum beatitudine; hoc ne ſatis eſt ad tuam impietatẽ? ſed mitto dicere hanc eſſe cogitationem Epicuri alicuius, aut animalis ſenſum: ad hæc, ſi hæc ſint vera; nullum eſſe Deum, nullam religionem, nullum jus, nullas leges, nullum rerum ordinem: ſed ne tecum diſputem de ipſis rerum principiis, hoc demus tuæ impietati, & improbitati tuæ: Nunquid tamen melius eſt mihi caſtum fuiſſe quàm impurum; juſtum quam injuſtum; bonũ quam improbum? Cuius maior ſecuritas, tua; an mea? Cuius major, & tutior pax, tuæ conſcientiæ; an meæ? Quæ vita tranquillior, & beatior, tua quam tot crimina terrent; an mea quã recte factorum conſcientia conſolatur? Sed verte negotium, & rem conſidera de integro: At ſi eſt alia vita; præter hanc præſentem, quæ ſit æterna & ſummè miſera, vel ſummè beata; quo loco res tuæ erunt? quod deinde remedium? quæ excuſatio? hoc ne idẽ eſt in utramque partem? Vide an noſtra ſint paria, an æqualia, æquale periculũ, an æqualis jactura? Tota alea mea, vertitur circa temporalia,

Digitized by Google

talia, circa exigua, & contemptibilia; quæ poſſediſſe nihil eſt, amiſiſſe exigua, jactura, contempſiſſe virtus: Alea tua vertitur circum æterna, & ſumma; quæ poſſediſſe ſumma eſt & ſuprema felicitas, amiſiſſe extrema miſeria, & ſuprema infelicitas, contempſiſſe ſumma impietas & ſtultitia. Sed hæc omnia incerta ſunt, urges iterum? Tibi certè incerta; mihi autem certiſſima, & indubitata. Saltem, ais, ſunt obſcura, non tamen incerta, non dubia, non falſa. Sed tamen quid inde concludis? Quia obſcura mihi dubia: Tibi certè, ſed non mihi, Sed non dubia fuere tot Sanctis, tot martyribus, tot præclaris ingeniis. Et ſi eſſent dubia vide an ad prudentiam pertineat in re tanti momenti periclitari, in qua agitur de ſummâ rerum? Equidē ſi falſus ſum nihil mihi deperit; ſed ſemper magna me ſpe erexi & & conſolatus ſum: Si deceptus es, totum perdidiſti, & quod erat præcipuum in vitâ, quod eſt virtus; & quod totū eſt in æternitate, quod felicitas eſt; ad quam nos perducat Ieſus Chriſtus. Amen.

* * *

FERIA SECVNDA POST PASCHA. CONCIO.

Quàm multa ad fidem Reſurrectionis noſtræ nos diſponant.

Reſurrexit Dominus verè. Lucæ, 24

LICET in hoc Feſto plures dies eſſe videantur, cenſetur tamen Paſcha unica dies; quia una eſt ſolemnitas, unde ſignanter dicitur, *Vna Sabbatorum*, quod exponens Sanctus Chryſoſtomus Serm 79. Benè una dixit, Quia reſurrectionis dies alteram neſcit: reſurgentium lux mori non poteſt, lux quæ mortem delet, non poteſt extingui. Vnica igitur eſt dies; ſed ut ait Nazianzen. Hæc dies dicitur magna & magna victima, eſt enim dies quam fecit Dominus. Itaque cùm ſit una ſolemnitas, non mirum ſi de una re tantum agatur, hoc eſt de reſurrectione ſeu Chriſto ſeu noſtra; in cuius probatione pergimus, uti Chriſtus quadraginta diebus ſuis diſcipulis ſuā probavit. Sed de tanta gratia dicere non poſſumus ſine gratia. Vnde autem melius gratiam petemus quam ab ea quæ grātia plena eſt. AVE MARIA.

LICET non ignorem quod alicubi dixit Philo Iudæus magnorum argumentorum magna debere eſſe proœmia, & aliunde Paſcha eſſe omnium Feſtorum primū, uti ex Epiphanio illud vocante totius mundi feſtivitatem & renovationem nuper dicebamus: Quia tamē hoc unū quærimus, ut quę pro nobis geſta ſunt ex iis utilitatē capiamus (neque enim ſibi tantum Chriſtus reſurrexit, ſed nobis etiam, totique mundo; ſecundum illud Apoſtoli ad Roman. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*) Age pergamus in operē à nobis ſuſcepto, & oſtendamus quibus firmamentis ſtabilita eſt fides quam habemus de Chriſti reſurrectione, ſecundum illud, *reſurrexit verè.*

Heri

Digitized by Google

Heri oſtendebamus ex omnibus Fidei noſtræ myſteriis, nullum pluribus probationibus confirmatum fuiſſe quã Chriſti reſurrectionem; cuius rei duas probationes attulimus, in quibus plures aliæ continentur: prima fuit quia omnes dubitandi cauſæ ſublatæ ſunt. Secunda: Quia omnis generis teſtimonia acceſſerunt. Nobis hodie Tertia ſupereſt explicanda: & hinc petitur quod Deus tàm multiplici ratione hominũ mentes ad eam fidem ex præteritis & ex præſentibus diſpoſuit, ut nemo rationis capax impoſſibilem hominum reſurrectionem judicare poſſit, nec ullus conſequenter de Chriſti reſurrectione, ex rei ipſius difficultate, aut etiam impoſſibilitate dubitare.

Eſt autem duplex difficultas una particularis, altera cõmunis: particularem heri ſuſtulimus; oportet ut hodie tollamus communẽ. Incipiamus à præteritis quæ magnum faciunt futurorum argumentum.

I. Itaque probatio petitur ex primi hominis efformatione; & hæc eſt: Si audiſti quod initio pulvis, & limus, in formã redactus eſt, & in hominem animatus; quidni igitur idem Deum poſſe iterũ facere firme credas? Nam, ut ait Tertull. lib. 1. de Reſur. carnis cap. 11. Vtique idoneus eſt reficere qui fecit: Quanto enim plus eſt feciſſe, quam refeciſſe, initium dediſſe, quam reddidiſſe? Ita reſtitutionem carnis faciliorẽ credas inſtitutione. Ne mihi itaque dicas, quomodo poteſt pulvis, caro fieri, formam accipere, videre, audire, ſentire, & cætera Ego enim viciſſim cum Greg. Nyſſ. orat. 3. de Reſurrectione, rogabo, ut me doceas, quomodo in prima hominis conditione, pulvis diſſipatus coactus ſit; quomodo terra, caro facta eſt: item, quomodo eadem materia oſſa, cutẽ & adipem, & pilos confecerit: quomodo cũ una ſit caro, diverſæ ſint formæ membrorũ, diverſæ qualitates, & tactus: quomodo pulmo tactu mollis, colore lividus, jecur ſolidum, firmum, & non cedens, atque rubeum: cor conſtrictum, ac duriſſima particula carnis: &c. Ne itaque limum, & pulverem contemnas, ſed cogita toties honorari, quoties manum Dei patitur, dum, ut ait Tertull. loc. cit. cap. 6. tangitur, dum decerpitur, dum diducitur, dum effingitur. Certe Phidiæ manus Iovem Olympium ex ebore molitur, & adoratur: nec jam beſtiæ, & quidẽ inſulſiſſimæ Deus eſt, ſed ſummum ſæculi numen, non quia Elephantus, ſed quia Phidias tantus: idem & multo magis cogita de limo, & pulvere in manu Dei: datum eſt eſſe aliquid origine generoſius, & demutatione felicius. Hæc ille. Nempe Chriſtiano homini nulla eſt difficultas credendæ Reſurrectionis, qui primam hominis formationẽ didicit ex Geneſi: nam utrobique eſt pulvis, & limus; utrobipue eade Dei manus, & potentia. Neq; verò Deo eſt difficilius plures producere quam unum, cũ potentia producentis ſit infinita, & propterea multitudine operum non poſſit exhauriri.

II. Probatio petitur ex primæ mulieris, hoc eſt Evæ, formatione. Quomodo itaque prima mulier ex parva parte lateris, & unica coſta, integrum animal, ſimile perfecto extitit, quo modo pars ad omnia ſuffecit; & exiguum, totum conſtituit; coſta facta eſt caput, manus & pedes; viſcerum, & inteſtinorum flexuoſa figura, atque diſtinctio, caro, pili, oculus. naſus, &c. Quis hominum ſi modo ſit ſanæ mentis non credat, ex integra hominis materia poſſe eundem renovari, & eandem fœminam reſtitui? Nam communis erit utriuſque ſexus reparatio ut initio Deus utrumque ſexum molitus eſt.

III. Probatio. Sed age, Quomodo hæc omnia quæ vides, & quæ non vides creata ſunt? Dic qua arte Deus hoc totum confecit? Cur igitur cum iſta fatearis, etiam iſtud non admittis?

Ac

Ac ne indigneris, ſi cum rationem fabricationis ignores, etiam corrupti reſtitutionem non intelligas. Ambroſius lib. de fide Reſurrectionis. Cœlum aſpice, terram intuere: unde ſtellarum ignes, unde ortus Solis, & radii, unde Lunæ globus, & montium vertices, dura ſaxorum, nemoroſa ſylvarum, unde vel diffuſus aër, unde vel infuſæ, vel ſuperfuſæ aquæ: Sed ſi hæc omnia fecit Deus ex nihilo, cur miremur renaſci poſſe quod fuerit, cum videamus natum eſſe, quod non fuit: Hic totus diſcurſus reſpicit Dei potentiam, quæ talis eſt ut illi nihil ſit impoſſibile, & quæ nullo eget adjutore, cum ipſa ſibi ſufficiat. Unde Ambroſius loc. cit. Non egent humanis, divina Myſteria: Cœlũ Deus fieri juſſit, & factum eſt: Terram creari ſtatuit, & creata eſt: Quis humeris ſaxa convexit: Quis congeſſit impenſas: Quis laboranti Deo, ſuam operam miniſtravit: In momento hæc facta ſunt, *dixit & facta ſunt*: Si dicto elementa conſurgunt, cur dicto, mortui non reſurgant: Immò illud longè facilius eſt ex communi hominum ſenſu. Et Nyſſen. orat. 3. de Reſurrectione. Idem artifex eſt, & primæ creationis, & ſecundæ transformationis: Novit quomodò opus ſuum diſſolutum reſtauret. Si opus ſapientiâ eſt; in ipſo fons eſt ſapientiæ: ſi potentiâ, & viribus opus; non indiget adjutore omnipotens: Et eſt, & dicitur, at ei qui omnia poteſt nihil eſt difficile, nihil perplexum. Sed quid opus eſt dicere de corporibus, ait Chryſoſtom. homil. 33. de Diverſis: Dic mihi quomodò fecerit virtutes immenſas, turmas cœleſtes, Angelos, & his ſuperiora agmina, dic oro modum quo fecit, hic nihil dicere aliud poſſum, quàm quod ſola voluntas ſuffecit. Ergo-ne qui tot incorporeos formavit exercitus, hominis corpus corruptum renovare iterum, & in majorem provehere dignitatem nequit?

At objiciunt increduli, quomodo fieri poſſit, ut quæ mare abſorbuerit, feræ dilacerarint, beſtiæ devoraverint, terra reſtituat, & poſt tot corporum mutationes, unicuique ſuum corpus reddatur? Pulchrè reſpondet Ambroſius lib. de fide Reſurrect. Iam non parum nos profeciſſe, ut non de fide Reſurrectionis, ſed tantum de parte dubitetur. Eſto enim ut laceratorum corpora non reſurgant, reſurgent cæteri, nec reſurrectio deſtruitur, ſi conditio excipitur. Reſpondet 2. omnia quæ ſunt ex terra in terram redire: mare enim ipſum corpora expuit in littora. Sed tertia reſponſio omnem difficultatem tollit: Quid mare, quid beſtias devorantes ſpectamus, cum Deo facillimum ſit diſſipata ſervare; cui mundus obtemperat, muta obſequuntur elementa, ſervit natura: quaſi non maioris miraculi ſit, limum animare, quàm jungere. Sed ad alias probationes tranſeamus.

IV. Itaque probatio eſt, quòd ipſo opere Reſurrectionem demonſtravit: Nam ante ipſam generalem Reſurrectionem, aliquas particulares Reſurrectiones effecit, ut ex particularibus oſtenderet univerſalem. Ex illis particularibus, univerſalis demonſtratio nobis evidens eſt, atque manifeſta: Vt enim Mechanici ingentiũ operũ formas atq; figuras, in cera effingunt; uti Aſtrologi in exiguo, qualem motum, & ordinem cœli habeant, oſtendunt; ac minima ſtructura, magni illius opificii ſimulacrum eſt: eodem modo, ſi dubitas de univerſali corporum Reſurrectĩne, aliquorũ tibi oppono ſuſcitationem: perſpicuum enim eſt, quod eam fidem, & probationem, quæ in uno ſit, etiam in multis, ſimiliter homo ſanus admiſerit. Nam uti rectè ait Nyſſen. Orat. 3. de Reſurrect. Sicut unus excitatus eſt, eodem modo decẽ; ſicut 10. ita & 300, ut 300. ita etiam plures: unius enim

ſtatuæ

Digitized by Google

ſtatuæ artifex, vel ſexcentarum facile opifex erit. Vide itaque hujus rei progreſſum in Evangelio. Vt enim ait Nyſſen. lib. de Anima & Reſurrectione: 1. In mortiferis morbis vivificam vim demonſtravit: juſſu, ac verbo, abigens affectiones: ut in filio reguli, dicitur: *deſcende priuſquam filius meus moriatur*: & in ſervo Centurionis, de quo dicitur: *incipiebat enim mori*: nam in his duobus mortem arcuit & retardavit. Deinde paulò ante, mortuam puellam, in ipſo lectulo reſuſcitavit: Poſteà adoleſcentem qui jam ad ſepulchrum efferebatur, in ipſo loculo excitavit: *Adoleſcens tibi dico ſurge, & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: Et dedit eum Matri ſuæ*: Poſteà Lazarum qui jam quatridui tẽpore mortuus diffluebat, & olebat, vivum educit è ſepulchro. Modum optimè explicat Ambroſius lib. de fide Reſurrectionis: In eo quippe ait, non unum Lazarum, ſed fidem omnium ſuſcitavit. Quid enim ſibi vult, quod Dominus ad monumentum acceſſit, & magna voce clamavit, *Lazare veni foras*, niſi ut futuræ Reſurrectionis ſpecimen præſtaret, exemplum ederet? Cur enim voce clamavit, quaſi ſpiritu non ſoleret operari, quaſi tacitus non ſoleret imperare? Sed ut illud oſtenderet, quod ſcriptum eſt, Quoniam *in momento, in ictu oculi in noviſſima tuba, mortui reſurgent incorrupti*: Cur etiam nomen additur: *Lazare veni foras*: niſi forte ne alius reſuſcitatus pro alio videretur, aut fortuita magis reſurrectio, quàm imperata. Audivit ergo defunctus, & exivit foras de monumento, ligatus pedes, & manus inſtitis; & facies ejus orario colligata erat: comprehende ſi potes quomodo clauſis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradũ dirigat, inſeparabili greſſu, ſeparabilique progreſſu. Manebant vincula, nec tenebant: tegebantur oculi, ſed videbant: vivebat denique qui reſurgebat, qui ambulabat, qui deſerebat ſepulchrum: Virtute enim divinæ præceptionis operante, natura ſuum non requirebat officium, & tanquam in exceſſu poſita, non jam ſuo ordini, ſed divino nutui ſerviebat. Rumpebantur prius mortis, quàm ſepulturæ vincula: agebatur prius, quã parabatur inceſſus. Si miraris hæc, diſce quis imperaverit; tum mirari deſines: Ieſus Chriſtus, Dei Virtus, Vita, Lux, Reſurrectio mortuorum. Virtus erexit jacentem; Vita greſſum extulit; Lux fugavit tenebras, reparavit obtutum; Reſurrectio vivendi gratiam reformavit. Quod ſi Chriſtus voluit Iudæos removere lapidem, & ſolvere inſtitas; id fecit, ut vel oculis ſuis crederent, qui credere mente nolebant. Removent lapidem, vident cadaver, fœtorem ſentiunt, inſtitas rumpunt: non poſſunt negare defunctum, quem aſpiciunt reſurgentem. Vident ſigna mortis, & vitæ munera (Pergit idem Pater) Nec hoc ſolum exemplum edidit Dominus, ſed alios quoque reſuſcitavit, ut nos vel exemplis uberioribus, crederemus. Reſuſcitavit adoleſcentem, fletu viduæ matris inflexus, quando acceſſit, & tetigit loculum, dicens, *Adoleſcens tibi dico ſurge, & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui*: Statim ut audivit, ſtatim reſedit, ſtatim locutus eſt: alia enim virtutis gratia; alius ordo naturæ. Nam quid de filiâ Archiſynagogi loquar? Quàm citò ad vocem Domini convertitur ſpiritus; redivivum corpus erigitur; cibus ſumitur; ut vitæ teſtimonium crederetur. Et quid miremur ad vocem Domini refundi animam, redire oſſibus viſcera, cum meminerimus prophetici tactu corporis mortuum ſuſcitatum? Elias oravit, & defunctum ſuſcitavit infantem: Petrus in nomine Chriſti Tabitham ſurgere, atque ambulare præcipit: Quid dicam quod in morte Chriſti, plurimorum aperta ſunt monumenta, & multi exierunt de ſepulchris? Si hæc facta ſunt, cum emitteret ſpiritum, cur incredibilia putamus, cùm redire cœperit ad judicium? præſertim cum

hæc reſurrectio, documentum illius reſurrectionis, & futuræ ſit veritatis exemplum: Minus autem, exemplum eſt quam veritas: Hactenus ille, paucis mutatis.

V. Probationem affert Tertull. lib. de Reſurrection. carnis cap. 28. quod tàm dictis quàm factis in veteri Teſtamento prædicatur Reſurrectio.

Deuter. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam*: certè poſteaquam occiderit vivere faciet, ergo per mortem occidens per reſurrectionem vivificabit. Iſaias 66. Deus promiſit novum cœlum, & novam terram. Ambroſ. de fide reſurrectionis: Si terra renovatur, & cœlum, cur dubitemus hominē poſſe renovari, propter quem terra facta eſt & cœlum eſt? Pſalm. 103. *Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*: Nyſſ. lib. de anima & reſurrectione. In ordine orationis, eorum qui renovantur defectus præcedit: hoc ipſo reſurrectio annuntiatur. Nec omittendus eſt ille locus Exodi quô Chriſtus uſus eſt Matth. 22. cum Sadducæis probare voluit reſurrectionem, quos ignoraſſe ait & Scripturas & virtutem Dei: ex quâ ignoratione, ortus eorum error: *Erratis neſcientes Scripturas neque virtutem Dei*, ſeu divinam potentiam. *De reſurrectione autem mortuorum non legitis quod dictum eſt à Deo. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*: Cum itaque Deus ſe dicat adhuc eſſe Deum Abraham Iſaac, & Iacob, oportet illos non periiſſe Deo, per mortem: unde dicit apud Lucam, *omnes, illi vivunt*: quia ſcilicet Deo non pereunt, qui vitam illis daturus eſt. Hæc pauca ſufficiant pro dictis: addo facta.

Cùm Moyſes manum in ſinum condit, & emortuam profert, & rurſus inſinuat, & vividam explicat; nonne hoc de toto homine portendit: Item quod Geneſ. 9. dicit Deus ſe exquiſiturum ſanguinem noſtrum de omnibus beſtiis, & de manu hominis, ſic Tertull. interpretatur: Nihil exquiritur, niſi quod & repoſcitur, nihil repoſcitur, niſi quod & reddetur. Adde quod acceſſit & Dei promiſſio. Ambroſ. de fide Reſurrectionis: Hoc promiſit qui nunquam mentitur Deus: hoc promiſit veritas in Evangelio ſuo dicens: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*: Quis hoc dicit: Utique is, qui mortuus plurima defunctorum corpora ſuſcitavit: Si Deo non credimus, nec exemplo credimus. Non vidimus quod promiſit, quando etiam, quod non promiſit effecit.

VI. Et quoniam Chriſtus Dominus, Ionam attulit in ſuæ reſurrectionis exemplum, nefas ducerem eum præterire, quem Tertull. lib. de reſur. carnis cap. 23. ait probationem eſſe, & ſignum reſurrectionis, etiam devoratorum à piſcibus, & belluis: etenim (inquit) triduo coquendæ carni viſcera Ceti ſuffeciſſent. Chriſtus itaque ita loquitur Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quis enim non crediſſet hominem periiſſe devoratum à Ceto, & in ejus ventre tandiu moratum, cum tamen Deus illæſum ſervarit, & vivum reſtituerit? Eodem igitur modo poterit Deus mortuos in terræ profunditate receptos vitæ reſtituere.

VII. Denique magnam probationem facit quod Deus oſtendit Ezechieli cap. 37. de oſſibus ſuſcitatis in medio campo, quæ diutius ſub dio expoſita aruerant. Nota 1. hanc repræſentationem factam Ezechieli ad ſignificationem reſtitutionis populi Iſraëlitici. Nam ſi arida oſſa virtute Dei ad vitam ſunt excitanda, quis dubitet exules, qui nondum ſunt eò redacti non poſſe divinâ eâdem virtute ad priſtinū ſtatū reduci? Nota 2. factam fuiſſe repræſentationem Prophetæ toti uſor-

dinis

dinis Reſurrectionis. Nam 1. oſtenſus eſt ſtatus mortuorum: nempe ſparſa multa oſſa, etiã inſepulta & valde arida, ut quæ eſſent ſoli & cœlo expoſita: *Erant autem multa valde ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer*. 2. Ad vocem & imperium Dei ſe commoverunt, & adjunxerunt ad compoſitionem. *Et acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam*. 3 Inducta caro, nervi & cutis. *Et vidi, & ecce ſuper ea nervi, & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper*. Denique ex inſufflatione ſpiritus anima immiſſa. & univerſi ſteterunt in pedes: *A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos & reviviſcant: Et prophetavit ſicut præceperat mihi, & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt; ſteteruntque ſuper pedes ſuos, exercitus grandis nimis valde*. Nota 3. hanc repræſentationem non fuiſſe factam reipsâ, ſed ſolâ cogitatione, & in viſione, unde dicitur initio capitis, *& duxit me in Spiritu Domini* Nota 4. ex hac repræſentatione etiam factâ per imaginationem probari veritatem reſurrectionis. Vt enim ait Tertull. lib. de Reſurrect. carnis c. 30. Non poſſet de oſſibus figura componi, ſi non id ipſum, & oſſibus eventurum eſſet: Nam etſi figmentum veritatis, in imagine eſt; Imago ipſa in veritate eſt ſui. Neceſſe eſt eſſe prius ſibi, quò alii configuretur: de vacuo ſimilitudo non competit, de nullo parabola non convenit. Hæc ille. Et certè ex re verâ, veritas confirmatur. Sed ex re verâ, & Iudæis certa, alia incerta illis demonſtratur & confirmatur.

Hactenus ex ſanctis Patribus vidiſti præterita. Vide nunc præſentia: & ex utriuſque futura conjice, & reſurrectionem ex tot teſtibus crede.

Igitur attende hominis ordinariam productionem. 1. Quemadmodum materia proxima quæ productioni hominis inſervit, quamvis ſit uniformis ac ejuſdem temperamenti, ſine formâ figurâque; humida & minimè conſiſtens, nihilominus tamen rotundari ſe ſinit, formarique in caput, in brachia, in crura, cæteraſque perfecti corporis partes, alia molleſcit in carnem, denſatur alia in cranium, rareſcit alia, fitque hominis cerebrum, totque in diverſa temperamenta & differentes figuras variatur, quot in animali partes exiſtunt: Ut igitur ſemen informe, ſapientiâ & arte Dei in ſpeciem decoram redigitur, & in corpora grandeſcit. & adoleſcit; Ita fieri poteſt ut materia quæ jacet in ſepulchris, quæ quondam egregiam formam componebat, rurſus in priſtinam redeat figuram, & pulvis homo fiat. Concede Deo, quòd tantum poſſit, quantum figulus; Is rude, atque informe lutum, acceptum ad formam vaſis redigit, idque radiis ſolis expoſitum ſiccat; Et hic figulus, parva Dei potentia eſt, & Deo non creditur, pollicenti ſe mortuos renovaturum.

II. Vide continuam in rebus ex uno ſtatu in alium mutationem; ac primò eam quæ in noſtris ætatibus fit, ſucceſſionem. Puer lacteus exiguo temporis ſpatio, vires ad rependum adipiſcitur; circa annum tertium erectus eſt, & incedit, & balbutit; tum rectè loquitur, & fit puſio: poſt, in ætatem impuberem, creſcit, tum lanugine mentum veſtit, *&c.* ab anno 40. flexus eſt in deterius, *&c.* Hæc mutatio continua, quid aliud oſtendit, niſi animal mortale, etiam ante mortem variè transformari? Quin etiam ſomnus, & vigilia acuto & ſapienti documento eſſe poſſunt. Ille enim mortis imago: hæc reſurrectionis imitatio. Vide etiam mortis ſpeciem in oblivione, in ignoratione, in ſtatu corporis, in ceſſatione actionis, *&c.* Tum expergefactus homo, quaſi vitæ redditus ſurgit, ad ſeſe paulatim rediens, *&c.* Quod ſi tot & tantæ in animali diu, noctuque fiunt mutationes; ſtultum eſt Deo ultimam renovationem promittenti non credere.

Denique tota natura idem pollicetur in ſucceſſione diei & noctis; ut in viciſſitudinibus tempeſtatũ & ut ait Tert. c. 12. totus hic ordo

revolubilis rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. Vnde in univerſum ſic pronuntiat Amb. lib. de Fide Reſur. Reſurrectio omnibus attributa eſt: Prima igitur Reſurrectionis fides, uſus eſt mundi; rerúmque ſtatus omnium; generationum ſeries; ſucceſſionum vires; obitus, ortuſque ſignorum; diei, & noctis occaſus, eorumque quotidie tanquam rediviva ſucceſſio.

III. Aſpice quotidianam mortuorum ex parte reſurrectionem, cum Patrum, & proavorum ſimilitudines in natos tranſeunt. Quomodo enim fit, ut advertit Nyſſenus, ut eorum qui amplius non extant formæ in alios tranſeant, ita ut mortuos quaſi alteros efficiant, per efficaciam formarum. Sæpe autem multorum proprietates in uno corpore cernuntur; patris naſus, avi oculus, patrui inceſſus, matris ſonus vocis, & loquela: atque unus homo ſpectatur, tanquam planta quædam, quæ multarum arborum ſurculis inſititiis in ſe receptis, innumera quoque fructuũ genera decerpentibus præbet. Iam valde abſurdum fuerit, ut qui putrefactorum corporũ inſignia concedat in iis, qui nunc quotidie naſcuntur, excitari, & aliena tranſire in alios; propria autem in iis, qualia ea habuerunt, renovari ac reviteſcere negat. Certè unum ex alio ſaltem colligi poteſt.

IV. Quid de fructibus loquar, inquit Ambroſ. lib. de Fide Reſurrectionis. Nónne tibi videntur occidere cum decidunt; reſurgere cum reviteſcunt: Quod ſatum eſt, reſurgit; quod mortuum eſt, reſurrexit: & in eadem genera, in eaſdem ſpecies reformatur. Hos terra primum reddidit fructus; in his primum natura, noſtræ ſpeciem reſurrectionis imitata eſt. Quid dubitas de corpore corpus reſurgere? pomum decidit, pomum reſurgit, *&c.* in univerſum vide quid ſingulis annis fiat in arboribus, quibus hyems quotannis loco mortis eſt: decidunt enim folia & fructus, arida remanent ligna, omni decore ſpoliata: poſtquam autem tempus veris appetierit, flos tibi gratiſſimus innaſcitur; flores, foliorum integumentum excipit, *&c.* Iam quid de generibus arborum loquar, ait Ambroſ. de Fide Reſurrectionis: quæ poſito ſurgunt de ſemine fructuſque reſolutos, redivivâ fœcunditate reſuſcitant, & formæ veteri, atque imagini ſuæ reddunt: multaſque ætates quædam arborum corpora reparata tranſmittunt, ut ipſa durando vincant ſæcula. Putreſcere videmus acinum, vitem reſurgere: ſurculus inſeritur, arbor renaſcitur: An de reparandis arboribus divinâ eſt providentiâ, de hominibus nulla cura: Et qui ea ad hominum uſus dedit, perire non paſſus eſt: hominem perire patiatur quem ad imaginem ſui fecit, *&c.* Num igitur in hominibus terra degenerat, quæ omnia regenerare conſuevit: Vnde claret non eſſe dubitandum, quod ſecundum naturam magis quàm contra naturam reſurrectio eſt: ex natura enim eſt reſurgere naſcentia omnia; contra naturam, interire.

V. Quid memorem ſerpentem vitam: Illorum enim vivida virtus hyeme extinguitur: ſex menſes immobiles in cavernis deliteſcunt: cum autem veris tempus advenerit, & tonitrua in mundo exaudita: quaſi ſignum acceperint, exeunt, & ad conſueta redeunt. Iam quis dicat tonitru angues excitari, non autem homines, tuba Dei de cœlo reſonante: ſecundum illud, *canet enim tuba, & mortui reſurgent.*

VI. Quid memorem cum Tertulliano c. 13. de Reſurrectione carnis, Phœnicem: illum Orientis alitem peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemetipſum libenter funerans renovat, natali fine decidens, atque ſuccedens: interim phœnix: ubi jam nemo, iterum ipſe: qui non jam, alius idem: Eò pertinet exemplum, ut credas de ignibus quoque, ſubſtantiam corporis exigi poſſe. Talia, ait Tertull. divinarum

rum

Digitized by Google

rum virium lineamenta, non minus parabolis operato Deo, quàm locuto: Modum fusè deſcribit S. Ambroſ. lib. de Fide Reſurrectionis, & tempus ait eſſe 500. annorum: & ſubdit. Illi avi quingenteſimus reſurrectionis annus eſt, nobis milleſimus; illi in hoc ſæculo; nobis in conſummatione mundi; Cum mortua fuerit, reviviſcit: ſolos non credimus homines reſuſcitari.

VII. Vt ait Sanctus Chryſoſtm. ſerm. 35. de diverſis: Te ipſum quoque facit Deus ut eſſes reſurrectionis opifex: Id patet in artibus materiiſque metallorum: rudem enim glebam in qua aurum accipiunt ejus artis gnari, & in conflatorium mittentes faciunt aurum, & ex arena, aliaque materia parvum vitrum efficiunt. Iam ſi tantum poteſt ignis potentia, cur non & Divina? Quid de ſeminibus loquar, quorum exemplum ſumit Apoſtolus, 1. ad Cor. 15. *Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius cæterorum? Deus autem dat illi corpus, ſicut vult: & unicuique ſeminum proprium corpus*: In qua re vides ordinem reſurrectionis: Etenim ſemina, ut ait Chryſoſtom. loc. cit. niſi prius moriantur, & putreſcant, & corrumpantur, non pariunt ariſtam: Sicut igitur cum vides granum corrumpi non dubitas de reſurrectione, ſed certiſſimam demonſtrationem facis: ſic cogita & de corpore tuo, cum vides corruptionem, tunc potiſſimum de reſurrectione philoſophare: Nam mors nihil aliud eſt, quàm plena corruptionis conſumptio: neque enim mors ſimpliciter corpus, ſed corruptionem corporis abſumit. Hunc progreſſum, omnium optimè explicat Nyſſenus orat. 5. in ſanctam reſurrectionem, locum Apoſtoli de grano quod ſeminatur explicans, Diligenter (inquit) attendamus generationi tritici & celeriter reſurrectionis modum diſcemus. Triticum in terram projicitur: computrefactum autem humore, & ut ita dicam, mortuum, deſinit in lacteam quandam naturam, quæ paulatim concreta, atque coalita, quaſi ſtimulus quidam fit albus, & acutus: aucta deinde in eam magnitudinem, ut terra prominere, & extare poſſit, ex albo ſenſim in herbeſcentem viriditatem mutatur: poſteà fit herba, & coma glebarum, quibus infuſa, & leviter ſparſa, compluribus nixam fibris radicem ſubtus alit, futuro ponderi ſuſtentaculum, & adminiculum præparans: Ac quemadmodum navium mali, plurimis undique funibus diſtenduntur, ut firmi, ſtabileſque permaneant, æquilibribus tractibus obnixi: ita funium in modum, ex radice enatæ fibræ, ſuſtentamenta ſpicarum, & retinacula fiunt: Poſtquàm autem in culmum erectum triticũ in altum tendere cœperit: geniculis, & nodis Deus id firmat, veluti domum aliquam juncturis muniens propter eam quæ ſperatur, comæ gravitatem: poſt hæc maturis jam viribus, diductis vaginis, quibus includebatur, producit ſpicam: atque illic rurſus miracula majora: ordine enim porrecto ſtructam undique videre licet ei frugem adnaſcendo, quaſi circumfundi: & ſingula grana, peculiarem, & proprium folliculum, & quaſi cellam habent: poſtremò prætenduntur ariſtæ graciles quædam, & acutæ: arma opinor adverſus aviculas, ſeminibus inſidiari ſolitas, ut dum illarum quaſi ſpiculis pinguntur, frugem capere, atque vaſtare deſinant: Vides quantum unum granum putrefactum, miraculorum effectum in ſe contineat; ac cum ſolum ceciderit, quàm multiplex reſurgat. At homo nihil inſuper recipit amplius, ſed recipit, id quod habeat, ac propterea noſtri renovatio, videtur eſſe facilior, quàm id quod in agricultura accidit frumento.

At (inquies) iſta exempla quæ à nobis propoſita ſunt facilè creduntur, quia ipſis o-

Digitized by Google

culis quotidie videntur: at hominum reſurrectio non videtur, & ideò non creditur. Verum rectè reſpondet Ambroſius lib. de fide Reſurrectionis: Omnia ſuis temporibus videntur: Non enim omne tempus commodum ad reſuſcitanda ſemina: alio triticum ſeminatur, alio naſcitur: vitis inſeritur, alio gemmantia ſarmenta pubeſcunt, luxuriat pampinus, uva formatur: alio plantatur olea, alio, velut alvo gravis, & onuſta prole baccarum, fructus ſui ubertate curveſcit, &c. Nec generationis ætatem habet in poteſtate generandi, ipſa quæ generat, &c. Et aliis quidem fructibus, ut viti, oleæ, pomiſque diverſis, anni ætas extrema habilis maturandis: Nobis quoque mundi conſummatio tamquam extremus anni finis, accommodam reſurgendi præſcribit ætatem, &c. Et rationem igitur reſurrectionis, & tempus tenemus: rationem, quia in omnibus ſibi fœtibus æquè natura reſpondet, nec in ſola hominum ſucceſſione degenerat: tempus quia omnia in anni fine generantur Mundi tempora annus eſt: cauſæ originum, ſemina ſunt, ſemen eſſe, corpus humanum, gentium doctor aſſeruit. Eſt ergo ſubſtantia reſurgendi, quando eſt ſeries ſeminandi: neque enim ſeminatur niſi ad generationem.

Ex his omnibus patet quod dixit Nyſſ. or. 3. de Reſur. eos qui negant, corporum noſtrorum reſurrectionem, non modo impios eſſe, ſed etiam inſanos, qui tot rationibus & probationibus convicti non tamen ſinant ſe vinci. Unde Apoſtolus ſic incredulum reſurrectionis, alloquitur 1. Cor 15. *Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur*; ille enim verè inſipiens eſt, qui quotidiana doctus experientia, non credit quod in exemplis innumeris fieri videt. Præſertim cum plura fiant, uti oſtendimus ex Nyſſeno, in unius ſpicæ generatione, quàm in hominis reſurrectione.

Hinc admirare maximam Dei adverſum genus noſtrum providentiam, ut quia fides reſurrectionis maximè nobis erat neceſſaria, nobis eam facillimam faceret, multis modis animum noſtrum ad eam præparans, & quaſi ſenſibilem reddens, ut omnes homines eſſent inexcuſabiles. Ad hæc quia multa ad ſenſum videbantur obſtare fidei reſurrectionis, proptereà multa ad ſenſum nobis obtulit quæ reſurrectionem perſuaderent: immò quæ fidei reſurrectionis obſtare videbantur, eadem voluit eſſe ſecuritatem reſurrectionis: ipſa enim mors, & corporum corruptio, & reſolutio, quæ videntur omnem ſpem tollere reſurrectionis, ipſa juvant ad ipſius fidem, cum id ita accidere in ſeminibus videamus, quæ non vivificantur, niſi putreſcant; *Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur*. Sed nimirum homines ingenioſi ſunt ut ſeipſos excæcent. Nam ſi quid eos ad infidelitatem inducit, illud undique conquirunt, magni faciunt, extollunt, & omnia fidei adjumenta deſerunt, elevant, negligunt, non attendunt, ſponte miſeri, & infelices, nullo remedio ſanabiles. Hoc nimirum inde accidit, quia minimè Deum attendunt, ſed ejus potentiam ſua potentia, aut ſaltem ſuo ſenſu, & ſua intelligentia metiuntur, quod cum contra fieri oportuiſſet.

Itaque ut cum Ambr. finiam lib. de fide reſurr. Simus Prædicatores Domini, non exiguâ de virtute ejus, & vilia ſentientes, ſed ea quæ poſſunt autem mentis implere, & intimæ conſcientiæ penetrare ſecretum, & ea quæ corpori conveniant, divinitati non putemus aptanda: nec divinæ magnitudinem poteſtatis, humanis viribus metiamur, ut quæramus, quomodò quis reſurgat, aut quali corpore veniat, aut quemadmodũ ſoluta coëant, lapſa reparentur: hæc enim arbitrio Dei, ſimul ut ſtatuuntur, implentur; nec ſenſibilis turbarũ expectatur auditus, ſed inviſibilis potentia magni-

magnificentiæ cœleſtis operatur: Deo enim velle, pro facto eſt, nec reſurrectionis requirēdus niſus, ſed fruct⁹ nobis eſt expectandus, *&c.* Juvat hoc credere, ſperare delectat Certè non credidiſſe pœna eſt: ſperaſſe gratia. Tu certè non credas Impie, quia nihil eſt quod in reſurrectione ſperare debeas; ſed multa ſunt quæ timere debeas. Nam unicuique ſuum corpus redditur: tuum autem ſi crapula debilitatum, ſi libidinibus fractum, ſi cupiditatibus incenſum, ſi paſſionibus afflictum; quale illud ſperare debes? Si membra tua ſervierunt *iniquitati ad iniquitatem*, qualiter tractanda ſunt in alterâ vitâ? Sed ſi meum corpus ſervivit juſtitiæ, quid ſperare non debeo? Nam, ut ait Apoſtolus; *Manifeſtari nos oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum*: Iterum cum Ambroſio: Iuvat hoc credere, ſperare delectat. Certè non credidiſſe, pœna eſt, ſperaſſe gratia. Quòd ſi in hoc erro, libenter erro; neque unquam hac me opinione, dum vivo, fraudari patiar. Quis enim eſt, qui non ſibi debeat illud optare præ cæteris, ut corruptibile hoc induat immortalitatem, ut qui nunc morti, corporis fragilitate ſuccumbimus, ſupra naturam ſiti, mortem jam timere nequeamus? Hæc Ambroſius. Sed nimirum quidam ſunt filii hujus ſæculi; alii vitam futuram inquirunt, & ad aliud ſæculum pertinent. Primi nollent eſſe reſurrectionem. Alii expectant beatam ſpem, & adventum Domini Dei. Primi nihil aliud ſperant; Alii dicunt cum Apoſtolo 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Primi enim hoc contendunt, ut benè ſit illis in tempore; Alii, ut in æternitate. Vnuſquiſque cogitet ad quos pertineat; Ego Electos alloquor, *Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Tria dicit Apoſtolus, 1. ut ſint immobiles in fide reſurrectionis, à qua non ſinant ſe abduci ullorum ſermonibus aut propoſitis difficultatibus. 2. ut moti expectatione reſurrectionis abundent indeſinenter in bonis operibus, non ut illi qui dicebant, *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* 3. ut ſibi hoc perſuadeant ſe non carituros mercede in alterâ vitâ; Nam tempus hujus vitæ eſt tempus agonis & certaminis, tempus alterius vitæ eſt tempus præmii, coronæ, & gloriæ, ad quam nos deducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Amen.

***

FERIA III.

FERIA TERTIA POST PASCHA. CONCIO.

Cur fides de Reſurrectione ſupra alios articulos potiſſimum confirmata.

Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis. Lucæ 24.

TErtia nobis adeſt ſanctæ Reſurrectionis Feſtivitas: Nam ut ait David Pſalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*: Sicut itaque tribus diebus, quibus Chriſtus *fuit in corde terræ* luximus ejus paſſionem; ita tribus diebus feſtivitatem Reſurrectionis ipſius celebramus; & tertiò nobis de Reſurrectione tractandum, Certè non ſatis fuit Chriſto Domino, ſemel & iterum Diſcipulis apparere poſt Reſurrectionem: ſed ſæpius, apparuit, ut hanc eis veritatem melius perſuaderet: Ita non mihi ſufficit ſemel aut iterum vobis de Reſurrectione diſſeruiſſe: ſed ſæpius placet eadem de re vos alloqui, ut hoc myſterium, altius in animis veſtris inſculpam. Sed uti Reſurrectio opus eſt Spiritus Sancti, ſecundum illud *per ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti*, & ad Rom. 8. *Qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis*: ita de Reſurrectione Chriſti dicere uti oportet non poſſumus, niſi per eundem Spiritum: cujus opem imploramus per Virginem. AVE MARIA.

QVam verum ſit quod prioribus diebus à me propoſitum eſt, nempe ex omnibus Fidei noſtræ myſteriis, Reſurrectionem Chriſti eſſe illud unum quod pluribus probationibus confirmatũ ſit, ſatis abundè à nobis duabus Concionibus probatum eſt. Nam 1. omnes de eo dubitandi occaſiones ſublatæ ſunt. 2. Acceſſerunt ad illud probandũ omnis generis teſtimonia, à terra & à cœlo. 3. Quia Deus multiplici ratione nos diſpoſuit ad fidẽ ejuſdem myſterii, & ex præteritis rebus, & ex præſentibus: ut nemo de Chriſti Reſurrectione dubitaret, ex rei ipſius difficultate, aut impoſſibilitate. Supereſt hoc unum quod hodie à me tractandum eſt ſcilicet id non ſine magna Dei providentia factum fuiſſe.

I. Quia

I. Quia cum hic Fidei articulus ſupra cæteros ab innumeris ſit oppugnatus, oportuit nos in ejus fide innumeris modis confirmari. Nam uti notat S. Epiphanius in Anchorato, n.84. Infideles & Gentiles, reſurrectionem funditus negarunt, ut rem incredibilem, & ridiculam: unde cum Paulus Athenis concionaretur Actorum cap. 17. patienter auditus eſt in Areopago, uſque ad caput Reſurrectionis; ſed ubi ad hæc verba ventum eſt; *Fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis*: Statim ut audierunt *reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterùm: Sic Paulus exivit de medio eorum.* Ac licet inter Infideles mentio facta fuerit reſurrectionis nonnullorum, illa tamen narratio, inter fabulas rejecta eſt. Iam innumeri Hæretici Reſurrectionem oppugnarunt: Simon Magus, & Simoniani, Gnoſtici, Millenarii, Sadducæi, Samaritani, Hieracitæ, Multi Monachi in Thebaïde, & in toti Ægypto, Origenes, & Origeniſtæ, Manichæi, & plures alii, & ferè tota Philoſophia quæ negavit à privatione ad habitum dari regreſſum: Immò Prophyrius docuit omne corpus eſſe fugiendum, tanquam vinculum animæ ærumnoſum: Quin etiam ut ait S. Epiphan. lib. 1. adverſus hæreſes, Hæreſi 4. Samaritæ hominis cadaver deteſtabantur, & ſi tetigiſſent lavabant ſe, juxta illud quod præcipitur Levitici 11. *Si quis mortuum, tetigerit, pollutus uſque ad veſperam permanebit, tùm ſe aqua, lavabit, ac repurgabitur.* Iam qui reſurrectionem admiſerunt, alii non corporum, ſed animorum reſurrectionem dixerunt: Alii non ejuſdem corporis reſtitutionem; ſed aliam carnem reddendam non eam quæ mortua fuerit: Alii nō totam ſed partem aliquam: Alii autem plurima figmenta, quibus omnibus veritas Reſurrectionis convellitur: unde neceſſe fuit hanc veritatem contra innumeros errores multis modis ſtabiliri. Hinc factum ut Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam ſeſe palpandum, & tangendum oſtenderit, dicens: *palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet:* ut ſciremus non fuiſſe animæ, ſed corporis ipſius Reſurrectionem. Hinc etiam factum ut ſervarit veſtigia ſuorum vulnerum: ut ſciremus non aliud corpus datum pro priore; ſed idem quod Cruci fuerat affixum, reſurrexiſſe; unde dixit Thomæ; *Infer digitum tuum huc; & mitte manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis*: Et ut ſciremus etiam idem eſſe corpus, quod ſepultum fuerat; unde Angeli: *Quid quæritis viventem inter mortuos?* Item *videte locum in quo poſitus fuerat Dominus*: ut ſciremus quoque idem corpus reſurrexiſſe, nec tantum partem, ſed totum, cujus nulla pars eſſet relicta in monumento: & proptereà nihil videndum reliquit in ſepulchro præter linteamina, & ſudarium ſeparatim poſitum. Nil itaque mirum ſi tot modis ſtabilita eſt fides Reſurrectionis, quæ tam variis modis impugnanda erat, & ab Infidelibus & ab Hæreticis.

Et Ethnicos quidem ut ait S. Epiphan. in Anchorato n. 84. res omnes creatæ, palàm coarguunt: ut quæ quotidie ſpeciem quandam Reſurrectionis oſtendunt. Nam dum dies occidit, mortuorum adumbrat interitum; dum ſoporem hominibus indicit, & dum eadem rurſus exoritur, atque à ſomno nos excitat, Reſurrectionis judiciū demonſtrat. Decerpuntur fructus, & modus præſcribitur noſtri ex vitâ digreſſus. Terra proſeminatur ac pullulat; in hoc Reſurrectio. Quæ exciſa ſunt poſt exciſionem rurſus excitantur: hoc vides in unguibus, in pilis, in arboribus, *&c.* Hæreticos quot Scripturæ convincunt: Sanguis Abel clamat poſt mortem: non igitur periit. Enoch ſublatus mortem aufugit; & docet poſſe hominem non mori. Potuit Sarajam ſenex parere: certè in ſpem futuræ aliquando Reſurrectionis. Moriens Iacob mandavit

Digitized by Google

davit de oſſibus ſuis Non utique (ſubdit idem Pater) de his tanquam de perituris. Quod ipſum Ioſephus poſteà præcipiens, Reſurrectionis ſpeciem adumbravit. Nonne Aaronica virga, licet arida, germinavit, fructuſque protulit; ut emortua hominum corpora ad vitæ ſpem excitanda monſtraret? An non virga Moſis lignea juſſu Dei animata & in anguem converſa, oſtendit qua virtute Reſurrectio fieret: Item ejus dextera primum lepra corrupta, & iterum, ut in ſinum miſſa eſt, ſanata, & vitæ reſtituta: In eundem finem uſurpat Epiphanius lib. 1. adverſus Hæreſes, Hæreſi 4 de Samaritis, Moſis benedictionem datam Rubenitis Deuteron. 33. *Vivat Ruben, & non moriatur*. Iam erat Ruben mortuus, aut ille; ſed aliam vitam poſt obitum oſtendit, & judicium in quo homines ſecunda morte moriuntur, atque ideò duplicem illi benedictionem, impertit: Vivat; pro Reſurrectione: & non moriatur; pro iudicio. Male itaque hominum cadavera, Samaritæ deteſtati ſunt, quaſi immunda; alioqui enim Ioſephi oſſa per an. 40. circumlata in caſtris Hebræorum, licet in loculis poſita, ea coinquinaſſent. Id non cenſuit Ioſephus Patrem ſepeliens, quin immò in eum poſt mortem procumbens exoſculatus eſt: neque tamen ſcriptum eſt, quod ſe abluerit, expiandi cauſa. Quin etiam Angeli Moyſi corpus ſepelierunt, nec inde tamẽ polluti ſunt, & ulla expiatione indiguere. Neque lex aliud docuit in Levitico: ſed, ut ait Epiphan, aliquid aliud figuravit. Nam quando dicitur: *Si quis mortuum tetigerit pollutus uſque ad veſperam permanebit tum ſe aqua lavabit, & repurgabitur* ſignificatur Chriſti mors quippe vocabulo *Mortuum* adiungitur articulus, & propterea certus aliquis deſignatur mortuus: quaſi diceretur, ſi quis hunc mortuum tetigerit, *&c.* nempe Chriſtum. tetigerit autem occidendo: hoc enim lex dicit propter eos qui Chriſtum occiderunt, quibus opus fuit expiatione; donec nona lux, ſcilicet baptiſmi, orietur. Hoc ſignificavit Petrus Iudæis quærentibus, quid faciemus: ſubjiciens illis. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: & remittentur vobis peccata.*

II. Ratio eſt. Quia cum Reſurrectio ſit terminus eorum omnium quæ de Chriſto dicta ſunt; totius vitæ ipſius, ex diverſiſſimis rebus contextæ iudicium fuit, ſecundum illud Eccli. 21. *Et in fine hominis denudatio operum illius.* Vitæ enim ipſius mirabiles mutationes, quæ omnium animos ſuſpenſos tenuerunt, in Reſurrectionem, quaſi in ultimum actum, plenum gloriæ & maieſtatis deſiverunt; unde Reſurrectio finis eſt vitæ Chriſti. In fine autem eſt rerum omnium iudicium: finis enim eſt ultima uniuſcuiuſque rei perfectio: & ex fine hominum iudicatur quales fuerint in vita, ne initiis commoveamur. Ideò Mathathias hæc ad filios ſuos lib. 1. Machab. cap. 2. *Et à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius, ſtercus, & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non invenietur: quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius periit, &c.* Et eos qui malè finierunt Ieremias Thren. 3. vocat *Mortuos ſempiternos*: eorumque ſepulchrum dicitur ab Eccli. 11. *Domus æternitatis.* Ita ergo iudicium vitæ Chriſti, & eorum quæ ad ipſum pertinent, fieri debet ex fine, ſcilicet ex Reſurrectione; unde Chriſtus cum loqueretur de ſua Paſſione Matth. 20. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, &c.* tum ſubjicit: *Et tertia die reſurget*: quaſi dicat ibi finis omnium quæ de me dicentur. Hoc viderat Iudæorum aſtutia, dum à Pilato petierunt ut iuberet, ut cuſtodiretur ſepulchrum uſque in diem tertium: *ne forte veniant Diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, ſurrexit à mortuis, & erit noviſſimus error, pejor priore.* Intellexerunt nimirum, Reſurrectionẽ ſucce-

dentem

Digitized by Google

dentem, priorem mortis ignominiam poſſe eluere, ad Roman, 6. *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo* Hinc patet nõ ſine magna Dei Providentia factum fuiſſe, ut Chriſti Reſurrectio tot modis confirmaretur, uti oſtendimus.

III. Ratio eſt, Quia cum in noſtra fide id maximè quæratur, ut credatur Chriſt: Dominum quem ipſi oculi ſatis oſtendebant eſſe hominem, eundem eſſe Deum: nulla aliâ ratione melius id probatum eſt, quàm ejus Reſurrectione. Nam cum multa ſint in Chriſto argumenta humilitatis, illa perſuadent hominem eſſe; Reſurrectio verò probat eſſe Deum; Reſurrectio, inquam, propria virtute: ſecundum illud Ioan 5. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo:* Nemo enim unquam à morte ſeipſum excitavit, licet ab alio multi ſint ad vitam revocati. Certè cum præcipua probatio divinitatis Chriſti, fuerint miracula ejus; & omnium maximum quæ fecit in vita mortali fuerit ſuſcitatio Lazari jam fœtentis in ſepulchro; majus tamen fuit ſui ipſius ſuſcitatio, quæ non niſi ab habente vitam in ſemetipſo fieri potuit: quod tantum Deo convenit, cũ cætera non à ſeipſo vitam accipiant, ſed ab alio. Quare Chriſti Reſurrectionem credere, eſt confiteri ipſum eſſe Deum. Vnde S. Auguſtinus ſerm. 86. de Diverſis. Paſſionem Chriſti & Pagani, & Impii, & Iudæi crediderunt: Reſurrectionem, non niſi Chriſtiani. Et ſermone ſequenti. Ipſa eſt fides, quæ nos diſtinguit à Iudæis, fides quâ credimus Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis: Quære à Pagano utrũ crucifixus fuerit Chriſtus, clamat, valde: utrũ reſurrexerit, negat: Quære à Iudæo, utrum crucifixus ſit Chriſtus, confitetur crimen parentum ſuorum, confitetur crimen, uti habet & patrem; bibit enim quod ei parentes ſui propinarunt; *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*: ſed quære ab illo, utrum reſurrexerit à mortuis; negabit, irridebit, accuſabit Diſtincti ſumus: credimus enim nos Chriſtum ex ſemine David ſecundum carnem reſurrexiſſe à mortuis. Vnde Chriſtus ut ſuam probaret divinitatem, ajebat, *ſolvite Templum hoc, & in triduo readificabo illud*: Et petentibus Iudæis ſignum & argumentum divinitatis nõ aliud dare voluit niſi ſignum Ionæ Prophetæ: *Sicut enim Ionas, &* unde Anaſtaſius Sinaïta lib. 5. Hexam. Prima Reſurrectio ex aquis, facta eſt per Ionam. Itaque S. Paulus ad Rom. c. 1 oſtendit Chriſtum fuiſſe Deũ, ex Reſurrectione: *Qui prædeſtinatus eſt Filius ei*, id eſt præmonſtratus figuris, & prophetiis: & hæc eſt prima probatio Divinitatis. *In Virtute*, id eſt Miraculis; vel potentia peculiari: & hæc eſt ſecunda probatio. *Secundùm ſpiritum ſanctificationis*, nimirum ex Miſſione Sancti Spiritus, & gratiis manifeſtis, qualia ſunt donum linguarum, Prophetia, ſanitates, & ſimilia: & hæc eſt tertia probatio, ſecundum illud, *Ille teſtimonium perhibebit de me.* Denique, *ex Reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri*; Id eſt ſuâ: ex phraſi enim Hebræa. ponitur perſona loco pronominis: & hæc eſt quarta Divinitatis probatio, Chriſti reſurrectio. Et ita in Reſurrectione dictum fuit Chriſto à Patre æterno, uti monet Apoſtolus Actor. 13. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; Vnde & ipſi exhibita adoratio Angelorum: ad Hebr. 1. *Et cùm iterùm introducit primogenitum, in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.*

Harum omnium probationum, & rationũ fundamentum ſic explicatur à Sancto Chryſoſtomo, & aliis Sanctis Patribus.

1. Quia ſi mors tenuiſſet Chriſtum Dominum, nihil à cæteris hominibus differre viſus eſſet: de quo tamen dictum eſt, Pſal. 87 *Inter mortuos liber*: cum de aliis dictum ſit apud Iobum. *Et calcet ſuper eum, quaſi rex interitus.*

Digitized by Google

2. Quia ſi fuiſſet à morte detentus, viſus fuiſſet peccatum ſuperare non potuiſſe: Nam ſi mortem non valuiſſet ſuperare, quæ eſt proprius peccati effectus; *ſtimulus enim mortis, peccatum* (hoc eſt ex Auguſtino, ex peccati punctu, mortuus eſt homo) profectò neque peccatum quod difficilius expugnatur, ſuperare potuiſſe. Quod ſi peccatum abolevit, certè & mortem: eſt enim ipſa peccati effectus Non igitur mors immortalis: ſed quæ alios omnes perimit, ipſa etiam ab eo occiſa. Et quidem ut cum ſeipſum à morte exolviſſet, cæteros deinde liberaret: quod enim incepit in ſeipſo, in aliis perficiet, ſecundum illud 1. ad Cor. 15. *Noviſſima autem inimica deſtruetur mors.* Quid verò prius? *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*: Nemo eſt qui non intelligat illis verbis ſignificari, peccata, & peccatorum authores, quibus profligatis, & in poteſtatem redactis, noviſſima mors deſtruitur. Vnde iſta ſunt inter ſe connexa, peccatorum deſtructio, & mortis abolitio; quæ alio modo fieri nō poteſt quam per reſurrectionem: & ideò poſt Chriſti mortem eius reſurrectio. Et ipſius Chriſti reſurgentis & triumphantis hæc vox. 1. Cor. 15. *Abſorpta eſt mors in victoria*, id eſt, in debellatione & profligatione peccati, ipſa mors comprehenſa eſt: & pergit inſultans: *Vbi eſt mors victoria tua: ubi eſt mors ſtimulus tuus*: de quo ſtimulo loquitur: Nunquid de eo de quo dictum: *ſtimulus autem mortis, peccatum eſt.*

IV. Ratio eſt; Quia Chriſti Reſurrectioni omnis fides Chriſtiana innititur, ſecundū illud Apoſtoli 1. ad Cor. 15. *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*: Hæc enim fuit ſumma prædicationis Evangelicæ, & ſumma eorum, quæ de Chriſto credenda proponebantur, Sicut itaque fundamentum debet eſſe firmiſſimum, ita & hæc fides debuit eſſe teſtatiſſima. Et certè hoc poſito cætera facile creduntur; hôc revulsô cætera deſtruuntur. Propterea Iudæi ut hanc perſuaſionem impedirent, omnia conati ſunt: ne ſcilicet, ut aiebant, noviſſimus error eſſet peior priore. Hinc cuſtodes adhibuerunt: hinc ſigillo munierunt ſepulchrum; pari conſilio, & ſenſu, quo ille atheus Sapientiæ 5. ex ſepulchrorum ſigillis, ſpem reſurrectionis inanem credebat: *Non eſt* (inquit) *reverſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt*: Sic quippe Iudæi ut Divinæ reſurrectioni obſtruerent aditum, ſignarunt lapidem cum cuſtodibus. Pergit Apoſtolus. *Quod ſi Chriſtus non Reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*: Certè non tantum falſa erit fides de reſurrectione, ſed etiam de reliquis rebus, quæ credendæ proponuntur. Nā cum hoc nobis fide credendum proponatur, Chriſtum reſurrexiſſe; ſi hoc falſum ſit, ita etiam cætera falſa eſſe poſſunt: immò cum cætera ſic proponantur ut innitantur huic fidei articulo; ſi ille corruerit, cætera eodem modo corruent: & vos qui in illa fide eſtis baptizati, decepti eſtis. Siquidem ut ait S. Chryſoſt. Chriſtiani olim ſtatim à profeſſione reſurrectionis baptizabantur: hic enim eſt finis ſymboli, reſurrectio; & qualitas redemptionis, vita æterna, ſeu gloria. Itaque rectè ſubiicit Paulus: *Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*, quoniam baptizati eſtis in illius nomine, quaſi qui à mortuis reſurrexit; cum tamen fabula ſit eum reſurrexiſſe, ſi nulla omnino poſſibilis eſt reſurrectio.

Quid dicam quòd in Chriſti Reſurrectione inſtaurata ſunt, atque oſtenſa omnia fidei noſtræ myſteria, Trinitas, Incarnatio, Chriſti nativitas, Euchariſtiæ Sacramentum: Iuſtificatio, & Prædeſtinatio

Trinitas quidem, quia Pater ſuſcitat Filium: Filius per novam generationem ſuſcitatur à Patre, ut cui hodie dicitur ex Apoſtoli doctrinâ, *Filius meus es tu. ego hodie genui te*; Spiritus autem ſanctus perficit reſurrectionem

nem ſecundum illud Apoſtoli, *per ſpiritum ſanctificationis*; & in viſione Ezechielis perfecta eſt reſurrectio per ſpiritum, cap. 37. *A quatuor ventis veni Spiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant*, &c. *Et ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt.*

Incarnatio quoque iterata eſt, & iterum factus eſt homo Deus per unionem animæ & corporis Chriſti, quæ facta eſt per reſurrectionem. Item Nativitas Chriſti facta eſt in ſepulchro, uti in utero virginis: utrobique nulla clauſtri violatio, & cuſtodita integritas, & utrobique Angeli.

Ita etiam Chriſti corpus in reſurrectione eaſdem qualitates accepit quas habet in Euchariſtiæ Sacramento: nam ſecundum ſubſtantiam verum corpus eſt; & qualitates habet ſpiritales.

Iuſtificatio autem noſtra, exemplar ſuum habet, in novâ Chriſti vitâ quam accepit in reſurrectione: unde Apoſtolus, *in novitate vitæ ambulemus*: & alibi. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo: Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro*: Immò Iuſtificationem noſtram attribuit Reſurrectioni Chriſti ad Roman. 4. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*: Nam licet omnia nobis meritus ſit, per mortem ſuam, tamen per ſuam reſurrectionem factus præſens Patri, magnam nobis fiduciā attulit conſervandæ illius juſtitiæ, quam nobis meritus eſt: ſiquidem ut ait idem Apoſt. cap. 5. *Si cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem, Filii ejus: multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* Certè Chriſtus Dominus & noſtri cauſa mortuus eſt, & noſtri causâ reſurrexit.

Relinquitur prædeſtinatio cujus finis eſt glorificatio, glorificationis autem, conſummatio, eſt corporum reſurrectio: Vnde Apoſtolus, *quos prædeſtinavit hos & vocavit: quos autem vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit, conformes fieri imagini filii ſui.*.

Ex his itaque omnibus conſtat quod dixi, divinæ providentiæ opus fuiſſe, quod Chriſti reſurrectio jam multis probationibus confirmata ſit, cùm ex illa confirmatione tam neceſſaria, & inſignia bona conſecuta ſint.

Hinc factum 1. ut Apoſtoli hanc fidem teſtatiſſimam eſſe voluerint. Hoc videre eſt in omnibus prædicationibus S. Petri, quæ referuntur in Actis Apoſtolorum, cap. 2. *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo*: Quod probat ex variis locis Scripturæ, & ſubdit: *Hunc Ieſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus*: & cap. 3. *Authorem vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus*: Et cap. 4. *Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis, ſanus*: & Infrà. *Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti, Domini noſtri*: Et cap. 5. *Deus patrum noſtrorum ſuſcitavit Ieſum quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno.* Idem præſtitit Paulus in ſuis concionibus eo uſque ut fidem Reſurrectionis Chriſti, vocet Evangelium ſuum. 1. ad Cor. 15. *Notum facio vobis fratres Evangelium meum*, ac ſubdit. *Quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas & quod reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas*: Scripturas effert in teſtimonium, ut Oſee 6. *Vivificabit nos, poſt duos dies, & in die tertia ſuſcitabit nos*: & 2. ad Timoth. 2. *Memor eſto Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe ex mortuis, ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum, in quo laboro, uſque ad vincula, quaſi male operans.*

Ratio fuit. Quia id potiſſimum curæ fuit Apoſtolis, ut Chriſti divinitatem aſſererent,

Digitized by Google

quæ ſingulariter apparuit in peccati abolitione, & conſequenter in deſtructione effectus peccati, qui eſt mors, ejuſque victoria.

II. Factum ut Deus, cùm in omnibus juſtis fidem eſſe voluerit, quia ut ait Apoſtolus, *Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo*; præcipuè voluerit eſſe fidem reſurrectionis: uti patet in admirabili illâ Iuſtorum enumeratione quæ continetur in cap. 11. Epiſtolæ ad Hebræos. 1. Omnium nominatur Abel. *Fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain obtulit*, quia certè aliquid melius expectabat, nempe in altera vita: *Per illam defunctus adhuc loquitur*, ut ſcias reſurrectionem: pergit Apoſtolus. *Fide Henoch translatus eſt ne videret mortem*, Verum reſurrectionis exemplum: Tertio loco ponitur Noë, qui per mundi reparationem figuravit reſurrectionem, unde ait eum per fidem factum fuiſſe hæredem; hæreditas autem poſt mortem occupatur. Quarto loco ponuntur Patriarchæ Abraham, Iſaac & Iacob, quos ait habitaſſe in caſulis: Rationem ſubdit, *expectabant enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus*: Inter illos locum habet Sara, quæ ſterilis, *Virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis*, in quâ etiam vivente facta eſt reſurrectio ejus quod in eâ mortuum erat. Addit Apoſtolus omnes in illâ fide defunctos fuiſſe: Id probat quia *defuncti ſunt non acceptis repromiſſionibus, ſed longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram*: qui enim hæc dicebant ſe patriam inquirere oſtendebant, non eam certè de quâ exierant; habuerant enim tempus revertendi; ſed *meliorem, id eſt cæleſtem*. Addit conſequenter novum Reſurrectionis futuræ teſtimonium, quô & ipſe Chriſtus uſus eſt contra Sadducæos: *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem*: ſe quippe vocat Deũ Abraham, Iſaac, & Iacob. *Non eſt autem Deus mortuorum, ſed vivorum*, quia ut ait Lucas, *omnes illi vivunt*. Niſi enim reſurrecturi eſſent illi Patriarchæ, nihil erat quod ſe Deum illorum, Deus diceret. Nam non enti, nihil eſt Deus. Eſt verò Deus vivorum; quales cenſentur qui dormiunt: tales autem ſunt qui in Domino moriuntur: quô modo filia Archiſynagogi Chriſti dormiebat, nec erat mortua. Sed quia maximè fides Abrahæ eluxit, in offerendo filio, illam omnem retulit ad fidem reſurrectionis: nam rationem afferens Apoſtolus hujus oblationis, ſubdit: *Arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus: unde & eum in parabolam accepit*. Eodem refert benedictiones Iſaac, & Iacob, addens benedictionem fuiſſe de futuris. De Ioſeph dicit, quod moriens, *de oſſibus ſuis mandavit*, quæ non curaſſet, niſi ſperaſſet reſurrectionem. Illuſtre eſt exemplum Moſis, de quo alias: ſed ejus fidei objectum fuit reſurrectio: unde ſubdit Paulus: *Aſpiciebat enim in remunerationem*. Et poſt longam Sanctorum aliorum enumerationẽ, de nonnullis ſubjicit qui varia paſſi ſunt. *Alii autem diſtenti ſunt*, &c. *non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem*.

Sed neſcio an ullum ſit expreſſius teſtimonium, & exemplum quam Iobi, cui cum facta eſſet revelatio reſurrectionis & Chriſti, & ſuæ: ſic loquitur c. 19 *Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei?* Magnum aliquid eſſe oportet, quod ſcribi vult ne veniat in oblivionem: *Quis mihi det ut exarentur in libro, ſtylo ferreo, & plumbi lamina: vel celte ſculpantur in ſilice*; immò vult illud in poſteritatem tranſmitti: *Scio quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die, de terra ſurrecturus ſum*: hoc eſt quod Iobus æternis monumentis conſignari optabat quod ipſi ad ſolatium revelatum fuit, nempe Chriſti, & ſua reſurrectio: vidit enim in ſpiritu ſuum Redemptorem vivere, id eſt per reſurrectionem: fuit quippe Redemptor per mortem; ſi igitur deinde vivere viſus ſit, oportuit reſur-

Digitized by Google

reſurrexiſſe: idem ſperat ſibi in noviſſimo die. Vt autem ſcias qualitatem reſurrectionis: *Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea, videbo Deum meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*; Scilicet ut ſcias non futuram reſurrectionem animorũ, ſed carnis: ad hæc non aliam carnem dandam pro noſtrâ, & eundem futurum qui fuerat prius: *repoſita eſt hac ſpes mea in ſinu meo*: præcordiorum noſtrorum quibus vivimus locus eſt ſinus; ita, ut ſe hac ſpe vivere ac ſuſtentare indicaret, dicit eam ſe habere repoſitam in ſinu; prætereà ſibi eſſe intimam, & chariſſimam, quamque non magis ſibi eripi permitteret, quàm quæ in ſinu tueretur. Et ex hac cognitione adeò mutatus eſt, ut cum antea non niſi querelas jactaret, & lamentationes, jam novum dicendi genus inſtitueret. Neque enim deinceps luget aut queritur, quaſi ægrè ferret ſe gravius torqueri, cùm tamen extrema vexatio non eſſet levior, aut tolerabilior: ſed tantum enumerat mala quæ pertulerat: ita tamen, ut pinguli generoſo nullius appareat languor, nulla deſperatio, aut mortis deſiderium: confortavit enim, & exhilaravit patientis animum ſpes certa reſurrectionis quam ex novâ revelatione concepit.

III. Factum eſt ut in id potiſſimum incubuerit Dæmon, ut fidem reſurrectionis aboleret: hâc enim ſemel rejectâ, nulla fidei noſtræ myſteria ſtabunt. Hinc hæretici ferè omnes, eam ab initio impugnarunt: teſtatur enim S. Auguſtinus, Simonem Magum, Baſilidem, Gnoſticos, Severianos, Carpocratitas, Valentinianos, Marcionitas reſurrectionem negaſſe, quos refutant Irenæus, & Tertullianus. Eadem fuit ſententia Hymenæi, & Phileti, quos Paulus, ait excidiſſe à fide, quod dicerent reſurrectionem iam eſſe factam: Quin & aliorum ſine numero, nec hæreticorum ſolum, ſed & omnium impiorum ea fuit hæreſis, quod modò non vacat oſtendere. Sed ut ait Epiphan. in Anchorato n. 84. illi omnes vel inviti, neceſſariò reſurgent.

Neceſſitatem dixit Reſurrectionis, 1. quidem ob cauſam neceſſariam, quia reſurrectio fiet ab alio, & à ſupremâ poteſtate: itaque uti nemo potuit impedire ne creatur, & eſſe primò acciperet, ita nemo impedire poteſt quin reſurgat, cũ id ſit ſũmæ potẽtiæ ut dico opus.

II. Quia uti nullus impedire poteſt, ne alius ſibi loquatur, ita nemo impedire poteſt ſuam reſurrectionem: Inſtrumentum enim reſurrectionis erit vox illa de quâ Apoſtolus 1. ad Theſſ. 4. *Ipſe Dominus, in juſſu, & in voce Archangeli, & in tubo Dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*: & proptereà de reſurrectione ita loquitur Chriſtus Ioan. 5. *Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei*: Item: *Mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.*

III. Quia cum ex ratione Divinæ providentiæ neceſſarium ſit, iudicium extremum, neceſſarium quoque eſt omnes homines ſiſti ad iudicium: ſiſti autem ſenſibiliter non poſſunt, niſi per reſurrectionem, ſecundum illud Matth. 25. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Ideò Chriſtus hanc duplicem poteſtatem connectit Ioan. 5. & iudicandi, & mortuos ſuſcitandi: nam qui poteſt iudicare aliquem, debet poſſe reum ſibi ſiſtere: *Et poteſtatem dedit ei judicium facere quia filius hominis eſt: Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerant, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicii*: Illud igitur verum quod dixit Epiphanius quod neceſſario reſurgent.

II. Sed cur dixit, quod inviti neceſſario reſurgent?

An 1. quia iudicandi ſuſcitabuntur, & puniendi? iuxta illud: *Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicii*; Cogita reum trahi

in

in judicium: quid non faceret, aut conaretur ne ſiſteretur judici?

An 2. Quia mallent non eſſe, quam ſemper eſſe miſeri? juxta illud Matth. 26. *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*: unde malorum votum Lucæ 23. *Tunc incipient dicere montibus cadite ſuper nos, & collibus operite nos*

An 3. Ex reatu conſcientiæ, ex præteritorum odio, & timore futurorum?

An 4 Ex ſuorum corporum odio? cum ſciant ea fuiſſe ſibi illecebras peccatorum, & ſuæ damnationis occaſionem.

An 5. Quia ſubeunda illis infamia? cum patebunt omnium oculis, ſuaque peccata tam turpia detegi ſentient; immò ipſâ experientia diſcent, ſuarum pœnarum magnitudinem, & iiſdem rebus punientur quibus peccarunt: duplicique pœna, interna ſcilicet & externa; addo, & pœna alterius.

An 6. Et denique, quia conſummationem ſuæ damnationis timent: Nam ſicut reſpectu Beatorum, conſummatio beatitudinis eſt mortuorum reſurrectio, ſecundum illud ad Hebr. cap. 11. *Deo pro nobis, melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*: Ita reſpectu damnatorum conſummatio damnationis pendet à corporũ reſurrectione, ut homo totus torqueatur, & bis anima patiatur, & ratione ſui, & ratione corporis. Præſertim cum judicium eo pertineat, ut, quemadmodum ſcripſit Paulus 2. ad Cor. 5. *referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum ſive malum*. Sed ut ait Epiphanius; Vel inviti neceſſariò reſurgent.

Huc aures, & mentem, mi Auditor, paucis te poſtulo: Quis tandem tuus eſt de futurâ Reſurrectione ſenſus?

Et 1. Quidem an credis? an dubitas?

Si credis, cur tu adeò rebus præſentibus es affixus, quas tàm brevi relicturus es? Quid adeò negligis futura, quæ certò ſcis eventura, & futura immortalia: Quid ſpes omnes tuas hac vita concludis: An neſcis te plus attinere ad venturum ſæculum, quam ad præſens: Neſcis quoſdam eſſe filios hujus ſæculi, quoſdam ſæculi venturi, quos Chriſtus appellat filios lucis, ſeu illuminatos, quòd longius videant, & ſuos oculos extendant ad æternitatem: Neſcis Chriſtum vocari Patrem futuri ſæculi, & ejus filios eſſe filios futuri ſæculi:

Iterum ſi credis cur vitam non inſtituis huic fidei conformem: de qua Apoſtolus in Epiſt. ad Titum cap. 2. *Vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti*. Et ad Rom. 8. *Ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri*. Memento quis ſit futurus ſtatus reſurrectionis, ut te paulatim huic conformes: Matth. 22. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.*

Quod ſi dubitas, cur credis cætera: Nam ut ait Apoſtolus 1. Cor. 15. *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, inanis eſt prædicatio noſtra*: Itaque ſi fundamentum corruit, cætera omnia ruant, neceſſe eſt. Immò nec Deum credis, nec providentiam; nam ſi hæc crederes, reſurrectionem crederes. Tu terrena tantum ſapis, & præſentia; quanquam ſi hæc etiam intelligeres, in iis omnibus veſtigia reſurrectionis agnoſceres. Sed nimirum tua fidelitas originem habet à moribus; & ideo reſurrectionem non credis quia velles nullam eſſe reſurrectionem. Verum quia fideles alloquor; ideo.

II. Id te interrogo: An ſperas reſurrectionem, an metuis?

Scito enim duplicem eſſe reſurrectionem: unam quam Chriſtus vocat reſurrectionem vitæ, alteram reſurrectionem Iudicii: Vide quam ſperes, vide quam metuere debeas?

Digitized by Google

debeas? *Certe, quæ ſeminaverit homo hæc & metet nam qui ſeminaverit in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: Attende. *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Porro reſurrectionis ſemen eſt corpus noſtrum: Vide quale ſeminas. Nam ſi deliciis & voluptatibus fractum ſemines, non metes niſi corruptionem: Si autem mortificatum; referes glorioſum, & ad delicias vitæ æternæ comparatum. *Quantum enim in deliciis fuit, tantum date ei tormentum.* Num te pudet, ut quod Deus inſtituerat ad tuã mercedem, id jam tranſeat ad pœnam; & quod debuerat eſſe obiectum tuæ ſpei factum ſit objectum, & materia tui timoris? Nam ex tali vita, quid non eſt quod in reſurrectione timere non debeas?

III. Et denique, hoc ſaltem mihi reſpondeas, velim; an invitus, an volens reſurges? Et enim neceſſario reſurgens. Quàm vereor ne invitus: Qui ſcias futurum ſtatum corporis, non deinceps futurum ad delicias ac voluptates; ſed tantum vel ad præmium, vel ad pœnam: Qui ſcias futurum ſtatum corporis fore immortalem, itaque non ſubjectum corruptioni. Qui ſcias te dum vivis malè uti corpore: Qui grande dedecus expectes, & ignominiam, cum tibi comparendum erit coram omnium oculis tuaque omnia denudabuntur: Nahum 3. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam: & projiciam ſuper te abominationem, & contumeliis te afficiam & ponam te in exemplum*: Qui ſcias te ingentia manere ſupplicia, & corporis reſurrectionem futuram tuæ damnationis conſummationem. Sed vel invitus neceſſariò reſurges. Vt itaque volens reſurgas, ſic vive, ſic corpus tracta, ut tui deinceps non te pudeat, & poſſis ſecurus ſtare ante tribunal Chriſti. *Hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo*: in hac ſpe vivam; in hac ſpe moriar; in hac reſurgam; ut frui poſſim Domino meo Ieſu in gloria.

Amen.

* * *

Digitized by Google

ITERVM FERIA SECVNDA.
POST PASCHA
DE DVOBVS DISCIPVLIS euntibus in Emmaüs.
CONCIO PRIMA.
Ovium diſceſſus & aberratio à Paſtore.

Ecce duo ex illis ibant ipsâ die in Caſtellum nomine Emmaus. Lucæ 24.

CVm omnes iſti dies, ut diximus ſint una tantum ſolemnitas, non mirum ſi de una re tantũ agatur, hoc eſt, vel de Reſurrectionis probationibus. Et quia inter illas non eſt ea poſtrema quæ duorum Diſcipulorum teſtimonium habet eandẽ omittere nefas eſſet, præſertim cum in illis Diſcipulis ſit admirabile quod Chriſtus perfecit, Sed ut de tanta gratia, prout par eſt dicere valeamus, ab ea quæ gratia plena eſt opem flagitemus. AVE MARIA.

INTER cætera nomina & officia quæ Redemptor noſter habuit, inſigne fuit nomẽ Paſtoris, quod ſic amavit, ut teſte Tertulliano, ſæpe pingeretur antiquitus, temporibus Eccleſiæ naſcentis, quaſi humeris ovem referens: Vti enim ovium nomine Electos ſuos intellexit, ita ſuum regimen, & ſuam curã nomine Paſtoris intelligendam nobis dedit. Ideo de ſe ita loquitur, Ioan. 10. *Ego ſum Paſtor bonus*; quæ vox in Græco, cũ articlis ponitur, ὁ ποιμὴν ὁ καλός: Ego ſum ille Paſtor, ille bonus; & propterea ſignificat eũ excellenti quadam ratione eſſe Paſtorem, 1. Quia ita ipſe eſt Paſtor, ut majorem ſupra ſe non habeat; alii verò Paſtores ſimul etiam oves ſunt, quia ſub alio paſtore ſunt: Vnde Auguſtinus tract. 123. in Ioan. Sub quo paſtore uno, in grege uno, & paſtores ipſi ſunt oves: omnes quippe fecit ſuas oves, pro quibus eſt omnibus paſſus; quia & ipſe, ut pro omnibus pateretur, ovis eſt factus. Vnde meminerint ſe ita alios tractare debere, uti tractantur ab illo uno Paſtore: & contra intelligant ſe ita tractandos, ut alios tractant. 2. Quia ille unicus eſt Paſtor per Prophetas deſignatus, maximè apud. Ezechiel. 34. *Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem unum, qui paſcet eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtorem*; de Chriſto intelligit filio David,

vid, tunc enim David ipſe obierat. 3. Quia ipſe proponitur in exemplum aliis paſtoribus: Ita Pſalm. 2. poſtquàm dixit ſe eſſe conſtitutum Regem à Patre, ita reliquos Reges affatur; *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, apprehendite diſciplinam*; vel ut habet textus Hebraïcus, *Oſculamini Filium ne pereatis de via juſta*, id eſt, ne veſtra imperandi ratio exorbitet. 4. Quia alii paſtores non tam ſunt paſtores, quàm vicarii ſummi omnium Paſtoris; quâ ratione nec ſunt veri Domini: Ita Reges dicuntur ſedere in throno, non tam ſuô, quam ipſius Dei: 1. Paralip. cap. 24. *Sedit Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro David Patre ſuo*: Ita dicitur Iudicibus 2. Paralip. cap. 29. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini.* Itaque quandiu vixit, boni Paſtoris officium erga ſuos exercuit, vocando, docendo, monendo, paſcendo, defendendo, eò uſque ut curam ſuam jam diſceſſurus probans Patri dicat Ioan. 18. *Quos dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex iis periit niſi filius perditionis, ut Scriptura impleatur*: ut oſtendat etiam in illius perditione ſe habuiſſe rationem voluntatis Patris qui eum perire, ſinere volebat; quoniam ipſe volebat perire: quanquam quid non egit Dominus ut eum ſervaret.

Sed quoniam Patris voluntas fuit, ut paſtor etiam percuteretur, atque ipſe grex diſpergeretur, voluit etiam de eâ re gregem ſuū monere. Ita paulò ante paſſionem ſic ſuos admonuit, Matth. 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me*, id eſt, pro me, *in iſta nocte. Scriptum eſt enim*, nempe Zachar. 13. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis: Poſtquàm autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*. Hoc enim perpetuò obſervavit, ut de periculis moneret. Ita ſuos monuit de obſidione Hieroſolymitana; monuit de perſecutionibus, *trademini autem à parentibus, &c.* monuit de hominum perfidia, *Cavete ab hominibus*: monuit de tentationibus, *Satanas expetivit vos ut cribaret ſicut triticum*: monuit de fictozelo, *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*: monuit Petrum de lapſu: monuit de fuga diſcipulos, *& diſpergentur oves gregis*: monuit de falſis Prophetis, *ſurgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ*. monuit de adventu Antichriſti, & extrema mundi calamitate, de bellis, de terræ motibus, de ſignis præcedentibus judicium: ut impleret quod de ſeipſo ſub perſona Paſtoris dixit Iſaïæ cap. 21. ex interpretatione Sancti Hieronymi, *Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? Dixit cuſtos, venit mane, & nox; ſi quæritis, quærite: convertimini, & venite.* Vbi eleganter Iſaias cuſtodiam boni paſtoris deſcribit, cujus præcipuus finis eſt, ut nihil adverſi gregi contingat: unde fingit gregem, cuſtodem interrogare de periculis, & adverſis, quæ per noctem extimuntur: cuſtodem verò, nunc ſecuritatem, nunc timorem incutere, prout varia proſpicit: In ſecuritate, iubere ut ſemper procedant ad paſcua: *ſi quæritis, quærite*: In timore verò ut ſimul iungantur, & convertantur, atque ad ipſum redeant: quod ipſe mirabiliter præſtitit, ut conſtat ex dictis. Vt autem videas charitatem Paſtoris, cum percuſſus eſt, pro ovibus percuſſus eſt, ac mortuus pro illis, ſecundum illud: *bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Quia tamen ex Paſtoris percuſſione, oves erant diſperſæ, ſecundùm illud: *percute Paſtorem, & diſpergentur oves gregis*: propterea ſtatim ubi vulneribus curatus eſt, & Pater dum percutere deſiit, ovium curam reſumpſit, & eas undique requiſivit, iuxta illud quod promiſerat: *poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*: Quia verò non eodem modo oves erant diſperſæ, ſed aliæ magis ac longius, aliæ minus, ac propius, ideo diverſis modis eas collegit: Hoc enim ad officium Paſtoris pertinet,

tinet, diſperſas cogere; unde Paſtor Evangelicus 99 oves relinquit indeſerto, ut unam requirat, quæ perierat, atque in humeros ſublatam reducat ad gregem. Et ipſe Deus conqueritur apud Ezech cap. 34. quod nemo diſperſum gregem colligeret: *Erraverunt reges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret*. Sed quod hodie nobis exemplum proponitur earum eſt ovium quæ longiſſimè diſceſſerant, nimirum uſque ad infidelitatem; unde non mirum ſi eas longius etiam & maiori labore requirat; immo & ſub habitu peregrini, ut eas longe à cœtu, & grege diſceſſiſſe ſignificaret. De quibus duo vobis oſtendo: 1. magnitudinem talis diſceſſus qui fuit uſque ad infidelitatem: 2, Reductionem amabilem earum ovium à bono Paſtore: ut in eo quaſi exemplo diſcamus, quid nobis ex parte contingat.

Id unum hodie tractabimus; qua ratione aberrarint: Ac vide 1. quibus gradibus ad infidelitatem uſque devenerint. 2. quibus modis in ea permanſerint, ſeq; in ea obfirmarint.

I. itaque ad infidelitatem greſſus eſt ſingularitas, amor judicii proprii, atq; diſceſſio ab aliorum cœtu: Id ſignificatum in iſtis duobus Diſcipulis, de quibus ſic dicitur: *Et ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum quod erat, &c. nomine Emmaus* (quod eſt conſilium timens). Qui enim Ieroſolymis remanſerant, ſimul erant congregati: unde dicitur *invenerunt congregatos undecim, & eos qui cũ illis erant*, id eſt qui ut Diſcipuli remãſerant. Et ideo antiqui Patres ſignum dederunt infidelitatis, diſceſſionem à cõmuni, & ab Eccleſia Ita Tertull. lib. de Præſcript. Et S. Auguſtinus multis locis Donatiſtas condemnant, quod diſceſſiſſent: Sicut in Eccleſia ſingulares opiniones ſemper ſuſpectæ: fuitque fidelium cura, ut ſe ſemper aliiſ adjungerent. Vide eximium exemplum in Apoſtolo Paulo. Is enim licet ab homine non accepiſſet Evangelium ſuum, ſed ut ait, ex revelatione Ieſu Chriſti; tamen, ut fatetur, Hieroſolimam venit, ut conferret cum Petro, & majoribus Apoſtolis. Rationẽ reddit ad Galat. 2. *Ne forte in vanum currerem, aut cucurriſſem*, id eſt ſine fructu laborarem: dum ſemper dubitarent Auditores, num bona eſſet doctrina quæ approbationem non haberet. Porro ait ſe ſecundum revelationem aſcendiſſe ut ſcias hunc eſſe divinum ductum: Ita 2. Pet. 1. dicitur, *Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana, allata eſt aliquando Prophetia ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Hinc vide originẽ omnium hæreſeon, quæ ut obſervat Tertull. ſemper factæ ſunt per ſchiſma, & diſceſſionẽ: unde contra monitũ cuſtodis fecerunt, *ſi quæritis, quærite: convertimini, & vide. e.* Hinc omnes ſectę nomina propria habuerũt: alii dicti ſunt Arriani, alii Neſtoriani, alii Eutychiani, Pelagiani, Donatiſtæ; Vera autem Eccleſia, & fideles nomen Catholicorum retinuerunt. Ex quo patet ſecuritas fidei noſtræ; quandoquidem, ut adverto, ſemper Catholici dicti ſumus quicquid adverſarii noſtri ſunt moliti: & propterea apud nos Eccleſia: cum illi peculiari dicti ſint nomine, unde ab Eccleſia diſceſſerunt, atque infallibilem habent erroris notam: & merito, nam qui diſcedunt ab Ieruſalẽ, quæ eſt civitas Regis magni. & viſio pacis, ſunt in Emmaus, (quod eſt conſilium timens) quia certe ſecuti non ſunt, ſed trepidi. Porro multæ ſunt huiuſce rei rationes.

1. Id evenit ratione ſingularitatis: quoniam fere oritur ex ſuperbia, cum proprium ſit ſuperborum velle facere quod nemo facit in quo eſt ſingularitas, idq; quia quod nemo facit omnes mirantur: ſuperbiæ autem contrarius eſt Spiritus Dei, ſecundum illud, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*

Spiritu

Digitized by Google

Spiritus vero ſanctus ita dicitur ſimplex, ut & multiplex, & hoc habet ut ſeſe diffundat: hoc enim eſt ejus proprium: ſicut notat Didymus lib. 3. de Spiritu Sancto, juxta illud, *Effundã de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.*

2. Ratione amoris Iudicii proprii, qui amor multum obeſt obedientię Fidei: eſt enim fides judicii proprii ſubmiſſio: *captivantes omnem intellectum in obſequium fidei.* obeſt etiã modo quo fides communicatur, nempe ab alio & obſcurè Nam fides ex auditu, auditus autẽ per verbum Dei, hoc eſt ab alio non à ſe. Itaq; Paulus ad Tit. 3. *Hæreticum hominẽ de vita*, &c. *cum ſit proprio judicio condemnatus.* Hoc obſerva; id enim ſufficit ut ille reiiciatur.

3. Ratione diſceſſionis à cœtu communi; quod Iudas Apoſtolus his verbis ſignificavit, loquens de iiſdem, *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos.* Quia ſcilicet Deus nõ promiſit infallibilẽ ſcientiam niſi Eccleſiæ; illa autem nec eſt ſine capite, nec caput ſine illa. Hinc documentum contra huius temporis ſciolos, qui de rebus omnibus judicare volunt, & quotumquiſque ſuam ſectam ducere vult cum doctiſſimi etiã Theologi in rebus fidei nihil doctrinæ, nil diſputationi fidant, quanto minus igitur qui huiuſmodi ſcientiarum ſunt ignari?

II. ad Infidelitatem paſſus eſt maligna quædam dubitatio, & cũ inquiſitione conjuncta, quæ ſolet uſq; ad diſputationem & impugnationem pervenire ſeu artificioſa ratio dubitandi de veritate rerum, conjuncta curioſæ inveſtigationi, que progreditur uſque ad diſceptationem, & contentionem, atq; impugnatiõe terminatur Id ſignificatur illis verbis, *Et ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant.* Et poſtea. *Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent.*

Nota 1. Quæſtiones ac diſputationes duplicis eſſe generis aliæ enim ſunt ab impietate, & infidelitate profectæ, quales fuerunt interrogationes Capharnaïtarum, cum inter ſe quærent. *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* quales ſolent eſſe hominum impiorum, & curioſorum qui rationes ſenſibiles in omnibus fidei noſtræ myſteriis quærunt; de quibus dixit Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 476. Hæc vox, quomodo, in Deo locum habere non poteſt, cuius vel ſola voluntas ἐςὶ νῦν παράδοξον opus eſt admirandum. Sed aliæ ſunt quæſtiones quæ à fide & pietate proficiſcuntur, quæ uti loquitur Clemens Alexandr. 5 Stromat, ſupra fundamentum fidei ſuperædificant; vel uti loquitur Athanaſ. in reſponſ. 1. ad Antiochum; in quibus pietatis modus vertitur, ſola fide, non autem ſcrutatione. Atque illo animi ſenſu quæſivit B. Virgo, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* in quibus verbis non interrogavit, an res fieri poſſet; id enim eſſet infidelitatis; ſed modum quæſivit, idque fuit prudentiæ. Vnde uti advertit Bern. homil. 3. in Miſſus eſt Non dixit, an fiet iſtud: neque quomodo fieri poteſt hoc: ſicut illi increduli. *Quomodo poteſt hic dare nobis carnem ſuam*: ſed dixit, *quomodo fiet iſtud*: itaque non dubitavit; ſed certa de nuncio, cum modum perficiendi myſterii ignoraret, idcirco interrogavit: & quia ſic interrogavit, reſponſum audire meruit: hæc igitur interrogatio fuit prudentiæ, non ſcrutationis.

Nota 2. Iterum duplicem eſſe interrogationem, unam quæ finem habet cognitionem rei, quam modis omnibus quærit & hanc vocat Clemens Alexandr. lib. 5 Stromat. τὴν μεγαλοπρεπῆ τῆς ἀληθείας γνῶσιν ſplendidam ac magnificam veritatis cognitionem. Vnde legitimus inquiſitionis fructus eſt cognitio, ut idem ait lib. 6. ἐςὶν ἡ γνῶσις κατάληψις ζητήσεως. cognitio eſt inquiſitionis comprehenſio: & ideo uti advertit Nazian orat 3 Chriſtus Dominus quibuſdam interrogationibus non eſt aſpernatus reſpondere:

Digitized by Google

Alia vero inquiſitio non habet pro fine cognitionem, ſed potius cognitionis perturbationem: unde quærendo tenebras effundit, & ad diſputationem procedit, ut ad negationem perveniat. Et hoc modo hi duo Diſcipuli ex dubitatione diſputabant inter ſe quærentes de iis quæ acciderant: nimirum de morte Chriſti, de mulierum ad ſepulchrum profectione, & quomodo corpus non iuveniſſent. Loquebatur itaque quærentes exitū rei: quid illa omnia quæ acciderant, ſibi vellent: num Chriſtus verè reſurrexiſſet, cum eum nec mulieres, nec Petrus inveniſſet in ſepulchro neſcientes quam in partem hæc omnia interpretarentur. Mirabile enim eſt quam ſint homines acuti diſputatores ad non credendum. Id ſignificant illa verba: *Et ipſi loquebātur ad invicem de his omnibus quæ acciderant*: Et illa alia, *Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent*. Græce ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτοὺς καὶ συζητεῖν. Id eſt dum inter ſe conferrent, & conquirerent, ſeu diſputarent, qua ratione Chriſtus in ſepulchro non eſſet inventus: cum enim facilior ratio eſſet ſolvendi, ſi dicerent Chriſtum reſurrexiſſe, ſicut ante mortē prædixerat; omnia quæ difficultatem parerent, quærere maluerunt; & acuti videri, ut non crederent. Vide itaq; progreſſum: 1. dubitatur: 2 ex dubitatione inquiritur: 3. inquiſitio ex dubitatione ſibi difficultates implicat: Ex difficultatibus ſequitur diſputatio: ex diſputatione impugnatio: unde non longe abeſt infidelitas. Itaque prudens eſt Iſaiæ documentum, *Niſi credideritis, non intelligetis*. Etenim cum objecta fidei ſint obſcura, egent quadam inclinatione voluntatis ut credantur: iuvatur autem illa inclinatio ſeu pia affectio ex motivis credendi: Quia vero illo illa motiva, non omnia convincunt; alioqui ſcientiam facerent; neſcio quomodo poſt fidē ſuavius apprehenduntur: unde ſenſim magis afficiunt; & ipſum obiectum materiale fidei magis ac magis cognoſcitur, ac penetratur: eò uſque ut quidam reperiantur, qui ratione guſtus & fructus ſibi viderentur myſteria fidei altiſſima non credere, ſed quaſi quadā experientia deguſtare, & cognoſcere; ſicut nonnulli de Euchariſtia ſcripſerunt. Ex quo intelligimus cur nonnulli ſimplices & illiterati plus in rebus fidei norint, quā quidam maioris ingenii, qui naturaliter non poſſunt, quod alii ſupernaturaliter Et propterea aiebat Chriſtus Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar*. Hinc etiā poſſumus agnoſcere quo perducat quorumdam inquiſitio & peſſima diſpoſitio, dum de rebus fidei loquuntur: & quorſum hoc ſæculo multi fiant athei: & quorſum plurimi ex hæreticis non convertāntur. Sed vide quid ſequatur. Hinc enim Deus eos caſtigat quadam obtenebratione, & ex parte potentiæ: nam ex reſurrectione commutatus Chriſti vultus: aliunde, impediebat ne ſe agnoſcerent, & oculis intenderent, cum toti eſſent in ſua inquiſitione: Quod iuſto Dei judicio ſolet accidere, quodque nos ſolemus admirari in hæreticis, qui in locis planiſſimis Scripturæ quotidie cæcutiunt, & in luce ipſa tenebras reperiunt, & cum ſolem habeant ad oculos, non agnoſcunt; itaque loca clariſſima prætereunt, & in aliis obſcuris inhærent eodemque modo multi Catholici obvia, & facilia deſerunt, & quædam in quibus cæcutiant, quærunt de quibus Iudas Apoſtolus ſic pronuntiavit: *Quæcunque quidem ignorant, blaſphemant, quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*.

III. Ad infidelitatem paſſus eſt, parva ac non juſta de Deo æſtimatio: Sic enim iſti loquuntur de Chriſto *de Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, & ſermone coram Deo*

Digitized by Google

Deo, & omni populo Vide de Chriſto, quid ſentiant : nam eximia de homine prophetam appellantes, commendantes & miracula, & doctrinam: Sed nihil ſupra hominem: nam ſi Deum eſſe cogitaſſent, quod tantis miraculis confecerat, nihil haberent, quod de reſurrectione dubitarent. Quanquam etiam quæ de illo dixerant, illis ſatis eſſe debuiſſent, ut meliora ſepararent: nam ſi talis fuit, qualem deſcripſerunt, non potuit decipere, qui toties ſe tertia die reſurrecturum promiſerat. Id paſſim inter homines accidit, qui non ſatis juſtam de Deo habent opinionem, ſed male ſentiunt, vel de eius potentia, vel de eius ſanctitate & æquitate, vel de eius bonitate, vel de eius fidelitate, ac veritate. Vnde putas profecta eſt hæreſis Calvini de Sanctiſſimo Sacramento? Quia uti oportet, non ſentit de Dei potentia? Vnde multi conturbantur in doctrina prædeſtinationis? quia uti oportet non ſentiunt dei Iuſtitia, & bonitate: cum tamen id nobis certius eſſe debeat, quàm quodlibet aliud argumentum apparens. Itaque huic principio innititur fides noſtra, Authoritas divina, Dei revelatio: quâ ſemel poſita, fidem abrogamus ſenſibus, rationi, argumentis, experientiæ humano teſtimonio, immo & Angelico, ſi contrarium aliquod eſſe poſſet, quoniam cætera omnia ſunt fallibilia, hoc unum eſt infallibile: Sed ubi ſemel illud principium convulſum eſt, nil eſſe poteſt in fide noſtra ſecurum, nihil certum, nihil ſtabile.

IV. Paſſus eſt mala in illis rerum Divinarum apprehenſio ac falſa regula, pravaque intelligentia ſeu opinio de illis: quod oſtendit in illis verbis: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël*: quaſi dicerent, jam non ſperamus, cum videamus eſſe crucifixum, & morte adeò ignominioſa periiſſe. In quibus verbis duplicem errorem comprehendunt. 1. Eſt quod Chriſtum non à peccatis ſed à Romanorum tyrannide Iſraëlem liberaturum ſperabant, uti Theophylactus notat: Itaque non rectam de Meſſia opinionem habebant ſed contrariam.

2. Error fuit quod exiſtimarent, Crucem cum redemptione pugnare, cum tamen unica eſſet, via redemptionis. Hinc apparet in ipſis verum fuiſſe, quod ait Paulus, Crucem Iudæis ſcandalum fuiſſe, Gentibus ſtultitiam. Nec ſatis fuerat Chriſtum eis tam ſæpè mortem ſuam & reſurrectionem prædixiſſe, ne cum eveniret, fide nutarent, ipſa eius confirmati prædictione: Sed ut notat Evangeliſta: cum hæc Chriſtus diceret, Lucæ 18. *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur*: non dicit quòd non crederent, ſed quod non intelligerent. Vide autem progreſſum, nam ex profana illa apprehenſione, quaſi ex falſa regula exiſtunt falſa judicia & falſæ concluſiones: *Nos autem ſperabamus* quaſi dicant: non amplius ſperamus: unde plane in errorem labuntur, & oritur actualis infidelitas: quia enim nil credunt amplius, ideò nil ſperant.

Nota 1. Sicut in judiciis naturalibus præcedere debet apprehenſio terminorum, quia judicium eſſentialiter illam operationem ſupponit, eſt enim judicium nexus duarum apprehenſionum, ita etiam in judicio fidei ſupponi quoque proportionatam apprehenſionem earum rerum quæ proponuntur credendæ, in quibus ſi erratum fuerit, neceſſe eſt etiam ut in judicio fidei aberretur. Ita qui Deum ſibi repræſentant ut corporeũ nilq; putant niſi corporeũ, in incredibiles errores incidũt. Ita homines addicti ſenſibus, animales, & carnales, inepti ſunt rebus fidei, ſecundũ illud Apoſtoli: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus* Vnde Chriſtus aliquãdo ad diſcipulos, *adhuc & vos ſine intellectu eſtis*. Hinc nata hæreſis anthropomorphitarum. Hinc illa Capharnaitarum. Hinc illa Arrianorum, Neſtorianorum, Calviniſtarum: dum iſti loquuntur de Euchariſtia & queruntur Chriſti corpus includi intra ſeras: ad hæc comedi

à cani-

Digitized by Google

à canibus & muribus concipiunt; ut & in ſe dividi, frangi, ſecari, corrumpi, &c.

Nota 2. Pium affectum, & voluntatis inclinationem requiri ad actum fidei: Porrò ad illum affectum pium, plurimum facere commodam rerum credendarum apprehenſionem: & è contrario pravam apprehenſionem in nobis gignere averſionem, & actum contrarium piæ affectioni. Ita Dæmon Hæreticis Miſſam repræſentat, ut abominandã Idololatriam. Ita quaſdam perſonas & quædam facta nobis repræſentat eo modo ut ſtatim odio habeamus, nec ex eis proficiamus. Ita cum Iudæi ex Stephano audiviſſent, ſe cœlos apertos videre, ac Ieſum ſtantem à dextris Dei, continuerunt aures ſuas, quaſi rem horrendam ac blaſphemiam audiviſſent. Eorum poſteri ubi audiunt nomen Crucifixi, ſtatim commoventur ex Crucis odio: cum enim in lege dictum ſit: *Maledictus qui pendet in ligno*, ſtatim ut audiunt vocẽ Crucis, averſantur: juxta illud Pauli: *Iudæis ſcandalum*. Ita Paulus concionans in Areopago ubi meminit reſurrectionis mortuorũ ſtatim rejectus eſt ſecundum illud Actor. 17. *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum*: Id ſæpè numerò in nobis contingit: nam quædam abominamur nobis odio fuiſſe ac noſtram cæcitatem lugemus. Ita dæmon multis Religionem aſperam repræſentat auſteram, ac laboris plenam caſtitatem, ut odio habeatur, ac iudicetur impoſſibilis; quo remoto, vide quid ſequatur, uti de ſe refert Auguſtinus 8. Confeſſ. cap. ult. Quam ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat: ejiciebas enim eas à me, vera tu, & ſumma ſuavitas: ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior. Atque hinc fontem habemus ferè omnium errorum, pravam rerum apprehenſionem. Illa enim pendet vel ex parva noſtra diſpoſitione: Ita homines mundani, homines carnales, homines animales, homines addicti rebus ſæculi, aliter res ſpiritales, & cœleſtes apprehendunt: Vel oritur ex prima inſtitutione, vel à parva doctrina eorum à quibus prima cognitionum ſemina accepimus: Vel defectu inſtitutionis, & doctrinæ; quâ ubi caruimus, unuſquiſque pro ſuo arbitratu ſibi omnia fingit ad libitum ſuum, & ut quiſque eſt affectus: Ita Iudæi quia regnum Meſſiæ apprehenderunt temporale, & externum, Chriſti adventum ignorarunt: & duo diſcipuli, quia redemptionem externam expectarunt, in incredulitatem prolapſi ſunt Et huc uſque à nobis expoſitum eſt quibus paſſibus ad Infidelitatẽ prolapſi ſunt.

Iam vide erroris confirmationem. Primo itaque cum omnes rationes haberent credendi, undique conquirunt rationes non credendi, ut ſe ſe in errore tueantur: Ajunt enim, *Et ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quo hæc facta ſunt*: Quid illud eſt, *ſuper hæc omnia*? Niſi præterquam quod ab homine mortuo, nil amplius ſperari poteſt; unde noſtra omnis ſpes extincta eſt, qua ſperabamus ut Iſraëlem redimeret. Item iſtud: *Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos.*: Id eſt, maxime attonitos reddiderunt; cum dicerent ſe in monumento corpus non inveniſſe, ſed tantum linteamina, & Angelos; qui eum vivere dicerent: unde Quapropter ex noſtris quidam ad monumentum Cucurrerunt qui de abſentia Corporis & delinteaminibus relictis idem repererunt quod mulieres dixerant. Sed ipſum minime viderunt, nec invenerunt, vnde nihil habemus quid de ipſo ſentiamus, nã ſi viveret, utiq; ut prius videretur & agnoſceretur à ſuis, deniqʒ præterquam quod fieri non poſſe videtur ut mortuus reſurgat, accedit quod eſt iam tertia poſt mortem dies, Cũ tamẽ non reſurrexerit. Adeo ut nulla iam amplius ſit reliqua.

Digitized by Google

ſpes reſurrectionem eſſe; ſi enim reſurgere deberet, jam reſurrexiſſet, cùm ſe tertiâ die reſurrecturum dixiſſet. Mirum quàm ſubtiliter infidelitas contra fidem diſputare ſoleat.

Sed I. Quid de tertia die memorant, quæ licet quidem veniſſet, nondum tamen abierat, ſed durabat. 2. Quomodò ſciebant non reſurrexiſſe, cùm eorum rationes nullæ eſſent, immò contrarium concluderent: nam apertio monumenti, corporis deſiderium, relicta linteamina, Angelorum viſio, & teſtimonium, relatio mulierum, confirmatio Apoſtolorum, erant potiùs argumenta reſurrexiſſe Chriſtũ, quàm nõ reſurrexiſſe. Sed nimirùm, vide modum ſe ſe in errore confirmandi, cùm undiq; rationes quæruntur non credẽdi. Id vide paſſim in hominibus circa virtutem, circa res divinas, & circa fidem: ſed nempe voluntaria eſt cæcitas; cùm tamen prudentia doceat, ut veritas cognoſcatur, quærenda eſſe omnia adjumenta, ut una pars videatur; ut ſincere, ac juſte judicetur.

II. Omnia adjumenta ad credendum, aut malè accipiunt, & pervertunt, aut negligunt: *Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus, venerunt dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere: Et abierunt quidam ex noſtris ad monumẽtum, & ita invenerunt, ſicut mulieres dixerunt, ipſum vero non invenerunt.* Hîc numera credẽdi adjumenta. 1. Terrorem ipſorum & ſtuporem, quem ut facilè non debuerunt habere, aut non tàm facilè negligere. 2. Teſtimonium mulierum. 3. Angelorum. 4. Probatam experientiam à præcipuis ipſorum, ut ſcirent omnia eſſe vera. Itaque ſaltem rei eventum expectare debuerunt, non autem abire, & rem deſperare, quaſi impoſſibilem, & improbabilẽ: *Nos autem ſperabamus.* Id facile eſt unicuique applicare: ajunt itaque, *nos terruerunt*, cùm gaudere ipſi debuiſſent ex læto nuncio: vox Græca ſignificat, attonitos nos reddiderunt, hoc eſt ancipites & admirantes; nempe, ut Euthymius exponit, attonitos nos reddiderunt, incredibilia narrantes. Vide tamen confirmationem, & à teſtimonio, & à ſigno: teſtimoniũ fuit Angelorum; ſignum autem ab ipſa experientia. Ac ne putes id neglectum propter mulieres, fatentur teſtimonium mulierum comprobatũ fuiſſe à Diſcipulis: illi autem præcipui fuerant, Petrus & Joannes: unde videas eos ſuâ relatione eſſe convictos; cùm nec Angelorum teſtimonio, nec mulieribus, nec Apoſtolis referentibus crederent: Et quod mireris, cùm id probare debuiſſent, eôdem die ab Urbe recedebant, nullâ adhibitâ diligentiâ, ut ſaltem quæ dicebantur, probarent: nam ſi expectaſſent, nullum fuit probationis genus, quo Chriſtus ſuam Reſurrectionem non fecerit indubitatam: quippe ſi de teſtimonijs loquamur, id fecit Angelorum teſtimonio, & teſtimonijs Scripturarum: ſi quæruntur ſigna, id fecit ex parte corporis, ex parte animæ, ex parte Divinitatis, ex parte corporis oſtendit ſe non eſſe phantaſticum & aërium corpus; ſed ſolidum, cùm ſe fecit palpabile: Lucæ ult: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: item probavit ſe habere corpus humanum, oſtendendo veram effigiem quam oculis intuerentur: 3. Demonſtravit idem numero corpus, exhibendo cicatrices: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſũ.* Ex parte animæ ſe probavit per actiones triplices vitæ: nutritivæ, comedẽdo: ſenſitivæ, loquendo, reſpondendo, ſalutando, ſic enim oſtendit ſe videre & audire: Intellectualis, docendo, & exponendo Scripturas. Ex parte divinitatis, faciendo miracula, in captura piſcium, in aſcenſione in cœlum: ut intelligas non ſine causâ Chriſtum illis exprobraſſe *incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt.*

III. Vanâ quâdam prudentiæ humanæ affectatione

ſectatione ſe ſe in errore tuentur, quam in eo ponunt, quòd ſe difficiles præbeant ad credẽdum ne vel imprudentiæ, vel ſtultitiæ, & tarditatis ingenij notam incurrant, cùm ſe tam facilè irretiri ſinant, licet occaſionem rationabilem habeant credendi : Vnde Chriſtus Dominus ſic eos objurgat; *O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ*: Id eſt, non obſtantibus omnibus quæ Prophetæ locuti ſunt. In quo vides in id incurrere quod vitabant: nam cum prudentes eſſe velllent, imprudentes fiunt, ſtulti, atque tardi, qui tot teſtimonijs non crederent. Hæc eſt ſcilicet Hæreticorũ ſapientia: non facilè credere : qui non melius refelli poſſunt, quàm ſi quâ ratione prudentes nõ credendo ſibi videntur, eos ſtultos & tardos appellemus: etenim magnæ ſtultitiæ & tarditatis eſt, ſuo magis ingenio credere, quàm Deo. Atque hic eſt ſcopulus in quem accurrunt omnes fere mundi ſapientes, & optima ingenia; cum hinc tamen incurrant reprehenſionem, unde laudem quærebant. Hinc ruina quorundam hominum qui ſe fortia ingenia nuncuparunt: hanc autem fortitudinem in eo ponũt, quòd ſe vinci non ſinãt: *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?*

Vide autem, 1. quale ſit robur illud ingenij; nimirum vel ſtupor, vel pertinacia & durities cordis: ita paries ob ſoliditatem reſpuit lumen: ſic illi vel ex ſtupore iſta non vident, vel pertinacia, & ſtultitia; quæ conditio priori longe eſt pejor, & tandem majores tenebras immittit: nam ſtupiditas eſt ſimplex ignorãtia & ſciendi quaſi incapacitas; altera verò habet conjunctã pravam diſpoſitionem & errorem: Angeli primam ignorantiam habere poſſunt: neque enim omnia ſciunt; uti futura & hominũ cogitationes, & multa poſſibilia: Sed prava diſpoſitio non niſi in Dæmonibus.

2. Vide vituperium ingenij: Quia rectè advertit Ariſtoteles imbecilli eſſe ingenii, eandẽ evidentiam requirere in rebus fidei, qualem habent in rebus naturalibus.

Vide 3. infirmitatem ingenii: Quod cùm innumera ſint motiva credendi, ipſi in tanta luce cæcutiant. Vbi tamen tàm multi ex omni hominum genere illuminati ſunt: ita ut plus ſint ignari quàm pueri, & mulierculæ, & ruſtici, quicquid ſibi de ingenio blandiantur.

Vide 4. Infirmitatem ingenii: Quod nec prima quidẽ calleant fidei elementa, nec terminos intelligant, & quoniam fidei cognitio eſt ſupernaturalis, & alterius ordinis, cùm fide carent, non intelligunt ſe hoc ab aliis differre in iſtis rebus intelligendis, quô differunt cæci à videntibus, vel qui in tenebris vivunt, ab iis qui in luce. Hinc exiſtit ſublimitas actus fidei, quô anima ſecundum partem ſupremam ſubditur Deo, nimirùm ſecundùm intellectum, qui non niſi fidei obedire poteſt. Certe volũtas omnibus divinis imperiis poteſt ſubjici, eadem quoque omnibus potentijs imperare in homine, etiam contra proprias & nativas inclinationes. Vnus eſt intellectus, origo libertatis, qui à voluntate cogi nõ poteſt in judicando, immò nec omnibus Dei imperijs, niſi in obſequium fidei, in quod reducitur põdere auctoritatis divinæ; ut ſcias tanti actus ſublimitatem. Porrò cùm ex veritatibus revelatis alia ſint ſpeculativæ, aliæ ſint practicæ, utriſque æqualiter fidem debemus: ſed practicis, præter fidem, operationem etiam debemus, praxim, & obedientiam. In quo ferè ſunt homines fidei diminutæ. Quis enim ſibi, ut oportuit, perſuaſit difficile eſſe, ac ferè impoſſibile, ut divites ſalventur? divitias eſſe ſpinas: adulterium committi ſolo conſenſu: qui alterum oderit, & non pepercerit, nullam pro ſe veniam poſſe ſperare: neminem Chriſti diſcipulum eſſe poſſe, qui non bajulet Crucem ſuam: paucos admodum ſalvari: arctam eſſe januam, & paucos admodum illã invenire: Regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere

pere

Digitized by Google

ſpere: qui oculis ſervierint, ſuam mercedem accepiſſe: reddendam eſſe rationem in die judicii de verbo otioſo: Divitem epulonem ob byſſum,& purpuram, ob epulas quotidianas, & neglectum pauperem eſſe damnatum: Homines de repente,nec opinantes, itaque non paratos,à morte eſſe occupandos: & alia ſexta: quæ ſi credantur ut oportet, nulla fingi poteſt major aut impietas,aut infamia, quàm ſic vivere,uti vivitur.

Quid igitur ſupereſt, niſi ut cognitioni actio,& fidei vita reſpondeat? &c. quô fiet ut in alterâ ſicut credidimus ita videamus; ſicut meriti ſumus, ita accipiamus.

Amen.

ITERVM FERIA TERTIA

POST PASCHA.

DE DVOBVS DISCIPVLIS

euntibus in Emmaüs.

IN EVANGELIVM PRÆCEDENTIS FERIÆ

CONCIO

QVÆ EST COTINVATIO SVPERIORIS

Ovium aberrantium reductio.

Ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum &c. nomine Emmaus. Lucæ 24.

EX occaſione egreſſus duorum Diſcipulorum ab urbe Ieruſalem, ut irent in oppidulum nomine Emmaüs; jam locuti ſumus de eorum aberrationibus quæ tantæ fuerunt ut ad extremam uſque infelicitatem proceſſerint nimirùm uſque infidelitatem. Nobis hodie diſſerendum eſt de ipſorum reductione ac reditu ad fidem, & in civitatem Jeruſalem atque ad Eccleſiam, ſecundùm hæc verba. *Eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem*: Quæ verba exponens *A*naſtaſius Sinaita dixit: Pulchra eſt ab errore regreſſio: nempe reditus ab eo, ad veritatem nunquam niſi perhonorificus eſt. *A*t quònam regredi potuerunt feliciùs, quàm Ieruſalem, peſſimum eſſe conſilium, & non iri niſi in Emmaüs, cujus interpretatio eſt, conſilium timens, ſive aberrans, meticuloſum, atque incertum. Nimirùm qui Deum deſerit,ſecurus eſſe non poteſt,ſed aſſiduè in perturbatione verſatur, ac in agitatione perpetuâ: contrà verò qui revertitur ad Deum, ſuſcipit conſilium pacis, & & in ſecuritate vivit: Vnde duo illi ſtatus comparari in vicem debent, ſicut cum tranquillitate tempeſtas; periculum cum fiduciâ, naufragium cum portu. Minimè poterimus ad eum appellere quem quærimus, niſi nobis præluceat, præſtoq; ſit ſtella maris: hæc eſt ſignificatio nominis Mariæ: ejus imploremus ſubſidium uſitata precatione, AVE MARIA.

Dixımus nomem Paſtoris inter nomina omnia & officia quæ filius Dei in vitâ mortali exercuit, longè ipſi dilectiſſimū fuiſſe. Ideò de ſeipſô loquitur apud S. Joan. c. 10. Act. *Ego ſum Paſtor bonus.* Quodquidem interpretans Rupertus dicit, ſe ſolum bonum ſicut Deus nominat, *nemo bonus niſi ſolus Deus*, non propterea quod nemo præter Deum, bonus ſit, ſed quia nemo bonus eſt ut Deus: Ita excellenter & eximiè bonus Paſtor à ſe appellatus eſt ὁ ποιμὴν ὁ καλός, ille bonus, quoniam bonus Paſtor nullus eſt ſicut ipſe: cujus rei rationem reddens adjicit hæc verba, *Et cognoſco oves meas*, ubi vocabulum *Et*, non eſt nexus conjunctioniſque, vox ſed rationis, idē ſignificans ac *Quia*, ſecundùm Phraſim Hebraicam S. Joan. uſitatiſſimam: quaſi diceret, ſe bonū eſſe Paſtorem, quia ſuas oves cognoſcit, tùm diſcretionis, tùm curæ, ductus & providentiæ notitiâ: quô ſenſu Deus ait Judæorum populo, eos ex univerſis terræ nationibus ſolos eſſe quos novit. Et certè ſi ovium ſuarū nomine intelligit prædeſtinatos quemadmodùm cenſet S. Auguſtinus; eos ſolus ipſe cognoſcit, ſecundùm S. Pauli 2. ad Tim. verba: *Cognovit Dominus qui ſunt ejus*: ſive notas habeant prædeſtinatorum, ſeu non habeant, ſed errent inter greges Diaboli: qua de re ſic loquitur Auguſtinus tra&. 45. in Joan. *Novit Dominus qui ſunt ejus*: ipſæ ſunt oves, ſecundùm electionem ante conſtitutionem mundi: aliquando ſe ipſæ neſciunt, ſed Paſtor novit eas ſecundùm prædeſtinationē, ſecundùm ergo iſtā præſcientiam Dei, ſeu prædeſtinationem, quàm multæ oves intus, & quàm multi lupi foris: quàm multi modo luxuriantur caſti futuri: quā multi blaſphemant Chriſtum, credituri in Chriſtum: quàm multi ſe inebriant, futuri ſobrij; quàm multi rapiunt res alienas, donaturi ſuas, &c. Item quàm multi intùs laudant, blaſphematuri: caſti ſunt, fornicaturi: ſobrij ſunt ſe vino poſteà ſepulturi: ſtant caſuri: non ſunt oves: ſe eas Chriſtus ubiq; cognovit. Item novit per providentiam, nam quantumvis videatur ſinere ut aberent, nunquam tamen dimittit.

Cùm ergo factum fuiſſet, ut Paſtore percuſſo, oves gregis diſperſæ fuiſſent; ſanato Paſtore, hæc illi unica fuit cura ut oves diſperſas colligeret: & quia ex omnibus, hi duo Diſcipuli longiùs aberrant ideò longiùs eos requiſivit. Ac ſicut in priori ſermone oſtendi, quô inceſſu graduq; in præcipitium infidelitatis prolapſi ſunt, ita hodie mihi propoſitum eſt vobis dicere, quā methodo & ad gregem ſuam revocavit reduxitq; in ovile à primâ exordior.

I. Dei operatio in peccatorem, primùmq; auxilium quod adhibet, eſt eum perſequi veſtigiis quando in exitium ruit: quod quidem Deus præſtat ſingulari cuſtodiâ quæ, peccatorem impedit ne funditùs, & abſque emergendi ſpe pereat. Sic de Nabuchodonoſore dictū fuit, Daniel 4. *Veruntamen germen radicum ejus in terra ſinite*: Permittitur amputari arbor, ſpoliari frugibus & foliis, ejus quoque truncus abſcindi: radix tamen reſervatur & germen, ut repullulare aliquando poſſit & in priorem ſtatum reſtitui. Atque id in Evangelii noſtri verbis intelligo: *Ibat cum illis*, ut ſciamus ipſum nunquam eos deſeruiſſe. Quæ omnia ut meliùs intelligi queant:

Obſerva, Deum operari ſemper circa juſtum, ſuas in eum curas continuare, neque eum unquam deſtituere, ſecundùm S. Concilii Trid. doctrinam ſeſſ. 6. c. 11. Deus namque ſuâ gratiâ juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Vnde S. Paulus ait Deum eſſe fidelem. Quod ſcilicet devinctam ſemel amicitiam cùm juſto nunquam diſcindat, ſejunctioque ab ipſô nunquam initium ducat. Non ita ſe gerit ſemper erga peccatorē: Is enim ubi ſeā Dei ductu ſubtraxit, eumq; ſæpe deſeruit, ipſi quoque

Digitized by Google

quoq; Deus peculiarem illam curam ſæpe denegat quâ illum per amicitiæ tempus fovebat: promanant horribiles ij peccatorum quorundam lapſus, quos ſingulis diebus accidere videmus; ut peccator agnoſcat non impunè deſeri Deum. Reperiuntur tamen nonnulli quos Deus extraordinariâ gratiâ protegit, neque unquam deſtituit, uſque adeò ut poſt eos currat cum aufugiunt, ac propè ipſos aſtat cùm S. Petro, quem eodem temporis punctò reſpexit, quô ipſum ardentiùs negabat; quod in eum ſolùm præſtitit cùm tamen in Caiphæ curiâ multi ſimul aſſiſterent, qui quidem forſan minùs quàm Petrus peccabant. Ita videbitis Deum perſequi comitariq; nonnullos uſq; ad fœdiſſima etiam loca, in flagrantiori etiam æſtu criminis, quibus præſentem ſe ſemper exhibet, neq; ab ijs unquam recedit: comprobans hunc Evangelii ſermonem, *ibat cum illis*, quem explicans Emiſſenus exclamat: Beati cũ quib⁹ ambulat Ieſus: Beati cũ quibus ambulat ſalus & vita, quoniã cum luce vadunt, diu errare non poſſunt. Hæc ille: Felices ſanè quos Chriſtus perſequitur in viâ, & in fugâ antequàm ad terminum pervenerint! Felices quos etiam devios non deſerit, ſed comitatur: Id ſaltem ora ut in te fiat: ut ſi aliquando eum tua culpa deſeras, ipſe te non deſerat. Equidem quotidiana experientia videmus, Chriſtum ſemper quibuſdam eſſe, etiamcùm ab ipſo diſcederent: ipſi tunc hoc non advertebant; ſed poſtquàm converſi ſunt, id fatentur: nam cùm vellent perire, non ſinebantur, ſed ſemper ſe Deus malæ eorum voluntati opponebat: *Etenim cum ceciderit, non collidetur, quoniam Dominus ſupponit manum ſuam.* Verùm non id ſemper omnibus præſtat: unde videas ex complicibus eorundem peccatorum, unos converti, alios manere obſtinatos, & in pejus ruere: quibuſdam dare locum & tempus pœnitentiæ, alios verò ſtatim abripere, & tollere è vita. Illam certè gratiam nemini peccatori debet, tamen præſtat aliquibus: & hoc beneficio donati ſunt iſti duo Diſcipuli, quos licet meritos, perire noluit: itaque *ibat cum illis.*

II. Quod Deus præbet peccatori auxilium, eſt quòd eum ipſemet quærit, per gratiã, quæ hanc ob cauſam à Theologis appellatur præveniens: quod quidem notatur in eô quod explicamus Evangeliô: *Et ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.* Ad eos enim non appropinquat, niſi veniens ad ipſos, quod illis neceſſarium fuit. Et quidem, niſi Deus ita ſe gereret, peccator ſemper magis magiſq; removeret ſe à Deo, ſuaſque aberrationes augeret. Homo omnis, fidei ſuæ permiſſus, ſibique ipſi relictus, aberrare ſeque ipſum perdere poteſt: at nemo viribus ſuis poteſt ab ſuis aberrationibus reverti: unde indiget miſericordia Paſtoris, qui ovem ſuam quærat: *Ego erravi*, inquit David Pſ. 118. *Sicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum*: peccator quippe nobis bellè repræſentatur per ovẽ, quæ ſtolidum eſt animal, carenſq; ductu, quod herbam depaſcens progreditur aſſiduè in via, & ſi extra rectam viam eſt ſe ſemper ab eô ſegregat longius, & quolibet paſſu magis ac magis aberrat: unde Græci nominãt oves τὰ πρόβατα, ἀπὸ τοῦ προβαίνειν: quia paſcendo aſſiduè procedunt. Atque hinc oritur nobis abſoluta neceſſitas prævenientis gratiæ, quam S. Auguſtinus tam conſtanter propugnavit adverſus Pelagianos, eamque nos edocuit nihil aliud eſſe, niſi primam boni cogitationem quæ à Deo ſolo noſtrum in animum immittitur: (2. ad Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*) primumque motum quo voluntatem noſtram concutit: (*nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit eum.*) Igitur neceſſarium eſt ut ad nos accedat, & nos præveniat: *Et ipſe Ieſus appropinquans, ibat cum illis*: Atque in eô genere mirabilem ſe præſtitit incomprehenſa Salvatoris

Digitized by Google

ris benignitas in ſuâ mortali vitâ, ſcilicet quoad perquiſitionem peccatorum. Nonne ipſi laſſitudinem attulit iter quod confecit, ut Samaritanam mulierèm ad craterem fontis expectaret? Quomodo accepit, immò quæſivit Magdalenam? Greg. hom. 33. ſuſcipientem dicam, an trahentem: ſed melius dicam, trahentem & ſuſcipientem: quia nimirum ipſe per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris. Vide eum vocantem Matthæum, Zachæum compellantem: *Quia in domo tua oportet me manere*. Vide cum peccatoribus manducantem, & divertentem ad publicanos. Nonne primus Petrum reſpexit, & latroni ſecum in Cruce pendenti primos motus injecit? Sed ejus benignitas mirabilior fuit in vitâ beatâ; cùm tàm ſtudioſè oves ſuas requireret ut ipſo die Reſurrectionis quinquies apparuerit: 1. Mariæ Magdalenæ: 2. Mulieribus quæ venerant ad monumentum: 3. Petro: 4. duobus duobus Diſcipulis euntibus in Emmaüs; 5. omnibus Diſcipulis congregatis in unum: dicens illis; *Pax vobis, ego ſum, nolite timere*. Certè uti illis omnibus niſi ſe vidẽdum præbuiſſet, videri ab ipſis non poterat; ita nemo redire poteſt, quem ipſe non prævenerit. De his duobus igitur rectè dictum eſt, *& ipſe Ieſus appropinquans, ibat cum illis*.

III. Subſidium quo Deus peccatores juvat, eſt qualitas gratiæ quâ eos prævenit, quam temperat accommodatque ad ipſorum neceſſitatem: quod hiſce etiã verbis exprimitur: *appropinquans ibat cũ illis*: adeò ut ſe adjunxerit ad eorũ viã juxta illos eũdo, pariq; inceſſu, nec velociori nec tardiori: ſi n. ambulaſſet celeri9, eos prætergreſſus fuiſſet; ſi tardiùs non attigiſſet; quapropter ita ſe ad ipſorũ inceſſum accõmodavit ut ſemper præſens adeſſet: in eôque qualitatem agnoſco gratiæ qua illos prævenit, in qua hæc exiſtunt.

1. Mirifica quædam bonitas Dei, ſublimiſq; illius majeſtatis conformatio cũ creatura ſua, ut ad ejus diſpoſitionem ſe accomodet, ſecundùm Sapientis verba Sap. 12. *Tu autẽ dominator virtutis, cũ tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi cum volueris poſſe*: quibus verbis Sapiens explicat conformationem qua Deus utitur erga creaturã ſuam, non adhibens ingentem ſuam poteſtatẽ, illamq; tractans cum lenitate; ne ſi nimis rigidè ſe gereret, rem contereret adeò fragilem & teneram, quam inflectere potius quàm effringere oportet. Ideò addit, *cum tranquillitate judicas*: perinde ac ſi tempus & otium captaret creaturæ cõſiderandæ, ut eam pro opportunitate ſua & quo expedit modô aggrediatur, utens diſcrimine, ne univerſos homines eadem ratione invadat. *Et cum magna reverentia diſponis nos*: quaſi nos cum formidine tractaret, metuens ſcilicet ne vaſculi tenuitatem infringat, quamobrem labori noſtro parcit, quaſi venerationem noſtri haberet: quo ſenſu vult S. Petrus ut mariti erga uxores ſuas moderatione utantur: 1. Pet. 3. *Quaſi infirmiori vaſculo impartientes honorem*: τιμὴν: quod idem eſt ac reverentia: ſed aliud Græcum vocabulum ἐπιείκεια cogitationem hanc adhuc illuſtrat, quod vertitur Latinè æquitas, quæ ut ait Ariſtoteles & ex eo S. Thomas, non reſpicit legem in cõmuni & generalem obligationẽ, ſed rationem habet ſingulariũ caſuum & perſonarum, quod Deus obſervat amantius agens cum creatura, non utiq; generali & communi modo illam vocando, ſed ſingulari; attendendo ſingulorum indolem & diſpoſitionem, ſpecialeſque occaſiones.

Atque ut ne abducamur ab argumento nobis propoſito; cùm Filius Dei quinquies die Reſurrectionis ſuæ apparuerit, id quinque differentibus modis præſtitit: Mulieribus enim, quibus Mariæ nomen, ſocietate junctis, ſimpliciter apparuit, dicens illis, *Avete*, quibus etiam permiſit ut pedes ſuos tangerent, & adorarent, quibus etiam commiſit ſuæ Reſurrectionis

ctionis Evangelium: *Ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galilaam, ibi me videbunt*: ita autem ſe geſſit quia ſimpliciter diſpoſitæ erant.

Sed Mariæ Magdalenæ ſpecialiter apparuit, quia ſpecialiter eam diligebat: Sic autem ei apparuit ut differendo, eius deſiderium vehementiùs accenderet: Eique ſe oſtendens, ſe abdebat: ſe oſtendebat ipſi, quando illum videbat & alloquebatur; at eodē tēpore ſe eidem abdebat, quando habebatur ab ipſa pro hortulano, ſicq; ei apparebat uti minus fidei & plus amoris habenti, ſuoque in amore plus deſiderii quàm rationis, plus æſtus quam animi, pluſque anxietatis quam fiduciæ: ſed ita ſe geſſit, ut cauſam ipſi daret dicendi quod dixit, faciendiq; quæ fecit. Ita poſtquam ſe ei manifeſtavit, non permiſit, non ut ipſum tangeret eamq; inhibuit: quod & ſignificavit dicens, quamvis non tam citò, ſe aſcenſurum eſſe ad Patrem; ac proinde cùm ad eum iturus eſſet, fruſtrà illam conari eum retinere: ſi autem id ſtudebat tantùm ut ipſum tangeret, nihil eſſe quod urgeret, cùm aſcenſus ille non tàm citò eſſet futurus.

Gratificās ſimiliter Petro, ei ſingulariter apparuit: 1. propter ejus dignitatem, quem Apoſtolorum omnium caput conſtituerat. 2. quia parcendum erat pudori ex culpa, & verecundiæ ob ignaviam. 3. Illud oportebat fieri reconciliatione, quām ejus lachrymæ comeruerunt. 4. animam habebat dolore confectam, qui erat ſolandus. 5. Id agi nō poterat ſine magna Petri commotione, quæ arcanum & ſeceſſum poſtulabat.

Iam duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus apparuit in effigie hominis peregrini, & iter facientis, & occaſionem haberet ijs ſeſe adjūgendi, eos inſtruendi, illuminandi, corripiendi; cæteraque agendi quæ præſtitit.

Denique apparens ſimul omnibus, diſpoſitionem omnium attendit: volens enim eis confirmare veritatē ſuæ Reſurrectionis, probationibus argumentiſq; uſus eſt, quæ ipſorū captui ſenſuiq; reſponderent & congruerent. Volens (inquam) demonſtrare illis res duas, ſcilicet reſurrexiſſe ſe, ac eſſe in ſtatu admodū diſcrepante ab eo quem tenebat agens cum ipſis in vita mortali, ad ultimū hoc iis ſuadendum, ſubitò apparuit in medio ipſorum, cùm nec aperuiſſet fores, nec in eorum præſentia ſpectabilis greſſum ullum feciſſet. Ideò ſe modò viſibilem, modò inviſibilē reddebat, ſecūdùm glorioſi corporis privilegium, quod in eò ſtatu Reſurrectio poſuerat. Quoad veritatem Reſurrectionis eam probavit, eorū oculis ſeſe exhibens, demonſtranſque; curans ſe tangi palparique, plagas explorari, & ſoliditatem corporis, præterea eundem quem habebat vultum, eandem conformationem vocis, modum eundem loquendi; veſcens cum eis pro more ſuo, porrigens ipſis reliquias cibi quē ederet; in memoriam præterita revocans; inſtruens, atque explicans ſacras Scripturas quæ de ipſo loquebantur, probationeſq; omnes proferens quibus verum idemq; ſibi corpus eſſe conſtaret: quæ quidem licet malignis & litigioſis hominibus videri fortaſſe poſſent non convincere penitus aut ſufficere, ex eo quòd ſicut Apoſtoli ſe initio decipi oculis ac illudi putarunt, ita falli poterint tactu plagarū, comeſtionis, aliarumque ſimilium objectu, cùm idem apparuiſſet in Angelis qui ſe Abrahamo exhibuerunt, etſi ad imaginem tantum, minimè ad rem ipſam illud extitit: Quia tamen Salvator non agebat cum ingeniis argutis verſatiſque diſceptandi potiùs quam ediſcendi ſtudioſis, & apud quos probatur & admittitur quicquid ſubtile, & acutum eſt, quamvis cæteroqui falſum, abſurdumque ſit; ſed cum candidis, modumq; agendi communem & inter homines uſitatum ſectantibus, eodem planè modo illos tractat, proponens ordinarias probationes, & omnium uſu receptas. Cæterùm quibuſnam poteſt notis & indiciis, ac demonſtrationibus

experi-

experimentiſque oſtendi & in notitiam adduci humanum corpus, niſi ejus figura, colore, inceſſu, loquela, contactu, videndo ipſum bibere, veſci, eadem præſtare omnia quę ab univerſis hominibus fiunt: quæ ſunt eædē probationes, quas adhibet Filius Dei ut corporis ſui veritatem confirmet, quæ cuicunque minus ſatisfecerint, ei author ſum ut illis meliores alias perquirat, cùm in ſeipſo tum in hominibus cæteris; cùm vero alias perquirat, cùm in ſeipſo tum in hominibus cæteris; cùm vero alias reperire nequeat, dubitet an tum reliqui verè homines corpus habeant. *A*dde hoc fuiſſe Chriſti intentum, ex Diſcipulorum diſpoſitione captata occaſione, eis ſatisfacere ad fidem: cum enim ita eſſent affecti, ut credere nollent, niſi ipſi viderent, & tangerent: crederent autem ſi hæc eis concederentur, uti dicebat S. Thomas: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus eius non credam*: ideò Chriſtus ſeſe illorum diſpoſitioni accōmodans hoc eis indulſit, quod quærebant: *videte manus meas, & pedes meos: palpate & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet ſicut me videtis habere.* *A*dde quod non fuit propoſitum Chriſti Domini hac tantum ratione probare diſcipulis ſuam reſurrectionem, ſed ferè ea ſpecie probationis tollere ab eis dubitationem & timorē, ac deinde proponere argumenta fidem ſupernaturalem facientia: qua in re mirabilis fuit Chriſti Domini condeſcenſus.

Idemq; accipiendo generalius, ubiq; hunc ordinem Deus tenet in ſpeciali vocatione, eximiaq; gratia quæ communiter ob eum quem ſortitur ſucceſſum, efficax vocatur, ſive peccatorem ad pœnitentiam vocet atq; ad primam juſtificationem, ſive juſtum jam ad majorem perfectionem ſanctitatemque invi et, ut accommodet ſeſe ad præſentem eorum diſpoſitionem quos vocat. Itaque aliter timidos, aliter generoſos vocat: aliter qui proſpera utuntur fortuna, aliter qui adverſa. Nam quidam ſunt qui in adverſis animum dejiciunt, ac deſperatione obruuntur: alii verò per eadem adverſa ad modeſtiam reducuntur. Sunt qui rebus proſperis trahuntur: nam dum vident ſe à Deo blande tractari, ne ingrati ſint, diligētem diligunt: cum tamen alii proſperitate perdantur. Bonus autem Dominus unumquemque explorat, & *cum tranquillitate judicat, & cum magna reverentiâ diſpon t.* Itaque iſtum metu paupertatis, illum metu infamiæ: alterum miraculis, alterum internâ dulcedine: alium terroribus, alium malis ſucceſſibus trahit: ubique bonus, ubique miſericors: cùm enim ſit diverſis diverſus, omnibus tamen bonus eſt.

2. Loco in illo gratiæ ductu obſervo admirabilem vocationis divinæ ſuavitatem, quæ non eōdem modô vocat univerſos, tyrannicè ad eandem legem, inflectens, non eos gubernans cum violentiâ, ſed ſecundùm ſtatum in quo verſantur, rationeque diſpoſitionis ipſorum habitâ, quod quidem nos hæc verba edocent: *Cum tranquill tate judicas*, & per otium, *& cum magnâ reverentiâ diſponis nos*, id eſt, & cum moderatione ipſos regis: quaſi timeret Deus ne quid violentiæ libertati noſtræ inferret, cogeretque voluntatem. Hæc autem gratiæ ſuavitas in eô conſiſtit, quod efficiat Deus non ſolum ut agat homo, ſed ut agere velit: facit verò ut agere velimus, eôdem m dô quo vult voluntas quando ex ſeipſa vult, & ex viribus ſuis; nunquā autem vult niſi attracta & allecta delectationis inductu, ſive hæc oritur ex cōveniētia & ſympathia objecti, ſive ex aſſuetudine, ex uſu, ex familiaritate & habitu quē habet cū rebus quæ ſe offerūt: ea enim omnia ſunt, quæ ut plurimū illecebra voluntatis exiſtunt, eamq; attrahunt, & à quibus allecta inducitur ad id volēdum quod ipſa vult. Quávis n. nullā habeat volēdi cauſā, niſi ſeipſam quādo ſola eſt, agitq; pro facultate ſua; extra ſe tamen aliquam habet cauſam volendi, & finem aliquem ſpectat: volendo enim, ſibi aliquid proponit in idque tendit; & quando

quando cauſam efficientem non habet ſecum Concurrentem habet nihil ominus finalem ac moventem, ad quam contendit, & actione ſuâ fertur, & ubi oblectationem ſuam naſcitur, vel in eo ſaltem reditu, quem ſupra ſeipſum facere poteſt, ideo tantum volendo, quia ipſum velle delectat.

Ad hæc unuſquiſque illud agit libentius, quod facilè agit, quam quod ægre, ac difficulter operatur, facilitas autem provenit, ex convenientiâ, & licet cum reſiſtitur gratiæ Deus ſe ſe opponat reſiſtentiæ, atque urgeat, & inducat rebelles, videaturque etiam eos invictos impellere, ſecundum hac verba, compelle intrare, item nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum, illud tamen non ſit, attractu coactionis, neque violentiæ raptu, ſed delectationis attractu, nec pariter neceſſitas eſt, ſed delenitio quædam & illecebra voluptatis, ut aliàs diximus, concione de Gratiá S. Auguſt. ſic explicat. tract. 26. in S. Joa. quomodo voluntate credo ſi trahor, ego dico parum eſt voluntate, etiam voluptate trahens, unde ita concludit, ſi poetæ dicere licuit, trahit ſua quemq; voluptas, voluptas non neceſſitas, delectatio non obligatio, quando fortius dicere nos debemus, trahi hominem ad Chriſtum qui delectatur veritate, qui delectatur beatitudine, delectatur Iuſtitia, delectatur ſempiterná vitâ, quod totum Chriſtus eſt; nempe hęc multum diſcrepant raptare, quod pium animal vi, & funibus, atque illud allicere, oſtendendo, quod amat, ſic aliud eſt raptare, aliud attrahere, neque ita nos raptat, Deus, ſed nos attrahit, omnes porro non eadem re trahuntur, ſed unuſquiſque trahitur delectatione ſuâ, hæc autem variis ex incitamentis capitur, ſicut ovis trahitur, herba viridi, capra ramo ſalicis, puer pomo, vel nucibus, ita Deus trahit unumquemque ea re, quæ ei placet, pro diverſo cujuſque guſtu ſi oporteret tantum raptare vel neceſſariò cogere, nihil opus eſſet ut Deus obſervaret ſtudioſè diſpoſitionem uniuſcujuſque, nec ut diverſa & diſcrepantia creaturæ proponeret, quandoquidem eadem neceſſitas inductioque ſatis foret omnibus, quoniam ſingula pariter æqualiterque traherentur. At quando id agitur illecebris, lenocinia eſſe differentia debent, & in eo conſiſtit vocationis ſuavitas, quæ neminem neceſſariò cogit, ſed cuilibet proponit quod ei magis aptum & conſentaneum eſt. Ita Franciſcum ad ſe traxit amore Eleemoſynæ: Ignatium lectione vitæ Chriſti Domini & Sanctorum: Antonium Evangelio: Arſenium voce de cœlo: quoſdam timore mortis & judicij: alios amore quietis, & ſilentij: alios rerum præclarè geſtarum admiratione: alios gloriâ: alios generoſo mundi contemptu: alios indignatione: alios quaſi neceſſitate: nec iſta ſunt improbanda, quaſi minus pura, atque ſyncera: Deus enim rebus omnibus utitur ut vocet, & varijs modis vocat, ſecundùm varias uniuſcujuſque diſpoſitiones quas explorat, & attendit.

3. Loco reperio agnoſcoque in eo, vim & efficacitatem vocationis divinæ, nobis ſignificatæ his verbis: *Subeſt enim tibi cùm volueris poſſe:* potes enim verò id quod ſemel volueris, cum tibi non difficilius ſit agere quam velle. Si enim liberum arbitrium, voluntasque libera neceſſitatem ferre non poteſt, nec expugnari vi, nec vinci violentiâ, ijs omnibus reſiſtendo vi libertatis, quam poteſt quidem Deus adimere vel deſtruere, non item neceſſariò adigere, & cogere violentiâ: at nihilominus ſeſe eadem voluntas ſinit vinci delectatione, voluptate ſuperari, lenocinijs inducta, captaq; blandimentis. Atq; id propriè ſpectavit Auguſtinus: gratiam illam appellando victricem delectationem: neque aliter niſi delectatione victrix eſt; neque conſenſum ſuum libertas præterquàm voluptati conce-

Digitized by Google

concedit. Fundamentalis eorum omnium ratio petitur ex naturâ voluntatis, quæ facultas eſt blanda & aſſentatrix, neque unquam aliud niſi bonum ſectatur: I. generaliter, cùm ad malum tendere non poſſit, ut malum, hoc eſt cognitum ut tale, unde fit ut in ſui objecti ſpecie aut genere deligendis minimè ſit libera, nec poteſt aliò extra boni terminos ferri, cujus intra limites, concluſæ ſunt omnes operationes ipſius. Nam ut oculus nihil poteſt videre niſi lumen, & id quod coloratum eſt, ut auris nequit quicquam percipere niſi ſonos, ut intellect⁹ fertur tantummodo ad verum vel reale, vel apparens; ita illa ad ſolum bonum tendere poteſt. Sed in particulari attrahitur à bono quod in occaſionibus quæ adſunt ipſi conveniens apparet: etenim delectari quærit; eſt autem delectatio in poſſeſſione boni convenientis; omne ſiquidem conveniens delectat, & blanditur. Deus itaque, cùm ſit, ut ait S. Joannes in ſuâ 1. Epiſtola cap. 3. *Major corde noſtro*, quidquid in ipſo eſt, id maxime novit, ac comprehendit, & conſequenter omnes poſſibiles cordis convenientias, cùmque per gratiam efficacem, ſecundùm cordis diſpoſitionem quaſdam offerat, tàm accommodatè blanditur, atque voluntatem convenit, ut pati repulſam non poſſit, quia convenientiâ, hoc eſt voluptate & delectatione ſollicitat: Quapropter conſenſum obtinet potius quam extorquet, ipſi enim datur ſtatim ac poſtulat; immò etiam ipſa permota illecebris eò ſponte defertur totiſque viribus ſuis: quamobrem cùm ait apud Ezechielem cap. 36: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*: id ita efficit, ut non ſolùm nos ad incedendum inducat, & ad operandum, ſed etiam efficit ut incedere velimus, quod niſi vellemus, nec incederemus nec vellemus incedere, non tamē abſtineremus incedendi voluntate, quia ſuavitas delectationis quâ trahimur ad volendum incedere, tanta eſt, ut ſola quæ percipitur voluptas eò inducat, nam cùm nihil quærat voluntas niſi delectationem, multùm abeſt ab eâ reſpuendâ quin ſe ipſi præſentem exhibet, & quùm ea offertur; quodq; iidem gratia efficax ſemper facit nihil proponens niſi conveniens, proindeque delectabile. Ad ſimilitudinem eventus, quorſum putatis tot mortales flecti vincique à Diabolo proponente ipſis voluptates, aut fallaces divitias, niſi quia unuſquiſque trahitur delectationis lenocinio: quorſum ſtudet agnoſcere quid cuique placeat ut id ipſi objiciat, niſi quia novit unumquemque delectationem trahere ab eo quod ſibi conveniens eſt, voluntatemque in eam partem ſeſe inflectere quæ voluptatem ipſi procreat? Sed quia non eſt major corde noſtro, nec omnes cordis diſpoſitiones, aut convenientias noſſe poteſt uti Deus, qui voluntatem noſtram, ad quidlibet etiam difficillimum, trahere poteſt: præterquam quod Diabolus apparentia tantum & fucata bona nobis proponit, & quæ explere ac exſatiare nequeunt, cùm vera noſtra bona minimè ſint, nec rationali creaturæ propria: ideo eorum fallacia detegitur facilè ſolo uſu & experientiâ. Et inde fit ut poſt delectationem & crimen, nobis nihil niſi mœror & triſtitia reſtet, ſicut accidit Ammoni qui conſtupratâ ſorore plus in eam concepit odij poſt peccatum admiſſum, quàm anteà in eum amoris habuerat. Deus autem nonniſi verorum bonorum propoſitione animam aggrediens, eam cum perſeverantiâ devincit, cumque ad illam cum ſolâ veritate accedat, tantùm abeſt ut ipſam amoveat experientiâ, ut potius confirmet ampliùs in poſſeſſione boni quô potitur. Ad hæc adjice, quòd Dæmon bonum ſolummodò exterius proponit, neque intromitit delectationem, uti facit Deus, qui non tantum

tum

Digitized by Google

tùm objicit bonum quod nobis placet, at ipſe in voluntatem noſtram voluptatem & delectationem immittit: quamobrem gratia vocatur delectatio, quæ ab effectu nominatur victrix, propter conſenſum qui eam ſemper inſequitur. Et hinc habemus quo differat gratiâ efficax à ſufficienti: certè non in poteſtate agendi: nam utraque æqualiter reddit potentem, & fortè aliquando plus potentem reddit ſufficiens, quàm efficax; quia in entitate aut eſt major illuminatio, aut vehementior impulſus: ſed propter convenientiam una plus trahit, quàm alia & ex tractione, & iſtâ convenientiâ fit ut habeat effectum, & ſit efficax, hoc eſt ut obtineat conſenſum, unde dicitur victrix delectatio, nam ejus victoria provenit ex delectatione. Gratia itaque ſpectanda eſt ſecundùm vim duplicem; unam phyſicam, & alteram moralem: phyſica eſt in entitate, moralis eſt in delectatione, & attractione: Vis phyſica facit voluntatem ſimpliciter potentem: moralis facit ut voluntas actualiter agat: Certè prima non neceſſitat, quia ſimpliciter facit potentem: neque etiam ſecunda, quia tantùm delectat: ſed delectando perſuadet, & obtinet conſenſum: cùm ergo delectando obtineat, non facit, neceſſitando: Vide itaque ſuavem potentiam & ſuavem violentiam, quia voluntatem inducit, ut velit, & certò velit.

Verùm redeamus ad Diſcipulos noſtros, & ad quartum ſubſidium, quartamque Dei operationem in animas progrediamur.

IV. Igitur loco, Salvator mundi duos illos Diſcipulos, paulatim diſpoſuit eodem modò, ac agentia naturalia, ſolent agere, quæ priùs materiam ſubjectaque diſponunt, quàm in ea formam inducant. Non itaque primo aggreſſu ſe illis manifeſtat, ſed eos ad ſui manifeſtationem & fidem diſpoſuit: proinde initio eorum oculos tenuit ne illum agnoſcerent, ut eorum fidem exploraret: noluit ſiquidem niſi à credentibus agnoſci, ut ſemper verum eſſet quod dixit Eſaias: *Niſi credideritis non intelligetis:* ſic eorum oculos tenuit, dùm de ejus reſurrectione dubitarent, dùm diſputarent: aperuit autem cùm explicatis Scripturis crediderunt. Si ſtatim aperuiſſet, fides meritum non habuiſſet: ſed ſe occuluit, ut fides meritum haberet: alioqui ſi ante fidem eorum ſe oſtendiſſet, etiamſi vultus formam vidiſſent, ipſum eſſe illum fortaſſe non credidiſſent, ſed ſuis oculis illuſum crèdidiſſent, quod alijs Diſcipulis contigit, qui cùm eum vidiſſent, Spiritum eſſe putaverunt. Vide autem quot modis eos diſpoſuerit.

Primò, quidem præbuit ipſis cauſas pleraſque ac occaſiones, unde inſtrui poſſent, & doceri quod ad fidei ſuæ veritatem ab ijs ſciri plurimum intererat. Quapropter appropinquans illos interrogavit de colloquio ac diſpoſitione animi, cujus indicia vultus eorum præferebat. *Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad invicem, & eſtis triſtes?* Sciebat quid loquerentur; ſed indicat ſe cum illos eſſet aſſecutus, eorum inaudiſſe ſermones: propterea rogat, ut inde cauſam accipiat de ſuâ reſurrectione loquendi: idcircò addit, *& eſtis triſtes*, ut eorum ulcus tangat. Ita & tu in animorum venatione & curâ, ne fingas te nimium ſcire, ſed ne etiam, nimis eſſe ignarum: nam ſi nimis oſtendas te ſcire, diſplicebis; eſt quippe quædam ſua docendi voluptas: ſi te nihil prorſus ſcire oſtendas, ipſi ſe ſibi ſervabunt integros, nec ſe, niſi datâ aliquâ occaſione aperient: da occaſionem, ut ſua dicant, ut ſua aperiant. Quoddam eſt delectationis genus communicare ſe invicem, quia proprium eſt amicorum ſic agere eâque declaratione animi monſtratur fiducia, unde naſcitur quædam obligatio, quæ deinceps

mutua evadit. Sed maximè in eò refert ut ſibi viciſſim patefaciant ea quæ magis animum afficiunt, & quæ moleſtiora ſunt pluſque doloris important, ut ijs remedium afferant. At cùm illorum reſponſio ſatis obſcura eſſet ac involuta; neque ſat formalis & expreſſa; *Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa his diebus:* ſuppeditavit ipſis occaſionem eloquendi plura, mentemque funditùs explicandi: *Quibus ille dixit: Quæ:* contra decorum fuiſſet, ſi quod ſatis intelligebat, per ſe ipſe enarraſſet: maluit itaque interrogare, ut magis incitaret ad narrandum: Plus enim proficit ut ſe quiſque aperiat, quàm ſi verba occupet & divinando præveniat.

2. Eos diſpoſuit objurgatione & reprehenſione. Cùm enim eos cor ſuum aperuiſſe vidit, tunc eos graviùs percellit atque objurgat: *ô ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ.* Objurgatio initio facta nocuiſſet, nec benè fuiſſet accepta, ſed animus jam præparatus, & ſponte obligatus ab communicatione arcani, malique ſui manifeſtatione, reprehenſionem ultrò ſuſcipit ſuſtinetque patienter. Nimia pariter indulgentia noceret neque eſſet efficax. Itaque gravius fuerunt objurgandi, ut præcipuum impedimentum tolleretur. Etenim ut heri oſtendimus, præcipua cauſâ ſtabilitatis in errore, eſt vana quædam prudentiæ affectatio, quam in eo ponebant, ut ſe ad credendum difficiles præberent, ne ſtultitiæ ac imprudentiæ notam incurrerent, licet tot credendi occaſiones haberent: Unde ita eos objurgat, *ô ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ:* Id eſt non obſtantibus omnibus quæ Prophetæ locuti ſunt: oſtendendo in id eos incurrere, quod vitabant: nam cùm prudentes eſſe vellent, imprudentes, ac ſtulti facti ſunt: nimirùm ob tarditatem ad credendum, cùm tot teſtimonijs non crederent: ſiquidem ut verè loquamur, minimè levis eſt inſania, exiguique ingenij nota certiſſima eſt, confidere potius judicio ſuo vitijs & erroribus, fallaciæque obnoxio quàm Deo primæ veritati.

3. Illos diſpoſuit æmulatione, comparatione, atque exemplo, ijs declarans eſſe admodum turpe, probroſumque Diſcipulis Jeſu Chriſti, diſciplinâ ſuâ inſtitutis, id neſcire, & non credere de Magiſtro ſuo, quod audiebant ab extraneo & peregrino, qualem eſſe ipſum putabant, qui & ipſe illud exponebat & prædicabat. Sic Apoſtolus Paulus ad Rom. 11. poſtquam egit de gratiâ Gentibus factâ, & de Judæorum reprobatione, ait ſe ideò commendaſſe Gentium converſionem, & prædicationem illis factam, quam vocat ſuum miniſterium: *Quandiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quomodo ad æmulationem provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis:* Cùm enim viderunt Judæi hæreditatem & promiſſionem Abrahæ factam, à Gentibus accipi, æmulatione rei fidem ſuſcepere: Sic eoſdē olim Chriſtus provocabat, cùm diceret: *Meretrices & Publicani venient, & recumbent cum Abraham: Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Quàm ſæpè hæc ratio multos commovit, uti olim Auguſtinum, primò ad caſtitatem, cùm illi apparens ſub ſpecie Matronæ, innumeros greges oſtenderet, virorum, ac mulierum, juvenum, puerorum, juvencularum: Tu non poteris, quod illi, & iſtæ. 2. Ad rerum omnium contemptum: Sic ad Alipium ſermonem convertens? *Quid facimus, Alipi*, quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctri-

Digitized by Google

doctrinis noſtris, ſine corde, ecce ubi volutamur, in carne & ſanguine: Ut ſi nunc Chriſtianis objicerem barbarorum exempla recentia, qui tàm ferventer in Dei obſequio verſantur, cùm nos adeò frigidi ſimus in Dei obſequio: Ut ſi religioſos & Eccleſiaſticos ſæcularium exemplo percellerem, cùm iſti tàm multa faciant præ illis: Eò pertinet Jeremiæ querela cap. 2. *Tranſite ad inſulas Cethim, & videte: in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt hujuſmodi: ſi mutavit gens Deos ſuos, & certè ipſi non ſunt Dij: Populus verò meus mutavit gloriam ſuam in idolum:* quibus nihil vehementius ad motum dici poteſt.

4. Eos teſtimonio & auctoritate Prophetarum præparavit: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ:* quorum auctoritatem illis opponit, non ſuam; quia de ipſo Chriſto dubitabant, an vera dixiſſet, dùm ſe reſurrecturum toties pronuntiaſſet, & non erat argumenti loco ponendum, quod in quæſtione verſabatur. Ita Chriſtus Judæos convincebat: *Si Moyſi crederetis, crederetis forſitan & mihi; ipſe enim de me ſcripſit.* Accommodatas ſumit probationes, ne patiatur repulſam: quâ in re apparet victrix gratiæ progreſſus, quæ pervenit, quò tendit. Apparet item quàm aptè progrediatur, eâ nimirùm ratione, ut nemo poſſit effugere, cùm unumquemque ſibi ipſi opponat.

5. Redargutione & convictione, & refutatione: Ut enim illis omnem viam evadendi occluderet, hoc ipſum quod ſumebant, ut erroris occaſionem, & prætextum, illud ipſum ad eos refellendos convertit: quod facit illis verbis: *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Ex quâ enim ratione ſumebant dubitandi occaſionem, eâdem Chriſtus ipſorum dubitationi medetur: illi ſequidem non credebant reſurrecturum, aut verum eſſe Chriſtum, eum qui tàm ignominioſâ morte interemptus eſſet ab eis, quos erat liberaturus; cùm nihil ampliùs eſſet timendum ſperandumq; ab eo qui mortem obierat, omnibus morte finitis: Et Chriſtus eâdem ipſâ ratione eos credere oportere docet, ipſis declarans illud non accidiſſe ab eâ temeritatis licentiâ, quam Judæi adversùs ipſum ſibi arrogarant, ad exſaturandum odium ſuum, impotentiamque animi explendam; ſed ultrò ſe voluiſſe pati, ut in eo ſe Patris mandato legiq; obſequentiam præberet, & Prophetias adimpleret, quæ Chriſtum eſſe moriturum nunciabant: uti apud Eſaiam: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur:* quare eô ipsô quòd ſic eſſet occiſus à Judæis, credendum verum fuiſſe Chriſtum, cùm Prophetæ ita Chriſtum moriturum prædixiſſent: unde ſubdidit: *Nonne oportuit Chriſtum pati?* Quod autem dixit, oportuiſſe, non intelligas abſolutè; ſed ſuppoſitâ Prophetarum prædictione; quæ ſecuta eſt ordinationem Dei, qui ſic voluit mundum redimere, & non aliter, ſtupendô planè conſiliô: Et quia deſperant de Redemptione Iſraël, propterea meminit gloriæ, ſecundùm illud: *Et ita intrare in gloriam ſuā;* ut ſpem illis erigat futuri regni, de quô deſperaſſe videbantur: Etenim redimere Iſraël, erat regnare, & gloria regnum ſignificat, & regiam Majeſtatem. Vide quid ſequatur.

V. Adjumentum. Iis ita diſpoſitis præmunitisque, & impedimentis omnibus eorum ex animo ſublatis, converſionem ipſorum propiùs aggreditur, ad quam majora, validioraque ſubſidia adhibet, utens duobus gratiæ generibus, quæ potentiora ſunt & efficaciora, quorum unum ſpectat intellectum, alterum voluntatem. Quoad intellectum, replet eum claritate ac notitiâ, officium magiſtri erga illos præſtans,

eosque abundanter edocens. Quia verò eos reprehenderat, quòd fidem Scripturis ſanctis non adhibuiſſent, ne videretur eos perperàm culpaſſe, facit ut id reipsâ & effectu cognoſcant, experientiamque ipſis ſubjicit: *Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Totum intelligit vetus Teſtamentum more Hebræorum, ut ſcias totam Scripturam loqui Chriſtum, etiam ſi aliquando non animadvertamus: ubique eſt, ſed alicubi apparet, & alibi latet. Quoniam verò ſæpè loca ſunt obſcura, ideò etiam illis exponit, ſecundùm illud: *Interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Oſtendens quomodo ipſi convenirent. Utinam ea loca dixiſſent Evangeliſtæ: nam præter obvia, probabile eſt multa alia attuliſſe. Sic enim; quis ex Adami, & Evæ formatione, matrimonii indiſſolubilitatem collegiſſet? Quis ex loco illo Exodi, *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob,* Reſurrectionem mortuorum probaſſet? Quod ad voluntatem attinet, illos usque adeò permovit, tantoque accendit ardore, ut illud fateri coacti ſint: unde dixerunt ad invicem: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?* Intelligunt Chriſtô agnitô, quod ante non intelligebant; unde natus eſſet ardor ille, quem in viâ, illo loquente ſenſerant. Hinc enim patet præter verbum externum, ſolitum eſſe Chriſtum interiùs animos, uti vellet, commovere, quod cum aliis hominibus non habuit commune, quodque in ſe factum fuiſſe hi duo Diſcipuli cognoverunt. Et quidem cùm duæ ſint operationes gratiæ in animâ, una in intellectu, altera in voluntate: ut ſecunda eſſe non poteſt ſine primâ; ita prima ſine ſecundâ, inutilis eſt. Ex his itaque quæ experti ſunt, in eô ſe confirmant quòd Chriſtus eſſet: neque enim præter ipſum alia eſſe potuit cauſa, cur in viâ, eô loquente, eorum animus tantopere inflammaretur. Ita nos ſolemus res quas jam fide, & certâ experientiâ credimus, probabilibus rationibus confirmare. Poteſt etiam in illis verbis eſſe admiratio, quòd cauſam ardoris jam intelligerent, quam ipſi priùs neſciviſſent.

VI° Verùm quia præter gratiam prævenientem & concomitantem neceſſaria quoque eſt gratia ſubſequens, ſecundùm illud Davidis Pſal. 22. *Et miſericordia tua ſubſequetur me*: & quia Deus non tantùm dat velle, ſed etiam dat perficere: per illam autem gratiam dat occaſiones & commoditates bonorum operum, quibus propiùs diſponimur ad juſtificationem, ait Concilium Trident. & ad majorem illuminationem, ſicut ajebat Chriſtus Joan. 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrinâ, utrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar:* Propterea duobus Diſcipulis commodam dedit occaſionem boni operis: *Et appropinquaverunt caſtello, quò ibant, & finxit ſe longiùs ire:* quia & tentandi, & ampliùs docendi erant. Eâ autem ratione præbuit illis occaſionem faciendæ hoſpitalitatis, quam ipſi ex animo exercuerunt, usque ad coactionem, & verbis, & precibus præſtitam. Porrò in eâ fictione Chriſtus non eſt mentitus, ſed eorum opinionem ſecutus eſt, qui peregrinum putabant, & ultrà pergere debere. Deinde fecit, quod facere omnes ſolent, ne videantur inurbani, & ſeipſos invitare, & ultrò offerre. Denique non finxit ſe nolle manere; ſed volebat invitari, & quodammodo cogi, ac niſi ipſi facerent, etiam ultrà pergere: itaque cùm remanere nollet niſi coactus, oſtendit ſe pergere velle: manere tamen volebat, ſed invitatus. Vide interim progreſſum ad fidem: nam poſt ſublata impedimenta, & introductis variis diſpoſitionibus, intellectus illu-

Digitized by Google

illuminatur per doctrinam exteriùs propoſitam, & interiùs manifeſtatam: eò enim pertinuit Scripturarum interpretatio: poſt intellectus illuminationem cor accenditur, ac movetur voluntas poſt voluntatem accenſam fiunt opera imperfecta, nec dùm plena: ſed vide quid ſequatur.

VII. Extremam adhibet manum, & opus ſuum abſolvit, effectione Sacramentorum, ejusque imprimis quod aliorum complementum eſt: ita enim Sanctus Dionyſius divinam Euchariſtiam appellat. *Et factum eſt dùm recumberet cum eis:* Græca habent, recubuiſſet, id eſt, cœnaſſet, nempe in fine cœnæ, *accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis:* Quæ verba ſatis oſtendunt Euchariſtiæ confectionem, & diſtributionem, & ita Patres intelligunt: *Et aperti ſunt oculi eorum*, nempe ſublato impedimento, & emiſſis propriis ſpeciebus in eorum oculos; *Et cognoverunt eum:* Nempe Euchariſtiæ ſumptionem, ſecutum eſt continuò miraculum, agnitionis Chriſti, quem in viâ, ex voce, ex doctrinâ, ex docendi modô, ex lineamentis vultûs toto cœnæ tempore non agnoverant, tantùm habet virtutis & efficaciæ participatio divini Sacramenti, gratiæque omnium ſupremæ communicatio, quam ideò Græci nominant αὐτόχαριν: eaque Diſcipulorum duorum converſionem perfecit.

VIII. At videte conſummationem mirabilis illius converſionis; videte ab effectu qui ſecutus eſt. Cunctatione omni objectâ, redeunt ad unitatem Eccleſiæ: *Et ſurgentes, eâdem hora regreſſi ſunt in Jeruſalem*, in Jeruſalem, ubi viſio pacis: *Et invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipſis erant.* Hîc habes veras germanæ Eccleſiæ notas. Atque ut ſcias quæ ibi veritates prædicentur: *Dicentes, quod ſurrexit Dominus verè*, id eſt, certò; utque intelligas hujus confeſſionis ſtabilimentum; *Et apparuit Simoni:* nempe poſt Petri teſtimonium, nulla eſſe poteſt dubitatio. Factâ autem eorum ad fidei veritatem, & Eccleſiæ unitatem reductione, ſequitur tanti boni communicatio: *Et ipſi narrabant quæ geſta erant in viâ, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Ex quibus omnibus patet quomodo bonus paſtor duas oves errantes, & jam jam perituras, & ad ſe, & ad ovile, hoc eſt ad Eccleſiam reduxerit ab errore.

Conculuſio. Ex univerſo hoc ſermone diſcimus, quot artificiis machiniſque reducitur anima ad veritatem, ſi in errorem prolapſa eſt, aut ad gratiam, ſi peccato ſe ſe implicuit. Et nos tantâ facilitate utramque deſerimus, atque deperdimus. An putas ſi ſemper erraveris, idem tibi bonus ille Paſtor ſemper præſtabit? Hoc aliquis inſignis peccator dixerit: *Ego erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum:* Ideòne te ſemper requiret, ſi toties reductus, errare iterùm volueris? Quàm multi in primâ aberratione ſinuntur perire? Quàm multi in ſecundâ? Quàm multi in tertiâ? Tu quoties reductus es? Num pudet ita Dominum fatigare? Scito duplicis generis eſſe exempla, quædam miſericordiæ, quædam juſtitiæ: Tu toties expertus miſericordiam, time ne te Deus faciat exemplum juſtitiæ. Sed quia miſericordiæ tempus prorogatum eſt, illô utere, redi ad Deum, redi in Jeruſalem, redi ad undecim. Audi teſtimonium Simonis, & crede. Tùm vive ut credis, tùm ſpera ut vixeris. Veniet hora, cùm fides tua vertetur in viſionem, & ſpes in fruitionem, in gloriâ cœleſti. Amen.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA IN ALBIS,
CONCIO
DE RESVRRECTIONE.

Religionem Chriſtianam & virtutis cultum in Fide Reſurrectionis fundari.

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ioan. 20.

DIFFICILE eſt ſtatuere ac decidere, utra duarum rerum plus juverit ad nos in fide Reſurrectionis ſtabiliendos, infidelitaſne an fides S. Thomæ. Nam ejus infidelitatem, pertinaciamque in minimè credendo profuiſſe nobis ad fidem, ediſcimus ex S. Gregorio homil. 6. in Evang. Plus nobis Thomæ infidelitas, ad fidem, quam fides credentium Diſcipulorum profuit. Ampliùs aliquid Haymo dicit; Plus nobis profuit dubitatio Thomæ, quàm certiſſima fides Mariæ: hanc enim protervi homines ſuſpectam dicerent: illam ipſi adverſarij, incorruptam judicarent: Aliunde verò dubitare nemo poteſt quin illius fides confeſſioq; nobis plurimum profuerint: *Dominus meus, & Deus meus:* nemo enim ante illum tàm explicitè Chriſti divinitatem fuerat confeſſus. Ad hæc cùm fidei doctrinam ab Apoſtolis acceperimus (illi enim fuerunt Magiſtri noſtri) à S. Thoma præcipuè Reſurrectionis fidem accepimus. Nam ex S. Auguſtino ſerm. 115. cùm Apoſtoli ad prædicandum Dei Evangelium in totum orbem dividendi eſſent, omnes fidei articulos in Symbolum contulere: ſed cùm ſinguli ſuos conferrent, D. Thomas pro ſuô, illum contulit qui eſt de Chriſti Reſurrectione. Tertia die reſurrexit à mortuis. Verùm propoſitam difficultatem ſic dirimamus, ut dicamus, ex S. Thomæ infidelitate ſimul ac fide, majorem extitiſſe fidem noſtram: ex fide inquam ipſius, quàm infidelitas præceſſerat, & ex ejus infidelitate quam tanta fides ſecuta eſt: eò enim major fuit prædicantis authoritas, & fides prædicationis, quò major fuerat prædicantis infidelitas, & credendi difficultas. Nam quis inimico non crederet, ipſam quam negaverat veritatem confitenti? Sic Paulus ad Galat. 1. fidem conciliat ſuæ prædicationis, ex iis quæ geſſerat ante ſuam converſionem: *Audiſtis enim converſationem meam in Iudaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei,*

Digitized by Google

Dei, & expugnabam illam, &c. cùm autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut Evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni & ſanguini. Certè ex utroque nos proficiemus, & fidem noſtram ſtabiliemus: ut autem illud faciamus, utiliter gratiam depoſcamus à cœlo. Ave Maria.

MYSTERIIS noſtris proprium eſt, inquit S. Joan. Chryſoſt. ut ſicut ea nequimus cogitationibus noſtris comprehendere; ita nec eadem noſtris ſermonibus exhaurire poſſimus: quemamodum nullus vaſtam aëris immenſitatem conſumere poteſt ſpirando, ut ait S. Gregor. Naz. quâ de causâ Iſaias Christum Dominum βαθυφῶνον appellat hoc eſt profundi ſermonis & ſenſus, & in Scripturis ſanctis βαθυφωνίαν ſeu tantam profunditatem agnoſcimus, ut quò plura dicuntur, eò plura ſuperſint dicenda. Itaque licet jam plurima de Reſurrectione à nobis tractata ſint, quia tamen tempus præſens non ſinit nos de aliâ re loqui, & aliundè quæ adhuc dici poſſunt penè infinita ſunt; pauca hîc iterum ſubjicere mihi mens eſt, quibus poſtremò vos alloquor, ſi me auditis patienter.

Et ut dictis dicenda connectam, duo in præcedentibus Concionibus à me dicta ſunt: Primum fuit, ex myſterijs noſtris nullum eſſe quòd plures habuerit probationes; evidentias, ac demonſtrationes, quàm myſterium Reſurrectionis: quod à nobis probatum eſt. 1. Quia Chriſtus omnem dubitationem removit: 2. Quia omnis generis teſtimonia dedit, quæ à cœlis & à terra haberi poſſunt: & præter ejuſmodi teſtimonia, id omnibus etiam ſignis, & argumentis confirmavit. Teſtificatus eſt authoritate ac probationibus. Illam è S. Scripturis & prædictione ſua petivit: *Hæc ſunt quæ locutus ſum vobis, cùm eſſem vobiſcū.* Probationes verò, quæ ſigna dicuntur, ſumpſit ex corpore, quod exhibuit, porrexitque tangendum; ex anima, ratiocinando cum illis, eos inſtruendo ac docendo; ex Divinitate, varijs miraculis in prodigioſa piſcium captura, in Aſcenſione ſua mirabili, in miſſione Spiritus Sancti 3. Quia & ex præteritis & ex præſentibus, ſic hominum mentes ad fidem reſurrectionis diſpoſuit, ut nemo rationis capax impoſſibilem hominum reſurrectionem judicare potuerit, & conſequenter nemo de Chriſti Reſurrectione, ex rei ipſius difficultate, aut impoſſibilitate, dubitare. Alterùm quod à nobis dictum eſt, hoc eſt: Id non ſine admirabili Dei providentiâ factum fuiſſe: rationem dedimus. Quia omnis Chriſtiana Religio, huic potiſſimùm myſterio innixa eſt: Etenim Chriſtiana Religio duo potiſſimum ſpectat, cognitionem & opus: hoc eſt. Quid credere, & Quid agere debeamus: Unum pertinet ad ſimplicem notitiam, ſeu ad ſpeculationem, Alterum, ad ens morale: Utrumque autem maximè innititur fidei reſurrectionis.

Quæ pertinent ad cognitionem uno verbo perſtringo; eaque dico ſpectare reſurrectionem.

1. Quia cùm reſurrectio, ſit terminus eorum quæ de Chriſto dicta ſunt, ultimum judicium eſt eorum quæ ad ipſum ſpectant, ſecundum illud: *& in fine hominis, denudatio operum illius:*

2. Cùm ſumma fidei noſtræ ſit credere Chriſtum fuiſſe Deum, cùmque ejus divinitas probetur potiſſimùm per ipſius reſurrectionem ab ipſomet factam; relinquitur ipſam eſſe ſummam fidei.

3. Quia ſi ut ait Apoſtolus 1. ad Cor. 15 *Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.* Quia

&in fide reſurrectionis conferebatur baptiſmus; & ex ceremoniâ baptiſmi, non ſolùm per ipſum, conſepulti ſumus cum Chriſto, ſed etiam per emerſionem ex aquis, reſurrectionem exprimimus. ad Rom. 6. *Quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* 1. Coloſſ. 2. *Conſepulti ei in baptiſmo, in quô & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis.* Ex quibus ſequitur omnem fidem noſtram inniti fidei reſurrectionis, & conſequenter quæcunque ſpectant cognitionem in noſtrâ religione, ea omnia ſpectare reſurrectionem, in quâ quæ à nobis credenda ſunt continentur.

Jam idem nobis oſtendendum eſt de his quæ pertinent ad Opus, & Ens Morale: quod ut clariùs, & faciliùs fiat.

Adverte in Ente Morali tria tantum ſpectari poſſe: Primum eſt, Finis: Secundum, Media: Tertium, Principia directionis, quæ nihil aliud ſunt, quam præcepta quibus ad finem pervenitur. Ratio horum omnium eſt: Quia ſicut in ſpeculativis, prima principia, eò quod ſunt per ſe nota, ſunt origo totius cognitionis; ita in practicis, finis habet locum primorum principiorum, quia eſt origo omnis motus, hoc eſt intentionis ſeu deſiderij efficacis, electionis, & actionis; ut qui ſemper præſupponitur in ente morali, id primum eſt. Jam quoniam in practicis, non ſpectatur finis, tàm ut cognoſcatur, quam ut acquiratur; & quoniam per ſe non attingitur, nec acquiritur, ſed per motum: cùmque aliunde omnis motus fiat per medium hinc ſequitur ut, ens morale, non tantum finem complectatur, ſed etiam media, quibus ad finem pervenitur. Verùm quoniam media non ſunt per ſe bona, ſed quatenus tantum ad finem, qui bonus eſt, diriguntur: hinc enim fiunt apta media, in qua aptitudine conſiſtit eorum bonitas: & quoniam omnis directio, ut conſtanter fiat, indiget arte: nam & ſi fieri poſſit ut quis caſu ſcopum ſagittâ attingat, nemo tamen id poteſt conſtanter facere ſine arte: cùm autem omnis ars conſtet quibuſdam præceptis, & principijs: illa enim præcepta, aut componunt artem, aut ſunt ejus regulæ: hinc fit, ut ens morale, tertiò cõplectatur principia directionis, ſeu præcepta quibus ad finem, & tenditur, & pervenitur. Itaque bene ſequitur quod diximus illud idem ens morale, tribus conſtare, nempe Fine, Medijs, & Præceptis: quæ tria, & conſequenter omne ens morale, in fide reſurrectionis fundari oſtendo.

Incipiamus à Fine, quo nomine, illud intelligo, in quod tenditur, & ad quod cum quis pervenerit, in eo ſiſtit, ac quieſcit: hoc enim propriè finem appellamus cum hîc non loquamur, de fine qui ſit finis deſitionis, ſed de eo qui ſit finis acquiſitionis: alius quippe eſt finis (ait Auguſtinus) perficiens; alius eſt interficiens: & hic ut dixi, non eum finem intelligo, quô res finiuntur, ſed quô abſolvuntur; non quô deſinunt, ſed quô perficiuntur. Ille autem finis, non eſt aut vita præſens, aut aliquid quod eſt in vitâ præſenti. Etenim in eâ non ſiſtitur, ſed pergitur ulterius, juxta illud Apoſtoli ad Heb. 13 *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*: Unde cap 11. ait veteres Patres. hoc eſt Abraham, Iſaac, & Jacob, confeſſos eſſe, *quia peregrini, & hoſpites eſſent ſuper terram* Ad hæc tota hæc vita præſens habet rationem viæ: itaque ſemper in ea ſit progreſſus, &

nullus

Digitized by Google

nullus unquam ſtatus. Denique cum ſit tempus meriti, neceſſe eſt ut habeat rationem medij: nam meritum aliud meretur, & ita per illud in aliud tenditur: dicit enim ordinem ad mercedem. Relinquitur itaque ut vita futura habeat rationem finis, unde in ea nulla eſt mutatio, ſed æternitas & immutabilitas.

Cæterùm tota vitæ futuræ conſideratio, ad tria capita refertur; ad expectationem poſtremi Iudicij; ad æſtimationem Paradiſi; & ad Inferni timorem: quæ tria pro fundamento Reſurrectionem corporum habent.

Quoad judicium attinet vera eſt doctrina Tertulliani lib. de Reſurrect. carnis cap. 15. Hæc eſt cauſa tota, immò neceſſitas Reſurrectionis, congruentiſſima ſcilicet Deo, deſtinatio judicii. Ratio eſt, quia non alia de cauſâ fit Reſurrectio, niſi ut ſecundũ Apoſtolum 2. ad Cor. 5. *Referat unuſquiſque propria corporis pro-ut geſſit, ſive bonum, ſive malum:* Nam ut ait Tertull. loc. cit. Qualis vixerit, talis debet judicari, quia de eo quod vixerit, habet judicari, vita enim cauſa eſt judicii. Cùm itaque non ſola anima egerit, ſed etiam corpus, propterea non ſola, vel præmio, vel ſupplicio afficienda eſt, ſed & illud cum eâ. Tertull. loquens de animâ agente in corpore ſic ait cap. 16. Nunquam anima ſine carne eſt, quandiu in carne. Nihil non cum illâ agit, ſine quâ non eſt: Sed addo de animâ extra corpus, quòd licet ſine corpore eſſe poſſit, ſemper tamen corpus depoſcat: non poſſit autem ſemper eſſe in ſtatu violento: unde qui Reſurrectionem negat, animam etiam perire, dicat oportet: iſta enim ſunt connexa; Deum eſſe, & eſſe juſtum; juſtum eſſe, & dari judicium; dari judicium, & animam eſſe immortalem; animam eſſe immortalem & iterùm jungendam corpori; itaque futuram corporum Reſurrectionem. Ad hæc; ſicut quod ſit futurum judicium, pertinet ad Dei juſtitiam; ita etiam quod ſit futura Reſurrectio; ut nihil maneat, aut ſine præmio, aut ſine pœnâ debitâ: ſæpè enim hic corpus patitur pœnam immeritam, ſæpè hic voluptates habet, quas non meretur: itaque alibi hæc inæqualitas compenſanda eſt. Quid dicam quod multi impij gaudeant corpore pulcherrimo, maximè ſano, & perfecto Contrà, multi juſti ſine culpâ habent deforme corpus, mutilum, infirmum, debile: oportet igitur ut hæc inæqualitas aliquando tollatur, nimirum in Reſurrectione, in quâ, ut ait Apoſtolus: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Accedit eò quod non poteſt eſſe judicium, niſi rei ſiſtantur Iudici: cùm ergo, huic judicio, Chriſtus præſideat, in quantum homo, & ut homo faciat judicium ſenſibile; oportebit, ut rei ſiſtantur ſenſibiliter ante Iudicem; quod non poteſt fieri, niſi per Reſurrectionem.

Jam quod pertinet ad Beatitudinem quæ propriè finis eſt noſter, quotuſquiſque eſt, qui cum audierit in ſolâ viſione Dei eſſe poſitam, uti revera eſt, eam ſatis æſtimet; pauci enim exiſtimant ſe beatos futuros eſſe videndo. Sed ubi quis audierit quod dixit Apoſtolus 1. ad Cor. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale:* Et illud Apocal. 21. *Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt:* ubi, inquam, quis hæc audierit, ſtatim totus animo incaleſcit;

Digitized by Google

leſcit; neque ullus eſt qui beatitudinem votis omnibus non expetat. Hæc autem omnia, neque eſſe, neque expectari poſſunt, ſi non ſit Reſurrectio. Ad hæc, licet inchoata beatitudo, ſit in animâ, etiam ante Reſurrectionem, nondum tamen eſt conſummata, niſi corpore glorificato, quod fit per Reſurrectionem, ſecundùm illud Apoſtoli ad Hebr. 11. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut ſine nobis conſummarentur.*

Denique dixi etiam fundari in Reſurrectione æſtimationem æternitatis in pœnis, & futuræ vitæ timorem. Nam cùm homines in hac vitâ non ſatis æſtiment pœnam damni, & privationem beatitudinis eſſentialis, cùmque ob ſtupiditatem non ſatis æſtiment animorum cruciatus, qui tamen ſunt omnium maximi: certè plurimum terrentur ſupplicijs corporeis, fame, ſiti, carcere, tenebris, vinculis, igne cruciante, clamoribus, terroribus, & alijs; quæ tantùm per Reſurrectionem corporum debent exiſtere. Quis enim non exhorreſcat, ſi cogitet ferendos ſibi ignes æternos in omnibus partibus internis, & externis ſui corporis; in oculis, in totâ carne, in nervis, in viſceribus; idque, ſine requie, die, ac nocte, idque, totam æternitatem; cùm tamen non liceat minimâ corporis partem movere. Multi ſunt qui percipere non poſſunt modum quô animæ in flammis poſſunt torqueri: Sed nemo eſt ita ſtupidus, qui non facile intelligat corpora cruciari in flammis: Ita Gregor. Nyſſen. docuit hiſtoriam divitis Epulonis reſpicere tempus Reſurrectionis, quando ſicut vera erit lingua, vera ſitis, & verum corpus, ita & verum erit incendium, & verus dolor, *quia crucior in hac flammâ.* Itaque ex Reſurrectione, verè æſtimari poteſt qualitas, & duratio æternitatis: Et ſicut pueri metu caſtigationis, ſeſe à malis cohibent, & ad ſtudia ſe promovent; ita frænum potentiſſimum quô ſe homines retinent, atque inhibent eſt cogitatio æternorum ſuppliciorum, quorum fides in Reſurrectione fundatur. Quis enim tantis ſupplicijs brevem ac volucrem voluptatem emere velit; Quis ſe tantis doloribus ob rem adeò contemptibilem exponere?

E contrario vero ex negatione Reſurrectionis, ſequitur negatio alterius vitæ, & concluſio quam ex tali antecedente deducunt impij: teſte Apoſtolo 1. ad Cor. 15. *Si mortui non reſurgunt, manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Si enim poſt hanc vitam nihil ſupereſt, quid deinceps ſperare poſſumus, cùm iſta præterierint; Eodem pertinet quod dixit Apoſtolus eodem capite, *Si in hac tantum vita ſperantes eſſemus, certè miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus,* quia bonis omnibus privaremur, & in hâc vitâ, & in alterâ, unde conſtat, cùm futurorum tantum ſit ſpes, omnem ſpem concidere ex negatione Reſurrectionis: adeò verùm eſt quo dixi omne futurum in eo fundari. Et hæc de fine dicta ſufficiant. Iam ſequitur ut agamus de Medijs.

Adverte in rebus Phyſicis, & naturalibus, aliter finem acquiri, quàm in moralibus: in illis enim immediatè acquiritur per media: in moralibus autem ferè ſemper ab aliô datur, ut phyſicè poſſideatur; & poſſidente, ſeu ab accipiente acquiritur moraliter, ſcilicet merendo, & movendo alium, ut phyſicè donet: Quare cùm agamus de ente morali, cujus finis eſt beatitudo, certè media quibus ad illam perducimur, ſunt merita, & conſequenter virtutes quas in fide Reſurrectionis præcipuè fundari aſſero: Et ex hac doctrinâ naſcitur ſequens.

II. Propoſitio: Fides Reſurrectionis fundamentum eſt omnis virtutis, ſicut ejus negatio, omnis malitiæ, & iniquitati origo.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc ſufficeret dicere fidem Reſurrectionis fuiſſe in omnibus Juſtis, negationem in Impiis. Cùm enim Dei cognitio naturaliter ex rebus creatis acquiri poſſit, atque ita Dei confeſſio, & bonis & malis eſſet communis, ſola Reſurrectionis fides manſit apud Juſtos, quod docet S. Paulus in illâ fidelium enumeratione ad Heb. 11. ubi docet fidem *Sanctorum*, potiſſimum enituiſſe in credendâ & ſperandâ Reſurrectione: quod etſi retulimus nuper, id iterum placet hîc adducere: Exemplum enim habes in Abele qui de alterâ vitâ diſſenſionem habuit cum Caino: unde Deo optima quæque obtulit, oſtendens ſe aliquid melius ſperare, quàm quod habebat in vitâ præſente, cùm ſe rebus melioribus privaret, per ſacrificium. Ita Enoch ſublatus eſt vivus, ut eſſet exemplum vitæ ſemper duraturæ. Noë ſalvus factus eſt ſperans poſt mundi abolitionem, ejuſdem reſtitutionem. Qualis Abraham in fide Reſurrectionis qui in eâ ſpe non dubitavit manus inferre filio? *Arbitrans* ait Paulus, *quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus*: De Joſepho (ait Apoſtolus) *fide Ioſeph moriens de profectione filiorum Iſraël memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandavit*, non quòd curaret de ſepulchro, quod in Ægypto magnificentiſſimum habere poterat, teſtes ſunt pyramides Ægypti, ſed propter fidem Reſurrectionis. De Moyſe ſcriptum eſt, cùm cæteri ex Ægypto auferrent vaſa aurea & argentea, & variam ſupp. llectilem, ipſum ſecum tantummodò tuliſſe oſſa Joſeph: certè ob ſolam fidem reſurrectionis; quid enim alioqui tanti faceret oſſa Juſti? Quid de Prophetis loquar, quid de loco ubi ſepelirentur, curaverunt? Quid de oſſibus Eliſæi, quæ poſt mortem prophetaverunt? Quid de ſanctis Regibus, ac Ducibus populi? Quid de fortiſſimis Machabæis? Quid de ſeptem fratribus, qui in ſuis certaminibus, ſolâ ſpe reſurrectionis, ſe animarunt, vitamque ſuam, & ſui corporis membra neglexerunt? Audi ſecundum: *Tu quidem ſceleſtiſſime, in præſenti vitâ nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos, pro ſuis legibus, in æterna vita reſurrectione ſuſcitabit.* Audi 3. qui juſſus dare linguam & manus, ut amputarentur: *E cælo*, inquit, *iſta poſſideo, ſed propter Dei leges, nunc hæc ipſa deſpicio quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.* Et quid aliud Quartus? *potius eſt*, ait, *ab hominibus morti datos, ſpem expectare à Deo, iterum ab ipsô reſuſcitandos.* Impii verò tàm Ethnici, quàm hæretici, & prophani ſapientes paſſim reſurrectioni detraxerunt, exiſtimantes hominem ſecundùm ſe totum perire: & ideò illi apud Salomonem, *non eſt reverſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt.* Sicque patet ex eventu, fidem reſurrectionis ſequi virtutem, & contra, reſurrectionis negationem, omnis malitiæ & iniquitatis eſſe originem. Sed idem ratione probemus.

Cùm ex virtutibus aliæ ſint Theologicæ, aliæ Morales; Theologicæ certè ex fide reſurrectionis perficiuntur. Fides quidē, Quia *ſi Chriſtus non reſurrexit vana eſt fides veſtra.* Ad hæc: Quia in Chriſti reſurrectione inſtaurantur omnia fidei noſtræ myſteria. Spes autem quia conſummatam beatitudinē reſpicit, cujus conſummatio eſt reſurrectio. Charitas denique; Quia reſurrectio, objectum nobis exhibet ſpirituale, & immortale: unde Apoſtolus, 2. ad Cor. 5. *Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*: nempe mortalem, neq; infirmitatibus noſtris obnoxium: unde myſteria reſurrectionis pertinent ad vitā unitivā; nec non niſi lætitiā, gaudiū, & admirationē continent-

Digitized by Google

Jam virtutes morales ferè ſpectant aut corpus, aut res externas, quæ ſunt corporeæ: Juſtitia bona externa; Temperantia corporis voluptates; Fortitudo corporis incommoda, mortem, tormenta, dolores, & cætera ejusmodi. Uti igitur vel bona ſpectari poſſunt, vel mala; ita quæcunque peccantur, vel ex cupiditate, vel ex timore ortum habent: eſt enim bonorum, uti putantur, cupiditas, & eſt malorum, uti creduntur, timor: Sed utrumque ſenſum, fides Reſurrectionis moderatur, ac regit.

Etenim 1. in reſurrectionis expectatione fundatur neglectus vitæ præſentis, divitiarum, dignitatum, honoris: nam qui majora expectat, facilè minora negligit, nec eſt qui ſe temporaliter velit eſſe beatum, cùm poſſit ſempiternè: nec facile parvo contentus eſt, qui magna poſſidere poteſt: itaque nec fugacia, nec fucata, nec vilia conſectatur, qui poteſt habere ſtabilia, vera, & maxima. Huncanimi ſenſum, vide in exemplo prorſus admirabili, quod nobis S. Paulus propoſuit ad Hebr. 11. *Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*: Hiſtoriam narrat Philo Judæus: Pharaoni unicam fuiſſe filiam, Thermut nomine, quæ diu nupta, cùm filiis careret, cumque in Nili fluvio puellum Moyſem in fiſcellâ poſitum inveniſſet, eleganti forma præditum; arte muliebri ſe gravidam eſſe finxit, & hunc ut filium ſuum ſuppoſuit, quem poſteà ut regni hæredem, in curiam introduxit. Alii dicunt ſic inventum adoptaſſe in filium, cùm liberis careret: quem ut ait S. Stephanus in Actis, erudivit in omni genere ſcientiarum. Sed Moyſes cùm per revelationem didiciſſet, ſe eſſe filium hominis Hebræi: *Negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*: Significanter dixit, negavit, ait S. Chryſoſt. hoc eſt, odit, averſatus eſt: *Magis eligens affligi cum populo Dei: quàm temporalis peccati habere jucunditatem*: Textus Græcus oſtendit legendum, quàm temporalem peccati habere jucunditatem: Peccatum vocat, ait Chryſoſt. non affligi cum aliis: Theodoretus, cum malis habere conſuetudinem: Exiſtimo, vocaſſe peccatum, ipſum regnum, quia difficile eſt in tantis deliciis, & in tantâ poteſtate eſſe innocentem. Vide itaque mirabilem animum Moſis; non tantum comparavit regnum, quod vocat temporalem peccati jucunditatem, cum cœlo, ſed cum ipsâ afflictione, quam prætulit: unde ſubdit, *Majores æſtimans divitias, theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*: Nam propter Chriſtum probris affici, melius exiſtimavit, quàm eſſe in quiete, & in remiſſione: Etenim Chriſtum, ut alii Prophetæ, vidit à longè, & ipſi conformari, meliùs duxit, quam regnare. Vide autem, quid ejus animum ſuſtentavit, *Aſpiciebat enim in remunerationem*: cœlo enim propoſito, ut ait Chryſoſt. erat ſupervacaneum admirari regiam Ægypti. Porrò remuneratio conſummatur reſurrectione; ad cujus intuitum, facilè omnia temporalia deſpiciuntur. Nam ut prætercam, quæcunque illa ſint, vix fieri poſſe ut ſine peccato poſſideantur, certè illud negari non poteſt, hanc qualemcunque jucunditatem eſſe temporalem. Ita decus Angliæ Thomas Morus, cùm in carcere à conjuge Aloyſia ſollicitaretur, ut Regi Henrico VIII. pareret, quædam injuſta præcipienti, quod magnis honoribus, ſi conſentiret, eſſet afficiendus; poſtquàm ab illaque reſpondiſſet, viginti: tum ſubjecit, illam peſſimam eſſe mercatricem, quæ tam exigui temporis ſpatium, æternitati præferret. Certè ſi dixit S. Hieronymus, illum facilè contemnere omnia, qui ſe cogitat moriturum, multò magis qui ſe reſurrecturum cogitat ad beatitudinem.

Econ-

Digitized by Google

E contrario verò ex negatione reſurrectionis ſequitur magna hujus vitæ æſtimatio: Etenim filii hujus ſæculi, & qui loquitur Jobus, *habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum*: cùm nihil aliud ſperent quàm quod habent in ſæculo, nihilque melius exiſtiment, quam quod in terris, eminere vident: ideò illa vehementer concupiſcunt, & omnibus modis procurant, utque ea emant quantumvis caduca, malunt res omnes alias amittere, fidem, virtutem, honeſtatem, &c. Nempe ut prophanus Eſaü nihil æſtimavit jus primogenituræ, ut haberet offam lentis; ita illi jus ad gloriam facilè amittunt, ut bonis iſtis fruantur. Eligunt enim potius hæc quæ vident, poſſidere; quàm alia quæ putant incerta, & dubia, conſectari. Vide utrumque ſenſum in multis hominibus hujus ſæculi; quorum alii, omnia relinquunt, ut paupertatem Chriſti ſequantur: alii verò conſcientiæ, fidei, & virtutibus vale dicunt, ut habeant bona externa. Scilicet quia illi pertinent ad futurum ſæculum, & credunt reſurrectionem: alii verò pertinent ad hoc ſæculum, & filii hujus ſæculi, nullam expectant redemptionem, *nec beatam ſpem, nec adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Alioqui alterum è duobus evenire neceſſe eſt, vel ut admodum, ſtupidi ſint, ut Chriſtianam reſurrectionem non ſperent, cùm hujus ſæculi rebus ita ſint affixi, quaſi nihil in alterâ vitâ ſperarent: vel ſi ſperent, liberaliſſimè inſaniant, & usque ad furorem, ut cùm aliam vitam credant, eamque æternam, nullam tamen de ipsâ curam habeant. Audi qualiter Deus unum ex illis increpet Lucæ 12 *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti cujus erunt? Si ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives*: Certè majorem ſtultitiam ego non novi, quam in re tam certâ, & tanti momenti cæcutire: Et quod majori admiratione me afficit, illud eſt, quod ejusmodi ſtultitiæ reprehenſio in eos cadat, qui in hoc ſæculo videntur eſſe prudentiſſimi, & oculatiſſimi, quibus id exprobrat Baruch cap. 3. *Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt, negotiatores terræ, & Theman, & fabulatores, & exquiſitores intelligentiæ, viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas ejus*: & id videmus quotidianâ experientiâ.

2. In reſurrectionis expectatione fundatur neglectus corporis, quoad pulchritudinem, & cultum, quoad victum, & voluptates: Nam fides reſurrectionis duplicem corporis ſtatum nos docet, unum præſentem, alterum futurum: unum in quô eſt maximum corporis dedecus, & abjectio; alterum in quô futurum eſt ſummum corporis decus, ſecundùm illud Apoſtoli ad 1. Cor. 15. *Seminatur enim in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*: in quibus verbis optimè duplex oſtenditur corporis ſtatus: in primo enim ſtatu oſtenditur 1. corruptio corporis: vide qualis ſit in vitâ, & poſteà qualis in morte: 2. notatur ejus ignobilitas & abjectio, ratione materiæ, & originis: 3. Infirmitas: quantis enim rebus indiget; ad hæc quantis malis eſt obnoxium; & quàm parùm reſiſtit, cùm ferè ſemper ſuccumbat? 4. Cùm dicitur animale, ſignificatur, nobis eſſe commune cum belluis, & ratione ſenſuum ferè eſſe illis inferius: porrò tota vita corporis eſt ſenſus. In altero verò ſtatu corporis, nempe in reſurrectione hæc reperiuntur; 1. Incorruptio, nempe impaſſibilitas, & immortalitas: 2. Gloria propter lumen, perſpicuitatem, & pulchritudinem: vide quanta ſit aſtrorum pulchritudo, & claritas: *Stella enim differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum*. 2. Virtus, quæ in eo conſiſtit,

ſiſtit, quod corpus in reſurrectione, nullâ re indigeat, omnibus rebus reſiſtat, ferro, igni, aquis, corporibus duris, tempori, ætati, durationi: 4. Quod ſpirituale vocetur, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm qualitates, habebit enim proprias Spirituum, ſecundùm modum exiſtendi, & modum operandi, ſeu ſe ſe movendi per agilitatem; & perfectè ſequetur motum animæ, ſine ullo impedimento: ad hæc, erit ſine limitatione locorum, temporis, & actionis. Verùm his duobus ſtatibus poſitis quos fides Reſurrectionis ſubjicit, docet etiam conſequenter præſentem eſſe negligendum, & futurum ſummô ſtudiô quærendum.

1. Enim quænam eſt hujus ſtatus corporis pulchritudo, quàm inanis, quàm brevis, quàm fragilis & imperfecta, quàm tibi & aliis periculoſa? & quàm in alterâ vitâ vindicatur ſi malus ejus uſus fuerit? Sed cogita pulchritudinem corporum poſt Reſurrectionem, quanta ſit, cujus ſplendoris, cujus firmitatis. Hinc quàm multæ formoſæ ſuam pulchritudinem non modò neglexerunt, ſed etiam detriverunt, & modis omnibus vexarunt, ut futuram illam augerent?

2. Quàm incongruè laboras in hoc ornando corpore, quod uti nunc eſt, ſentina putredinis exiſtit, quod S. Greg. Nyſſ. appellat ἰσμῆς ἐργαςήριον tetri odoris officinam, Bernard. ſaccum ſtercorum, vermium cibum, cujus te magis pudere debeat, quàm de eo gloriari?

3. Quid ejus voluptates, & deliciæ quæruntur, ſi cogites moriturum aliquando corpus, ſi cogites arſurum in flammis, & intolerandis ſuppliciis præteritas delicias compenſaturum? Cogita divitem Epulonem, propter byſſum, & purpuram, ſepultum in inferno; propter epulas quotidianas ſiti excruciatum. Quid igitur tuo corpori bene eſſe vis iſto tempore, malè autem totam æternitatem? Quid ſi nunc pati non potes minimum incommodum, quomodo pati poteris totam æternitatem? Hæc cogitatio effecit, ut multi Martyres ſua corpora objecerint ferro, ignibus, tormentis, ſecundùm illud Apoſt. ad Hebr. 11. *Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes Redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem:* nempe qui alios ſuſcitarant, ipſi maluerunt decedere, ut meliorem aſſequerentur Redemptionem, non talem, qualem pueri mulierum: *Alii verò ludibria & verba experti, inſuper & vincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* Ac ne putares hîc eos mercedem accepiſſe, ſubdit: *Quibus dignus non erat mundus:* Quid igitur vis eos hîc accipere pro mercede, ſi hîc nihil illis dignum eſt? Quod ſi nec totus mundus illis eſt dignus, quid ſi partem dederis? Mundum dicit, aut hominum multitudinem, aut ipſam creaturam viſibilem; & utrunque ſignificat: itaque ſi univerſa creatura, cum omnibus hominibus poneretur, eorum pretium nondum æquaret. Idem effecit, ut multi Confeſſores perpetuis & gravibus pœnitentiis ſe cruciarint, ut multæ Virgines delicatæ ſuis corporibus, & ſanguini non pepercerint. Eâdem de causâ multi non modò illicitas delicias reſpuerunt, ſed etiam licitas & permiſſas, ut corporis reſurrecturi deliciis fruerentur. Vide quid ſcripſerit Hieronymus ad Furiam, ut ſecundas nuptias ei diſſuaderet: Cogita quotidie te morituram, & nunquam de ſecundis nuptiis cogitabis. Ita tibi dico: quotidie cogita futuram corporum reſurrectionem & facilè præſentem corporis ſtatum & delicias contemnes.

E con-

Digitized by Google

E contrario verò ex negatione reſurrectionis naſcitur inſanus amor voluptatum, & carnis. Rationem affert Tertull. lib. de reſurrectione carnis, cap. 11. Nemo tàm carnaliter vivit, quàm qui negant carnis Reſurrectionem: negantes enim ejus pœnam, deſpiciunt diſciplinam. Hinc inſanæ multorum libidines, plus quàm jumentorum; quia præter effrænes carnis motus, ſunt etiam motus animi, cujus vincula rumpit infidelitas. Sed qui cogitant Reſurrectionem, qui flammas illas ultrices, qui flammarum globos ſibi repræſentant, facilè vincunt dolorem voluptate, delicias ſupplicijs, ignem igni, & flammam flammâ beneficio fidei Reſurrectionis. Et hæc de medijs.

Supereſt ut tertiò locò de principijs dicamus entis moralis, quæ ſunt pronunciata quædam, & effata, quæ Græci ἀξιώματα, Latini dignitates appellaverunt, quæ uti in ſpeculativis, ita etiam in moralibus debent eſſe æternæ veritatis. Illa autem ſunt quæ reſpiciunt æternam vitam, quæ nulla eſt, niſi fuerit Reſurrectio; ille enim ſtatus ſolus æternus eſt. Ratio hujus rei eſt, quia principia debent eſſe infallibilia: ejuſmodi autem ſunt ea tantùm quæ ſunt æternæ veritatis: alioqui non ſemper ſunt vera; itaque ſunt fallibilia: nam quæ ſemper ſunt vera, ſemper ſunt; quæ ſemper ſunt æterna; nam æternitas omne tempus reſpicit. Illa autem pronunciata edidit Chriſtus in Evangelio, & ſecundùm illa Sancti vixerunt: Ejuſmodi ſunt: *Quid prodeſt homini etiam ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſua:* Item, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Item, *Non facio animam meam pretioſiorem quàm me.* Item, *omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc eſt enim lex, & Prophetæ. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Itam, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: Beati mites, beati qui lugent*, & reliqua quæ continentur 5. 6. & 7. cap. Matthæi. & ſexcenta ejuſmodi, quibus continetur doctrina moralis Chriſti Domini, quæ vitæ noſtræ regula eſſe debet. Cætera omnia intra tempus ſunt, & pereunt cum vita; ſed ejus doctrina reſpicit æternitatem: cætera aliquando vera eſſe poſſunt, aliquando tamen & ſæpiſſimè falſa; quæ autem ab ipſo ſunt, ſemper habent veritatem. Itaque in illis ſolùm hærere debemus 2. ad Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur; ſed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autē non videntur, æterna.*

Ex hoc toto diſcurſu quid concluſionis deducere debemus, niſi quod totus ille diſcurſus probavit, quodque nos docet fides Reſurrectionis? Nempe nihil fieri debere magni præter alteram vitam: cætera contemnenda, aut ſaltem non magni facienda. Et gaudeo rem ita tuliſſe, ut in eâ cogitatione, & propoſitione Conciones mihi finiendæ ſint. Quid enim vobis certius, quid ſanctius, quid utilius, quid perennius, quid ſolidius relinquere poſſum eâ cogitatione, quam neque temporis diuturnitas, neque varietas negotiorum, neque voluptatum titillatio, neque errorum deceptio poſſunt tollere? *Non enim hic habemus manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Quid igitur in hâc vita tantum operæ & laboris, collocas; ac nihil de altera vita cogitas. Quid tantū laboras ut bene tibi ſit in momēto non autem in æternitate? Quid non agis, ut nihil patiaris in hac vita? Cur

non magis, ne in æternitate ? Non intelligis hîc fieri ſementem, in alterá meſſem ? Ad Galat. 6. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet : quoniam qui ſeminat in carne ſuâ, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam: bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes : ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Denique ea cogitatio ad omnia nobis inſervire poteſt, ad vitia deſerenda, ad pœnitentiam, ad labores ferendos, ad magna aggredienda, ad contemptum rerum præſentium : ad futurorum deſiderium, ad judicandum de operibus, de deſideriis, de iis quæ proponuntur, & quæ occurrunt. Præſupponendus itaque eſt finis, Volo ſalvari, quâ de re nemo vel ambigere, vel deliberare debet, cùm id ſit neceſſarium. Tùm in mediis quæ ſeſe offerunt; (illa autem omnia ſunt, quæ in vitâ poſſunt occurrere,) videndum an ſint compoſſibilia, cum ſalute, nec ne: nam ſi non ſint, hoc ipſo reſecanda ſunt, quæcunque tandem ſint; & ſi chara ſint, etiam ſi utilia; licet etiam tibi neceſſaria videantur: nam illis omninò carendum. Neque hoc ſatis, ſed videndum an conducant & conferant ad ſalutem : ut ſcias non tantùm mala, ſed etiam inutilia eſſe reſecanda. Neque etiam hoc ſatis, ſed videndum quæ magis conducant: nam ſemper meliorum eſt electio. Item in iis quæ vel pateris in aliis, vel diſſimulas, vel quæ alterius gratiâ facis, vel imperio; videndum ne ſint incompoſſibilia cum ſalute : alioqui nullô modô ferenda ſunt, nec diſſimulanda. In illis autem quæ ſponte ſuſcipis, præſertim ſi ſunt alicujus momenti; vide ſi conducant ad ſalutem : alioqui melius ceſſandum eſt, quicquid tandem emolumenti inde ſperare poſſis. Denique quoniam homini generoſo, ſemper agendum eſt ex certis ſublimibusque conſiliis, ne agaris ſenſu determinato, & ex occaſione particulari, ſed ex alto & univerſali principio: vide ut ſint illa æternæ veritatis : illa enim ſola ad æternitatem conducunt, quam tu ſolam ſpectare debes.

Amen.

TOMI TERTII ET ULTIMI FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CONCIONUM IN OMNES DOMINICAS PER ANNUM

DOMINICA I. ADVENTUS.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. cap. 21.

Tractari poteſt de Chriſti Regia dignitate, de qua vide concionem XCVI.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate. Luc. c. 21.

De Judicio finali, vide concionem XXVII. & VI. *ſequentes, quæ de eodem judicio fuſè tractant.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

Cæci vident, claudi ambulant. &c. Matth. c. 11.

Tractari poteſt de miraculis Chriſti, oſtendiq́; quam efficaciter probaverit ſuam divinitatem, ſanando ægros, illuminando Cæcos, excitando Mortuos; vide concionem. XXXIIII. XXXV. XXXVI.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Ego vox clamantis in deſerto Matt. 11.

Agi poteſt de pœnitentia quam Joannes prædicavit in diſerto. vide hac de re Concionem 10. & 11.

DOMINICA INFRA OCTAVAM Nativitatis.

Quæ non diſcedebant de templo, Jejuniis & Obſervationibus ſerviens die ac nocte. Luc. 2.

Agi poteſt de recta diei diſpoſitione, quam in templo accuratè ſervavit Anna vidua. vide hac de re Concionem. LXXXVI.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant. Luc. 2.

Legimus hic Doctores in templo obſtupuiſſe, non legimus eſſe converſos, cum audirent Chriſtum docentem. quæri poteſt, cur tam exiguus fructus è Concionibus colligatur. vide Concionem. LXXXII. & *duas ſequentes.*

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Dicit Mater ejus miniſtris, quodcunq́; dixerit vobis facite. Jo. 2.

Vult mater ut miniſtri faciant voluntatem Filij ſui.

Agi poteſt de conformitate voluntatis noſtræ cum divina. Vide concionem 101.

Agi etiam poteſt de Miraculis, de quibus vide concionem XXXIIII. & *ſequentes.*

I N D E X

Dominica III. Post Epiphaniam.

Non inveni tantam fidem in Iſrael Matth. 8.
De Nobilitate & difficultate actus fidei.
In hodierno centurione. Vide Concionem 13. *& duas ſequentes.*

Dominica IV. Post Epiphaniam.

Domine ſalva nos perimus. Matth. 8.
Confugiunt Apoſtoli in tempeſtate ad Chriſtum. Iactamur nos quoquè variis tempeſtatibus in quibus firma Anchora eſſe poteſt oratio. De hac vide Concionem XXXVIII. *& tres ſequentes.*

Dominica V. Post Epiphaniam.

Colligite primum Zizania & alligate ea in faſciculos ad comburendum. Matth. 13.
Agi poteſt de pœna ſenſus in damnatis vel igne æterno, de quo vide Concionem. LIV.

Dominica Sexagesimæ.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20.
Agi poteſt de myſterio prædeſtinationis, vide de hac materia. Conc. LXXXVIII. *&* LXXXIX.

Dominica Sexagesimæ.

Semen eſt verbum DEI. Luc. 8.
De auditoribus verbi DEI. Vide Concionem LXXXII *& duas ſequentes.*

Dominica Quinquagesimæ.

Domine ut videam. Luc. 18.
De excæcatione ſpirituali vide Concio. LXXV. *& præcedentem de cæco.*

Dominica Quadragesimæ.

Vide in ordine.

Pro Dominica Paschatis & duobus festis, vide conciones in fine.

Dominica I. Post Pascha.

Venit Ieſus & ſtetit in medio. Joh. 20.
Vide concionem ultimam pro hoc die.

Dominica II. Post Pascha.

Ego ſum paſtor bonus. Joh. 10.
Vide Concionem LXX. *quæ docet Regum eſſe paſcere & quam benè id fecerit Chriſtus.*

Dominica III. Post Pascha.

Modicum & non videbidis me Joan. 16.
Tractari poteſt de modico vel brevitate vitæ humanæ & de utilitate hujus Conſiderationis. Vide Concio: III IV. *&* V.

Dominica IV. Post Pascha.

Princeps hujus mundi jam judicatus eſt Joh. 16.
Vide Concion. LIX. *&* LX. *in quibus oſtenditur quomodo Chriſtus Regnum Sathanæ deſtruxerit.*

Dominica V. Post Pascha.

Si quid petieritis patrem in nomine meo. Joh. 16.
De natura, neceſſitate, & præcipuis proprietatibus orationis. Vide Conc. XXXVII. *& ſequentes.*

Dominica Infra Octavam aſcenſionis.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Joh. 16.
Vide Concionem LXIV. *quæ explicat ſcandali naturam & gravitatem.*
Per Analogiam ad contagionem.
Vide etiam concionem ſequentem.

Dominica Pentecostes.

Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus, Joan. 14.

Vide

Digitized by Google

Vide Concionem LXXXV. *quæ docet modum quo gratia nobis detur atq; auferatur per quam DEVS in nobis habitat.*

DOMINICA TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes Matth. 28.

Quæri poteſt in hac verba cur DEVS tam paucis ſui Cognitionem Communicet, cum tamen præceperit Apoſtolis, ut omnes gentes doceret. de hac quæſtione tractat Concio LXXII.

DOMINICA I. POST TRINITATEM.

Epulabatur quotidie ſplendidè Luc. 16.

De divite Epulone, vide concionem XLIX. *& plures ſequentes.*

DOMINICA II. POST TRINITATEM.

Et vocavit multos Luc. 14.

Quæri poteſt cur tam multi vocati pauci verò electi.

De hac quæſtione vide Concionẽ LXXXVIII.

DOMINICA III. POST TRIN.

Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente Luc. 15.

De Converſione hominis per pœnitentiam. Vide Concionem 10.

DOMINICA IV. POST TRIN.

Nolite judicare & non judicabimini Luc. 6.

Ut temerarium Judicium fugias pone tibi ob oculos Judicium DEI finale. de quo Concio. XXVII. *& ſequentes.*

DOMINICA V. POST TRINI.

Duc in altum Luc. 5.

Agi poteſt de recta intentione, de qua vide Concion. IV. *&* V.

DOMINICA VI. POST TRINI.

Vade prius reconciliare fratri tuo Mat. 5.

Vide concion. XVI. *&* X. *Sequentes.*

Quæ tractant de dilectione Inimicorum & injuriarum Condonatione.

DOMINICA VII. POST TRINI.

Quot panes habetis Marc. 8.

Vide Concionem LXX. *& ſequentem, quæ tractant de multiplicatione panum.*

DOMINICA OCTAVA. POST. Trinitat.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Mat. 7.

Agi poteſt de igne infernali. Vide Concion: LVI.

DOMINICA VIIII. POST TRINI.

Redde rationem Vilicationis tuæ Luc. 16.

Vide concionem XXXII. *quæ tractat de Interrogatione & diſcuſſione judicandorum.*

DOMINICA X. POST TRIN.

Domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Luc. 19.

Vide Concionẽ LXXII. *quæ invehitur in templorum profanationem.*

DOMINICA XI. POST TRINI.

Plus propitius eſto mihi peccatori, Lu. 18.

Ut cum publicano pœnitentiam agas, dic cum Iſaia. c. XXXVIII. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Vide hac de re Concionem XCIX. *& ſequentem.*

DOMINICA XII. POST TRINI.

Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus Mar. 7.

Vide Concionem vigeſimam ſext. quæ validè ſellit eos qui impugnant miracula.

DOMINICA XIII. POST TRINI.

Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo Luc. 10.

Vide concio. LVI. *quæ tractat de gloria cœleſti.*

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA XIV. POST TRINITAT.
& novem ubi ſunt L. LVII.
Ex his leproſis novem mundati, relapſi ſunt mox in peccatum ingratitudinis.
Tractari poteſt de relapſu in peccatum vide Concion. LXI. & LXII.

DOMINICA XV. POST TRIN.
Quærite ergo primum regnum Dei Matth. 6.
Vide concion. XCIII. quæ agit de iis quæ nobis ante omnia quærenda.

DOMINICA XVI. POST TRINIT.
Efferebatur filius unicus matris ſuæ Luc. 7.
vide concion. LXXVI. quæ de hoc filio tractat.

DOMINICA XVII. POST TRIN.
Qui ſe humiliat exaltabitur. Luc. 14.
vide Concion. XLVI. & ſequentem.
In quibus agitur de humilitate.

DOMINICA XIIX. POST. TRIN.
Interrogavit eũ unus ex eis legis Doctor tentans eum. Matth. 22.
Vide concion. XXV. & XXVI. de tentationibus.

DOMINICA XIX. POST TRIN.
Videns Jeſus fidem illorum Matth. 9.
Vide Concion. 15. quæ docet cur Deus voluerit homines regere per fidem.

DOMINICA XX. POST TRIN.
Proiicite eum in tenebras exteriores. Matt. 22.
Agi poteſt de Pœnis Inferni, vel de paucitate electorum, in illa verba, multi vocati pauci vero electi. Pro primo vide Concion. LIII. pro ſecundo. Vide Conc. LXXXIIX.

DOMINICA XXI. POST TRIN.
Incipiebat mori Joan. 4.
Vide Concion. XCVII. & ſequentem de præparatione ad mortem.

DOMINICA XXII. POST TRIN.
Ille autem noluit. Matth. 18.
Vide Conc. XIIX. & ſequentes, quæ agunt de condonatione injuriarum.

DOMINICA XXIII. POST TRIN.
Conſilium inierunt ut caperent eum Matt. 22.
Vide Concion. XCII. de Conſilio Judæorum contra Chriſtum.

DOMINICA XXIV. POST TRIN.
Domine filia mea modo defuncta eſt Matth. 9.
Vide Concion. LXXIX. quæ exhibet ſtatum humani corporis poſt mortem, vel vide præcedentes quæ agunt de morte.

DOMINICA XXV. & ultima POST TRIN.
Væ Prægnantibus ac nutrientibus in illis diebus Matth. XXIV.
Vide Concion. XXVII. & ſequentes de Judicio finali.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4-2-2

Digitized by Google